BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
LV
H
28
NAPOLI

LV
H.
28.

GVLIELMI DONDINI
BONONIENSIS
E Societate Ieſu
HISTORIA
DE REBVS IN GALLIA GESTIS
AB
ALEXANDRO
FARNESIO
PARMAE, ET PLACENTIAE
DVCE III
SVPREMO BELGII PRAEFECTO.

NAPOLI

SERENISSIMO PRINCIPI

RANVTIO II FARNESIO

PARMÆ ET PLACENTIÆ

Duci Sexto

GVLIELMVS DONDINVS
Societatis Ieſu Fel.

B*REVEM, at potiſſimam partem hiſtoria de rebus geſtis à Proauo Tuo ALEXANDRO, mihi à Tua Celſitudine demandatam, ad finem vtcumque perductam, oculis Tuis reddo, Sereniſſime Dux. Tribus in libris, annos totidem ſum executus poſtremos illius vita ſemper laudata, ſed propè exitum laudatiſſima. Nàm, principibus Gallia vrbibus ab hæreſis tyrannide vindicatis, in conſpectu mirantis, & plaudentis Europæ, vſquè adeò Farneſiam famam in omnis æui memoriam extendit, vt videatur Gallico bello non triennium impendiſſe, ſed ſeculum, laborante Hiſtorici ſtylo, ſub magnitudine rerum, quas animo maiore confecit; quamuis teneretur valetudine ſæpiùs infirma, perque labores, & ærumnas bellicas extenuata. Verùm ille Dux magnus, quemadmodùm hoſtium conatibus ad ipſorum perniciem abuti conſueuerat, & oblata caſu flectere ad conſilium, ità morbos, & vulne-*

ra,

ra, damna corporis, non ſecus atque aduerſa rerum, & ſociorum infida fortunæ detrimenta, in incrementa animi, virtutes nempe vertebat, pro auctibus periculorum, augeſcente gloria. Vnde factum, vt humanis omnibus, diuiniſquè ornamentis ALEXANDRVM excultum, recens ætas priſcis Camillis, ac Scipionibus anteferat, tamquàm abſolutum Imperatoriæ laudis exemplum, à Scriptoribus narratione facinorum, à Nepotibus, inprimiſquè à Celſitudine Tua Sereniſſima, imitatione celebratum, celebrandumque vbi occaſio, aut neceſſitas tulerit. Quamobrem, ſi quos operi præfixa maieſtas Farneſiani nominis, ad hæc legenda inuitauerit, non dubito quin ij, ab imagine ALEXANDRI noſtris in paginis adumbrata, traducturi ſint animum ad aliam nobiliorem, expreſſam in moribus Tuis; in ſtudio videlicet religionis, & æquitatis: quo accuratè ſuum Numini cultum in templis, ſua iura populis reddis in foro; in magnitudine conſilij, ſolertiæque, per quam vrente proximas regiones bello, vrbes, agroſque ditionis Tuæ præſtitiſti à belli calamitatibus immunes: in paterna erga ſubiectos populos charitate, quorum vt amplificares fortunas, ærarium imminuere maluiſti; Conſtantium ſcilicet Magni Conſtantini patrem æmulatus, qui theſaurum Principis eſſe cenſebat opulentiam populorum: in hereditaria demum beneuolentia, & liberalitate in Ordinem noſtrum, quem vix ortum Paulus III Farneſius Pontifex Roma benigniter excepit, mox Apoſtolica auctoritate firmatum, ampliſſimis priuilegijs ornauit, Alexander, & Odoardus Cardinales, alter templo, domo alter in celebri Alteriorum foro, magnificentiſſimè inſtruxit: Octauius Dux in Parmæ vrbem, Alexander in Belgij prouincias indu-

Ra-

xit, ſocietatis collegia vocare ſolitus vrbium propugnacula, Ranutius Primus Parmenſem Academiam ſplendidè dotatam noſtrorum hominum curæ mandauit, Tua denique Sereniſſima Celſitudo, non ſolùm ſuperiorum Principum beneficia renouat, dum tuetur, verùm etiàm quotidianis accumulat ſignificationibus æſtimationis, & amoris. Dum enim numeroſam, ex primaria Europæ nobilitate iuuentutem, decus futuram, & firmamentum vrbium clariſſimarum, quin ipſum vnum inſtar omnium, Regnatricis familiæ ſpem, Principem filium inſtitutioni noſtræ formandos tradis, oſtendis profectò, non exiguo apud Te pretio, & gratia nos eſſe, queis cariora committis. Communibus tot beneficijs, illud ſingulare mihi adiunxeris, vt hiſtoriæ in lucem prodeunti, à Sereniſſimæ Tuæ Celſitudinis patrocinio præſidium accedat, & ornamentum.

IOANNES PAVLVS OLIVA

Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu

CVm Opus, cui titulus eſt *Hiſtoria De rebus in Gallia geſtis ab Alexandro Farneſio Parmæ & Placentiæ Duce*, à P. Gulielmo Dondino Societatis noſtræ conſcriptum, tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, quibus id commiſimus, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 11. Martij 1671.

Ioannes Paulus Oliua.

Loco ✠ Sigilli.

REs ab Alexandro Farneſio in Gallia geſtas à P. Gulielmo Dondino deſcriptas iuſſu Reuerendiſſimi P. S. Apoſtolici Palatij Magiſtri diligenter legi; nilq; in his reperi quod vel ad Catholicæ fidei, vel ad morum perniciem trahi poſſit; quin imo Chriſtiana prudentia, & operoſa ſtyli maieſtate parem tam pio, ac forti Imperatori ſcriptorem vbique præferunt. Quare Hiſtoriam & rerum magnitudine, & præſtantia Authoris peraque nobilem luce, & æternitate digniſſimam cenſeo. 2. Aprilis 1671.

Antonius de Malagonellis.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Angelis Archiepiſc. Vrbin. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raimundus Capiſucchius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.

SVMMA PRIVILEGII PONTIFICII.

NEquis P. Gulielmi Dondini Societatis Ieſu Hiſtoriam de Rebus in Gallia geſtis ab Alexandro Farneſio Parmæ, & Placentiæ Duce, *quocumq; idiomate intra decenniū imprimere audeat, vel alibi impreſſam venalem habere ſine ſpeciali auctoris facultate ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, à qua non niſi à ſummo Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolui poſſit. Quoad ſubditos verò, qui eiuſdem ſummi Pontificis temporali dominio ſubiacent, etiam ſub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amiſſionis librorum, Typorumque pœnis, vt conſtat expreſſius in Originali. Datum Romæ 4. Februarij 1673.*

DE REBVS IN GALLIA GESTIS AB ALEXANDRO FARNESIO
LIBER PRIMVS.

QVOD in natura, & arte contingere ſolet, vt opus abſoluat, & perficiat manus extremā, hoc in ALEXANDRI Parmenſium Ducis vitam virtus contulit, & fortuna. Nam geminæ in Galliam expeditiones, quæ ſuprema illi mortalium operum fuere, eò longiore interuallo reliqua egregia facinora præcedunt, quò grauiores difficultates hominum, locorum, ac temporum ſingulari animi præſtantiâ ſuperauit. Siue ſpectetur, in qua bellatum eſt, arena martis Gallia, vti magnitudine regionum Belgio amplior, ita viris, ar-

Gallicæ expeditionis difficultas, atque præſtantia.

armiſque longè opulentior; ſiue hoſtium Ductor Galliæ, & Nauarræ Rex, à pueritia in ludo belli exercitatus Henricus, cui niſi Romana Religio tunc deeſſet, omnes Regiæ, atque Imperatoriæ, artes ſuperfuerant; ſeu quorum in ſolo, pro quibus, & contra quos decertabatur, Galliæ populi, partim hoſtes manifeſti, amici partim ambigui; qui odium, & perfidiam in auxiliatores externos, charitatem patriæ, fidem in ſuos interpretarentur; ſeu denique, quâ nulla ſanctior, nulla eâ tempeſtate impeditior, fidei Catholicæ cauſa; pro qua dimicantem potiri morte, nedum victoriâ, glorioſum Alexandro fuerat. Quamobrem, etiamſi quot expugnatas arces, tot Parmenſis trophæa Belgium non oſtentaret, neque Moſa Traiecti, & Antuerpiæ Scaldis, inter victoriarum monumenta tumidiùs fluerent; quamuis præliarem Farneſij ſpiritum non exhorruiſſet mare Sluſâ edomitâ, & Hollandiâ; Zelandiâque terrore armorum afflatis, poſt receptas complures auunculo Regi, de ſeptemdecim Belgij prouincijs, vnus Gallorum Sequana Farneſij nomen memorandum ſæculis dare potuit. Rex illic bellicoſus cum quadraginta millibus bellatorum, ab arctiſsima obſidione detractus, in conſpectu fruſtra obſiſtentis Lania- cum

Summa rerum ab Alexandro geſtarum in Gallia.

Lagni. cum oppugnatum, & expugnatum, Lutetia faucibus vltimæ neceſsitatis exempta, deinde ſecurus inter aſſultantes hoſtes reditus, immo & infeſtus. Rurſus incurrenti ferociter ad Au- Aumale. maliam Henrico Regi captiuitas penè, aut cæ- Roüen. des oblata, ſoluta Rhotomagi bis obſidio, diſſi- Caudebec. mulatum in Calidobechi expugnatione vulnus, & ad extremum hoſtium copijs, annonæ inopiâ circumuento, munitus caſtellis, præſidijſque ab anguſtijs receptus, certaminibus, & victorijs par.

Sed quoniam bellum, quod narrandum ſuſcepi, pro Gallis contra Gallos, in ipsa Gallia bellatum eſt, Hiſpani quidem Regis armis, à Summo Belgij Præfecto, ſed eodem Sancti Gallorum Fœderis Imperatore; conſentaneum duco, priuſquam eius euentus euoluo, qualis tunc ſtatus Galliæ, ſtudia, factiones, quæ Sancti Fœderis cauſæ, initia, progreſſiones commemorare.

Potentiſſimum Galliæ Regnum mille du- Status Galliæ, factiones, & ſtudia, cum Alexander illuc aduenit. centorum annorum virtute, ac fortunâ firmatum, quo tempore Alexander ad ferendam opem contendit, lacerum ciuilibus bellis priſtinæ redintegrationem ſalutis optare magis poterat, quàm ſperare. Lütheriana primùm,

dein Caluiniana lues populos corripuerant; geminæ furiæ inuidia, & ambitio nobilitatem inuaſerant, Regibus, qui capitis inſtar ægra membra tueri, ac regere debuiſſent, aut ætate, ingenioque imbecillis, aut æui nimium breuis, & caduci; quamobrem conſilia fortia, quibus Galliæ tempora indigebant, aut ſuſcipere non auderent, aut abſoluere ſuſcepta & inchoata non poſſent. Qualis igitur animantis eſt vita, ſi quando vis morbi nobiles æquè, ignobileſque partes, ipſam denique membrorum arcem occupauit, in eum adducta locum Galliæ ſalus putabatur. Neque ſolùm originem malo, ſed pertinaciam quoque, in tanta gentis mobilitate raram Hæreſis præbuit. Quæ initio modica, & contempta, vt ferme principia ingentium malorum; mox velut hecticæ febris malignitas in exortu cognitu difficilis, curatu facilis, in progreſſu quàm facilè deprehenditur, tam difficulter exigitur, ita poſtquam matura lues in ſeditiones, & cædes erupit, eò iam proceſſerat, vt neque Hæreſum mala Reges, neque curationem populi ferrent. Franciſci Primi, dein Henrici Secundi, Regum authoritate vtcumque repreſſa, poſt acerbam alterius mortem per malorum iliadas inunda-

Hæreſeos exortus, & proceſſus in Gallia.

Henrici ſecundi fortuita mors in certamine ludicro.

uit. Quando in celeberrimo Galliarum theatro, ad quod occaſione Regalium nuptiarum omnis Europa confluxerat, ſpectaculo circumſedentibus Reginis, Regiiſque liberis cum externa, & Gallica nobilitate, in haſtarum ludicro peremptus Henricus, altiſſima Europæ in ſcena, tragicum verè ludum fecit Regiam felicitatem. Quin potiùs illa tragœdia proludium fuit longioris alterius, per exercituum ſtrages, excidia vrbium, Ducum neces, & Regum, quadraginta annorum ſpatio celebrandæ. Cùm enim Henrico Franciſcus filius ætate debilis, ac valetudine ſucceſſiſſet; Regij ſanguinis Proceres, Antonius Borbonius Nauarræ Rex, & Ludouicus frater Condæi Princeps, qui Regni adminiſtrationem in Cardinali Lotharingo, & Duce Franciſco Guiſio fratribus ab Henrico collocatam, ægrè quidem, ſed tamen tulerant; eamdem à filio Rege in iiſdem quaſi hæreditatem continuari; quam ipſi vt Regiæ familiæ patrimonium affectabant; pati non poterant. Primæ intra querelas iræ. Queis cùm aures Regiæ à Guiſijs obſtructæ non paterent, tubarum ac timpanorum ſonitu aperiendas putauerunt. Itum in partes, & Aulæ diſſidia tractata caſtris, quibus Borbonij Principes, inclytus

Galliæ calamitates, & diſſenſiones Procerũ ſub Franciſci ſecundi pueritia.

D. Lu-

Borbonii Principes Hugonotorum fautores Religionem ambitioni prætexunt.

D. Ludouici ſanguis, Hæreticis Duces ſe præbentes, cauſam non malam malis artibus perdiderunt. Cùm enim ſuas vires conatibus impares animaduerterent, propoſitum à Gaſpare Colinio Gallici maris Præfecto, Hugonotorum patrocinium, & ſectam amplexi ſunt. Sic in cauſæ popularis procuratione ſuam agebant, bellique in Regem procella, non ambitione Principum, ſed vulgi de Religione diſſidijs conflata iactabatur. Ita Religio per eos ad vſum translata, conſilio non ſolum impio, ſed (quod euentus docuit) vniuerſæ Galliæ, & auctoribus maximè, qui omnes ferro interierunt, exitiabili. Nam qui cæleſti viuendi magiſtræ Religioni, nefaria hominum commenta prætulerant, vt opibus, aut honoribus perituris augerentur, & illa æterna amittere, neque hæc caduca conſequi meruerunt. Iam verò populis opportunè contumaciam, perfidiam, Diuini, humanique iuris contemptum, ſuas virtutes Hæreſis inſpirauerat; Principibus abuſuris, ad vindicandam libertatem animorum, vt ipſi loquebantur, vt politici, ad Regnum occupandum. Nam, Imperium ſe concupiſcere, nemo eſt ore tam duro qui fateatur, vix vllus tam verecundo, qui non accipiat. Geminæ igitur factiones ortæ; Catholi-

Coligny.

Cato.

tholica, eademque Regia Guiſijs, Hæretica Borbonijs Ducibus armatæ. Sed hanc recentem, vt minùs validam in Regno pietatis ab antiquo celebratæ, claritudo capitum, & errorum ſociæ, pars magna Germaniæ, Britannia tota ſubleuabant. Verùm causâ Numinis, & Regis militum animos attollente, congeminatis cladibus; afflicta Hæreſis prope occaſum iam erat, niſi creſcente per belli proſpera Guiſiorum potentiâ, ſua Reges formidare præſidia cæpiſſent, iuxta videlicet periculoſam ſeu cladem, ſeu victoriam ducere; ne victi ab hoſtibus opprimerentur, victores à ſuis. Tam iniqua Regum illorum conditio fuit, vt Scyllam inter, & Charybdim, inter diuiſas Galliæ ſuæ partes fluctuarent; quarum altera Regnum auferre moliebatur, altera Regnum, & Cælum. Cum his vt apertis cum hoſtibus, armis in acie, cum illis, vt occultis in Aula, conſilijs, & arte certabatur; eò grauiore periculo, quò interiore, cùm ſpecie medicinæ virus in venis graſſaretur. Quod ſi iudicia de rebus tantis poſt euentum ferenda; perinde peccaſſe videntur Reges, Regumque Conſiliarij, qui nullâ, quàm qui nimiâ in regnando calliditate vſi ſunt. Nam priorum prudentiæ fuerat, Catholicarum partium Principes, ob ſum-

Gallia diſtracta in geminas factiones Guiſiorum, qui Catholicos propugnabant, & Borboniorum, qui Hæreticos.

Guiſiorum potentia ſuſpecta Regibus.

Damna orta ex defectu cautionis, atque ſolertiæ.

ſumma merita, ad ſummum non attollere, vbi vix aliquid ſperandum ſupereſſet præter Regnum; cùm reputare oporteret, ingenia vel optima occaſione corrumpi; dum ſublatis æmulis, qui pro Rege inuicem excubias agunt, æmuli loco habent Regem ſuis clientelis circumuentum; in Galliæ præſertim Regno, vbi Procerum exempla non deeſſent, quibus cùm ſecundos à Rege agere liceret, primi eſſe iure, vel iniuriá maluerunt, Regum inertiam, publicam vtilitatem, honeſta vocabula prætendentes. Contra, in poſterioribus humanæ nimium ſolertiæ tribuentibus, maior innocentiæ, & probitatis cura deſiderari viſa eſt. Qui, dum papauerum capita eminentiora decuterent, non gentium iura, non dextras datas, non inuidiam generis humani reueriti ſunt. Nec ſapiente conſilio, nec felici. Cùm pro vitandis futuris periculis, & incertis, in præſentia certa ſe induerint; Regnumque ne amitterent, Regnum & vitam, vtinam non etiam Cælum amiſerint. Quod ſi regnandi rationes Diuinæ Chriſti ſapientiæ attemperaſſent Serpente Columbæ, non Vulpe Leoni coniunctá; & quod honeſtiſſimum in præſentia, Hæreſim excinderent, relictá futurorum Cælo curà, quam metuebant pro-

Nimię callidi tatis euentus infauſti.

cel-

cellam facilè declinaſſent, fauente piæ fortitudini Cælo, terriſque; aut ſi pereundum erat, quanto glorioſiùs cecidiſſent in Religionis amplexu, proditi magis, quàm proditores, & alieni ſceleris rei potiùs quàm ſui? Adductá in odium, in contemptum, per Hæreſim, per ambitionem maieſtate, conſecutæ ſunt fugæ Regum indecoræ, mortes immaturæ, aut violentæ; ſeruati ab externis, quos ciues perditum iêre, Fœdera populorum pro Rege verbo tenus, re contra Regem; miſerabiles cædes Principum, miſerabiliores vltiones; captæ vrbes, euerſæ; prouinciæ direptæ, deſolatæ; Lutetia bis oppugnata, bis exitio erepta; ſed ſtante ciuitate, vrbs viua, ciues ferro, fame conſumpti; àuxilia gentium externarum magis inuiſa, quàm bella, & remedia malis nocentiora, tantumque ſanguinis vnâ die pace fuſum, quantum tot annis vix varijs certaminibus bellum egeſsit.

Summa malorum, quæ ab Hæreſi, & ambitione in Galliam profluxerunt.

Thuanus, Cat Turtur. Buſſier.

Sanctum Gallorum Fœdus, cuius Alexander propugnator, & vindex, inuiſum Regibus, populis acceptum, ſuſpectum politicis, pijs fauorabile, ſorte varium, pro fortunæ, ac gentis inſtabilitate, famâ proſperâ, vel aduersâ fuit, prout in infenſos incidit, vel obnoxios. Poſtre-

De Sancto Gallorum Fœdere iudicium.

mis temporibus, quando victoria deſertis Lotharingis ad Borbonios flexit, ſiniſtræ interpretationi propius, iniquiore famá aduersùs victos. Nam virtus infelix, præter detrimenta rei quæ patitur, etiam nomine ſpoliatur ſuo. Qualecumque demum id fuerit, neque apud hoſtes dubium, ſuam habuiſſe, vt pleraque humana, boni, malique mixturam. Sicut haud abnuerim, nonnullis in rebus, quá præfulgebat, ſanctitati nominis derogaſſe, ita firmare conſtanter auſim, quò minùs in Gallia funditus Romana Religio concideret, per Sanctum Fœdus Catholicorum ſtetiſſe. Quod cùm ſcriptorum aliqui labem, & exitium Regni appellare non dubitauerint, quo nomine apud illos erunt Hugonotorum coniurationes perturbatrices omnis Diuini iuris, & humani? Ex oppoſitis cauſis virtutibus, vitijſque, pietate, metu, religione, cupiditate, irá conflatum eſt. Dum alij ſecuritati animorum nimis cauent, nimio plus alij dominationem affectant; hi cupiunt, illi metuunt, ambo oderunt, & indignantur. Ortum, incrementa, profectum, inclinationem, & finem, humanæ ætatis in morem habuit. Initia modica, & inculpata, inſtar infantiæ. Cùm Religionis patrocinium intra ciuilem

Sancti Fœderis initia. & progreſſus.

lem modum vſurparet, ferox in Hæreſim, & minabundum, ſed obſequij retinens erga Principem; qui diſsimulatione tunc, & ſilentio non inuitum, fauentem poſtea ſe præbuit, cùm Sacro Fœderi ſe caput imponeret, daretque pro eo litteras ad Gubernatores prouinciarum. Inter hos Aulæ, ac vulgi fauores adultum, æſtu quodam iuuenilis audaciæ, in licentiam abreptum eſt. Tunc illi Pariſienſes tumultus, & conſpirationes, vel ipſis authoribus, excuſando improbatæ, arma pietatis obtentu impiè ſtricta, & perfidioſa pro Fide bella. Cùm honeſtum perinde dicerent, ad honeſta Principem, ſeu ſuaſione ducere, ſeu vi trahere; nec tam facundiâ, vel argumentis, quàm concitandis vrbibus, arcibus expugnandis. Robuſtiora Fœderis tempora, quam ætatem virilem dixeris, veniam ex miſericordia, ſi minùs ex approbatione laudem merentur; Galliæ populis, in Catholicorum nece Procerum Catholicæ Religionis interitum formidantibus; & ne Deo haberentur infidi, ſi fidi eſſe perſeuerarent Regi publicæ fidei violatori, quem ob cædem, aut captiuitatem ſacrorum Principum, anathemate Pontificio execratum, Cæleſtes iuxta, & mortales odiſſe viſi. At extrema Fœderis conſeneſcentis,

Thuan. *Cam.* *Eius violenti conatus.* *Excuſabiles tamen.*

tis, ætatem lethio iam proximam, perpetuus conſtantiæ tenor inter aduerſa bellorum nobilitauit. In obſidionibus vrbium, in exercituum ſtragibus, fame, ferro graſſante, perferendis elicuit ab hoſtibus tacitis admirationem, ab amicis prædicantibus plauſum. Ea propter fortaſſe meritum cum fine ſuo Galliæ laborum videre finem, per Catholicam Religionem, ſub Catholico triumphali Rege, collocatam in tuto: tanto bono, quidquid malorum exhauſtum fuerat, repenſante. Nam per tot caſus fata viam aperuerunt, quâ tragœdiam Gallicanam felici exitu explicarent, coaleſcentibus vtrimque animis in Henricum Regem Franciæ, & Nauarræ ad Fidem Catholicam redeuntem. Quem niſi vocaſſent iura ſanguinis, & Regni leges, dignus planè erat, qui legeretur. Ita Hæretici dedêre Regem, quo Catholici fruerentur, non ſine Diuinæ Prouidentiæ ludo, humanæ vanitatem irridentis; cùm tot impendijs opum, & ſanguinis, geminæ factiones fruſtra, imò contra ſua vota laborauerint; Catholici, vt inijcerent moram Henrici Regno, felicitati ſuæ; Hæretici, cùm in ſuæ ſectæ perniciem feſtinarent. Quod ſi diuinare ambo potuiſſent, illis, quod ſperabatur, timendum; nobis quod timebatur, ſpe-

Eiuſdem admirabilis conſtantia, & finis glorioſus, totique Galliæ ſalutaris ſub Henrico IV. Rege.

Eluſa diuino conſilio factionum machinamenta.

ſperandum fuerat. Verùm vt Sancti huius Fœderis cauſæ, & principia clariùs explicentur, ſimulque perſpicuum faciam, cur ſpem poneret non ex vano in Romani Pontificis patrocinio, & Hiſpani Regis armis, quæ ſub Farneſij ductu bis in Galliam tranſgreſſa ſunt, neceſſe habeo hiſtoriam altiùs exordiri.

Poſtquam erepto rebus humanis Henrico Secundo Rege (vti ſupra paucis memorauimus) Franciſcus filius Regni gubernacula ſuſcepit, Hæreſis, quam Pater ferro, atque igne inſectatus ad excidium fuerat, recipere primò animam, dein confirmata fauore Principum Regiæ ſtirpis, caput attollere, atque inſolentiùs inferre ſe cœpit. Neque contenta more conſueto vitiorum, per gradus furere, aut maioribus flagitijs proludere per minora, quaſi per ſaltus ruit in poſtremum nefas, & coniuratione factâ contra ipſum Regem impetum dedit. Plebs, & nobilitas Hugonotica in vnum facinus, diuerſo conſilio conſpirarunt. Multitudini propoſitum erat, viuendi, opinandique licentiam precibus armatis extorquere. Nobilitas idem ſe intendere ſimulans, Guiſios Catholicarum partium Principes perditum ibat, quàm charos, & fidos Regi, tam inui-

Hæreſis incrementa poſt obitum Henrici Secundi.

Eius coniuratio in Regem.

Diuerſa conſilia Hugonoticæ nobilitatis, & plebis.

Thuan. l. 24. Turtur. l. 1. Caer. l. 1.

inuiſos Proceribus, & aduerſantes. Non deſuere qui tertium adderent ſceleroſum propoſitum, & crudele de Geneuate Caluini ſchola profectum, vt interemptis cum matre Regina Rege fratribuſque Valeſijs, in vacuum ſolium Borbonij imponerentur. Hæc minus fidei habent apud pleroſque, vt nimis atrocia & abhorrentia moribus nationis, quæ nunquam animos in Regum ſuorum cædem efferauerit. Alij contra non dubitant inſtitutionis Caluinianæ fructum agnoſcere, quæ Gallicæ gentis amores in ſuum Regem tantos, vt nihil ſupra, tam leuibus momentis, in odia immaniſſima verterit. Vtcumque ſe habuerint arcana conſilia, illud palam omnibus factum, in Nannetenſi Hugonotorum conuenticulo, conflatam procellam, ad Amboſianam arcem, quò Rex præmonitus, ne occuparetur, à Bleſia confugerat, cum ingenti fragore detonuiſſe. Maior tamen eius tempeſtatis metus, quàm pernicies fuit. Siquidem induſtriâ, & vigilantiâ Franciſci Guiſiæ Ducis, quem auctoritate ſummâ Regis edictum armauerat, coniuratorum præuentus, aut diſſipatus eſt furor. Alij inſidijs excepti, alij certamine profligati, cæſi, aut capti, actique in ſuſpendia, plurimis in fugam præcipitatis; aliquot

Hæreticorum propoſitum atrox.

Caluinianæ inſtitutionis proprium Regibus moliri perniciem.

De Nãtes.

In Amboſianã arcem, quo Rex confugerat, impetum faciunt Hugonoti.

Amboiſe.

Blois.

Diſſipantur, & variis cladibus afficiuntur à Guiſiæ Duce.

Quorundam ex iis pertinacia in Amboſiæ oppugnatione.

Cætera.

quot cohortibus, aſtu Ducum audaciſſimorum, iniectâ deſperatione, adeo creuerunt animi, vt circumfuſi arci modicæ, ſcalis admotis, incluſum Amboſiæ Regem ſenis horis perſeueranter oppugnauerint. Nec videbantur abſtituri incæpto, niſi Catholicorum equitum turmæ aduenientes in tempore, nouæ pugnæ terrorem intuliſſent. Quo perculſi perduelles, cùm vrgerentur ancipiti marte, ſpe conclamatâ victoriæ, fugâ in ſyluas proximas dilabuntur. Vnde poſtmodum fame eiecti, tanquam feræ ab agreſtibus continuo venatu abſumpti ſunt. Victoria hæc Regem periculo in præſens liberauit, haud quaquam curâ in poſterùm. Nam plebeculâ vili, minoribuſque Ducibus extinctis, eminentia coniurationis capita ſupererant, Momorancij, Colinij, & cum Antonio Rege Nauarræ, Ludouicus frater Condæus, quem ſub Ducis muti nomine, præcipuum turbarum incentorem ſeditioſi ſecuti fuerant. Comperta hæc omnia Regi confeſſione captiuorum, & literis interceptis. At neſcium fingere opus erat, donec ſe præſidijs firmaret, vt ſecuriùs ægro Galliæ corpori admouere remedia poſſet, aſpera fortiter, lenia cum dignitate. Cùm itaque auxilia vndique de Belgio, Italia, Rhetia contraxiſ-

Sed fugantur ab equitum turmis.

Eorum exitus, & poſtrema calamitas.

Regis victoria nô plane â metu ſecura.

Montmorenci. Colinij.

Propter capita coniurationis extantia.

Auxilia à Rege contracta, & deliberatio de Hæreticis excindendis.

traxiſſet, initá deliberatione, domi cum Cardinalibus Lotharingo, Turnonio, Guiſiiſque; foris cum Pio IV. Pontifice, & Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ferro, flammiſque Hæreſim excindere paterno exemplo conſtituit. Et iam deſtinata magnam partem proceſſerant è ſententia, cùm primò Regis morbus, deinde mors interuenit. Quam Hugonoti Diuinæ Iuſtitiæ, Catholici Hugonotorum impietati tribuebant. At mutationem Principis ingens rerum conuerſio eſt ſubſecuta. Emerſa Hæreſis ab occaſu (vt in rebus humanis ima ſummis interdum iunguntur) ab ergaſtulis migrauit in Regiam. Siquidem Antonius Nauarræ Rex, qui militari cuſtodiâ aſſeruabatur, tamquam particeps coniurationis Amboſianæ, cuius reus capitalis frater Condæus ad necem addictus fuerat, extemplò à legibus Regni, gubernaculis admouetur, vt ſupremus Regii ſanguinis Princeps, ſub decenni Rege, Præſes vniuerſæ Galliæ renunciatus, quàm antea propè à carcere, tam poſtea fuit à ſolio. Authoritas viri tanti ab Hæreſi non abhorrentis, non impunitatem modò fratri Condæo, Proceribuſque eâdem labe pollutis attulit, verùm etiam magnas incommoditates Catholicæ Religioni in dies erat importatura niſi

Mors intempeſtiua Regis Franciſci Secundi.

Nauarrus è cuſtodia eximitur.

Fit vniuerſæ Galliç Præſes.

Cater. l. 2.

Eius authoritas impunitatem affert Cõdæo, & Proceribus.

Tartur. l. 2.

ra niſi Nauarrus ad Catholicarum partium ſtudium, ſolertiá Pij Quarti Pontificis paulatim reuocaretur. Admonuerat Pium Galliarum Nuncius Proſper Sanctacrucius, Nauarrum de Regno magis, quàm de Religione eſſe ſollicitum, nec perſuaſione, aut genio, ſed conſilio certo, & ambitione in nouam ſectam ſe induere. Spem enim habere, viribus Hugonotorum inualeſcentium in Gallia, ſubſidijſque Hæreticæ Anglorum Reginæ, ac Proteſtantium Germaniæ Principum, à Catholico Hiſpaniæ Rege dotalis Regni Nauarræ partem ſe recepturum. Quod ſi à Catholicis Principibus par, aut maior optato potiundi ſpes offeratur, Nauarrum facilè à patrocinio nouæ ſectæ, ad auitam Religionem tuendam, reuocatum iri. Eòque lubentiùs, quod ingenij placidi Princeps, amanſque deliciarum, vt in rem ſuam redeat, viam tranquillæ pacis turbulento belli negotio ſit præoptaturus. Nec ab opinione prudentiſſimi Præſulis diſcrepauit exitus rerum. Nam Pio Pontifice ſpei multiplicis pretium oſtentante, Nauarræ Rex à noua impietate ita fuit abalienatus, vt honeſtari conuicio impuriſſimi nebulonis meruerit, à Theodoro Beza Iulianus Apoſtata appellatus. Quin miſſis poſtea

Proſperi Sanctacrucii iudicium de Nauarri conſiliis.

Nauarrus magis de Regno, quam de Religione ſollicitus.

Caetr. l.2. Turr. l.2. Buſſerus 19.

Pii IV. Pontificis induſtria, & promiſſis abalienatur ab Hæreſi.

Theodori Bezæ conuicium in Nauarrum, ſed huic honorificum.

Defert obedientiam Romano Pontifici per Legatos.

Romam Legatis obedientiam ſuo, & Reginæ vxoris nomine Romano Pontifici detulit. Quare Pontifex vt iam auerſum ab Hugonotis in Catholicorum partibus firmaret, inſtituit ſeriò cum Rege Philippo agere, vt Sardiniæ Regnum cum Præfectura Sardoi maris exhiberet loco Nauarræ, quam Galliæ conterminam tradere fidei ſuſpectæ Principi, neque Hiſpanæ rei, neque Catholicæ expediebat. Quod ſi difficultas in ea permutatione Regnorum interponeretur, ſe paratum oſtendit Pius Auenionenſem ciuitatem cum coniuncto Vindaſcino Comitatu Nauarro cedere, compenſaturo Hiſpaniæ Rege Sedis Apoſtolicæ diſpendium aliquâ ex finitimis prouincijs Neapolitani Regni. Cùm hæc Romæ, in Gallia, & in Hiſpania tractarentur, ſtrenuam operam Nauarrus Religioni commodabat authoratus in ſpem Regni Regius miles. Verùm in Rhotomagi obſidione ſaucius ictu ſclopi, cùm vrbem expugnatam in lecto compoſito inſtar quadrigæ victor intraſſet, per triumphum proluſit funeri, quo pariter fructus tot laborum, poſſeſſa ſimul, & ſperata Regna ſublata ſunt.

Pius IV. eius rationes adiuuat apud Regē Hiſpaniæ.

Buſſier. l. 19.

Turt. l. 2.

Le Veneſin.

In Rhotomagi obſidione vulneratur, & vrbe expugnata moritur.

Pii V. Pontificis ardens ſtudium tuendæ in Gallia Religionis.

At Pius V. ex Dominicana familia Pontifex Pio IV. ſuffectus, haud minùs ardenter in ſtudium

dium tuendæ in Gallia Religionis incubuit. Propenſus ad pietatem ſuopte ingenio, & diſciplinâ domeſticâ Ordinis, inſuper miniſterio Inquiſitoris Fidei, quod perſanctè obiuerat, incitabatur. Præter interpoſitam ſæpius auctoritatem, quò Carolum IX. Regem ab ineunda pace cum Hugonotis auerteret, addidit conſilio auxilia armorum non contemnenda. Nam quatuor peditum millia de Italia ſubmiſit, cum equitibus mille ſub Duce Sfortia Comite Sanctæ Floræ, cuius gemini fratres, equitatum Marius, Paulus peditatum regebat; cum Latinus Vrſinus peditum, Vincentius Lignanus equitum Tribuni eſſent. Etruſcis quoque copijs Marius præerat, quas Coſmus Primus Magnus Etruriæ Dux Pontificijs adiunxerat; ſub Fabiano à Monte pedites mille, equites ducentos ſub Alberto Pio ductoribus. Qui milites, Duceſque, cum flos Italicæ militiæ eſſent, mirum in modum erexerunt animos Regiarum partium, quæ magis exterorum, quàm popularium virtuti, vt in ciuili bello, fidebant. Quamobrem Rex, & Regina mater cùm Italicas legiones perhumaniter exciperent, teſtati ſunt, hactenus aleam martis tentare non auſos, iam inde ſpem Religionis, & Regni dexteris Italorum

Ab eo ſubmiſſa Regi Carolo IX. armorum auxilia.

Pōtificii exercitus Duces, & copiæ.

Turr. l. 4.

Eius aduentu Regiarū partiū animi eriguntur.

demandaturos. Nec ab expectatione tanta diſſenſit euentus. Nam, exercitibus ad Moncontorium congreſſis, initium victoriæ à Pontificijs cohortibus eſt factum. Cùm enim Sanctæ Floræ Comes conſediſſet cum Italica acie in valle prope tumulum, vnde Catholici exercitus tormenta ſiniſtrum Hugonotorum cornu perpetuis iaculationibus inceſſebant, Gaſpar Colinius damno ſuorum permotus ad ea protinus occupanda ire compulit Prætorianam equitum turmam, quam chlamydes è coccino candidæ diſtinguebant. Hanc procul aduentantem conſpicati tormentorum Cuſtodes moliri fugam viſi, ſeu vero, ſeu iuſſu Sfortiæ, ſimulato metu, Eò ſecuriores Hugonoti, laxatis equorum habenis in ferream globorum procellam ſe induunt. Quâ ſupra quàm ſperauerant ſæuiente diſiecti, & laceri dum nihilo ſegniùs ad tormenta perrumpere tentant, ecce tibi à latere Itali coorti trepidos, & incompoſitos inuadunt. Quamuis autem Colinius non omitteret, quibus author periculi fuerat, ijs periclitantibus adeſſe, exceptus tam ferociter eſt à Sfortianis, vt auerteret in ſe magis, quàm diſcuteret perniciem belli. Tum ſuperuenientibus Pontificiorum auxilio quinque Gallorum equitum alis

cum

Tur. l. 4

Moncōtour.

Victoriæ initium à Pontificiis factum.

Sfortiana acies locum cepit peropportunũ hoſtibus infeſtandis.

Colinius Prætorianos equites opponit Sfortianis.

Sfortiæ ſtratagemma.

Hugenoti circumueniuntur ab Italis.

Colinij conatus irriti.

Marti-gues. cum Martigueſio inſigni Ductore, qui cognomento Miles imperterritus dicebatur; vulneratus in facie Colinius, totuſque ſanguine perfluens abſcedere prælio cogitur, ſuæque fugæ ruinâ partem proximam Germani peditatus inuoluere. *Colinius vulneratur, & fugit cum parte peditatus.* Quæ perturbatio rerum ſub initium certaminis, cùm in acie primarij Ducis contigiſſet, ingens momentum contulit ad victoriam vniuerſam Regis. Qui proinde laudatâ Italorum fide, ac fortitudine Comiti Sanctæ Floræ vexilla ſuá, ſuorumque virtute parta habenda conceſſit. *Comiti S. Floræ vexilla erepta hoſtibus donantur à Rege.* Ea Comes Romam ad Pium Pontificem tranſmiſit, cuius iuſſu collocata in Lateranenſi Baſilica ſpectaculo, ac triumpho populi pependere. *Eadem Romã tranſmiſſa collocãtur in Baſilica Lateranenſi.* Paulò ante Pontificis mortem non nihil offenſionis Pium interceſſit & Regem, à Pij voluntate non re quidem, neque animo, ſed in ſpeciem, & hominum ſuſpicionibus diſſidentem. *Cauſæ diſſenſionis inter Pont. & Regem.* *Turi. l. 6.* Dum videlicet Carolus alliciendis in *Cater. l. 5.* Aulam Hugonotorum Principibus, quos iuſtitiæ, ac Religioni mactare cogitabat, beneuolentiæ minimè vulgaris ijs exhibet argumenta non ſine æmulatione,& ira Catholicorum; Gaſparem Colinium perduellium ante Ducem titulo perhonorifico Patrem appellat; Hugono- *Buſſer. l. 19.* to Nauarræ Principi Regiam ſororem Marga- *Rex beneuolentiam ſimulat erga Colinium & Hugonotos cum offenſione Catholicorum. Nauarræ Regi ſororem deſpondet.*

ritam

ritam deſpondet, ſubdito rumore, deſignari pro dote Belgium Francorum armis occupandum, pretium Nauarræ ab Hiſpano Albretis ereptæ. Quæ fama Gallis externi belli cupidis, vt ciuile conquieſceret, auidè arrepta Belgium quoque, Italiamque peruaſit, facili ob metum credulitate. His rebus permotus Pontifex Michaelem Bonellum Cardinalem Alexandrinum à Legatione Hiſpanica reuertentem equis curſorijs in Galliam properare imperat, non tam vt Regem ad fædus contra Turcas ineundum hortetur, quàm vt à vexando armis Rege Hiſpaniarum reuocet. Legationum comitem, & participem conſiliorum ſubdiderat, præter cæteros lectiſſimos Præſules, Franciſcum Borgiam ex Duce Gandiæ Societatis Ieſu Præpoſitum Generalem, virum genere, opibus, titulis clarum, ſed his omnibus pro Chriſto abdicatis clariorem; quem, dum iſta poſteris tradimus, circumacto ferè orbe centum annorum, adoramus altaribus conſecratum à Clemente X. Pontifice Maximo, eam in Borgia mirante laudem, quam in ipſo terrarum Orbis eſt admiratus. Cùm Borgia Ducatum, & purpuram; Clemens Pontificatum, & Regnum repudiauerit, in generoſa ſummi honoris fuga firmiſſimus,

Vnde metus Belgio & Italiæ.

Cardinalis Alexandrinus Legatus ad Europæ Reges anno 1571.

Pontificis in ea Legatione comitum.

Scotus l. 3. vita Borgiæ.

Additus fuerat Legato comes & particeps conſiliorũ Frãciſcus Borgia Soc. Ieſu Præpoſitus Generalis.

Breuis digreſſio ad Borgiæ Apotheoſim, qua Clemens X. Pont. Max. cum Sanctorum faſtis adiunxit, anno Dom. 1671. Clementis X. mira conſtantia in recuſando ſummi Põtificatus honore, eique pro viribus obſiſtendo.

mus, niſi cogeret inculcatum ſuſcipere Diuinæ voluntatis index conſenſus generis humani, legitimâ Purpuratorum Principum ſuffragatione repræſentatus.

Sacchinus in Borgia.

Aduentantem cum Alexandrino Legato in Gallias Franciſcum Borgiam Carolus Rex huius nominis Nonus honore ſingulari excipiendum cenſuit. Cùm itaque biduo poſt ſolemnem Cardinalis ingreſſum Bleſiam, vbi cum Regina matre Rex agebat, bacchanalium tempore Franciſcus intraret, Carolus amictu viatorio cum penula, & grandibus ocreis perſonatus occurrit, Aulâ Procerum ornatu pari ſub factitijs vultibus Principem comitante. Mox ad colloquium priuatim admiſſum Rex, & Regina parens, per quam reuerenter audierunt. Cùm deploraret initio miſeram rerum Sacrarum in Gallia conditionem, qualem in Aquitanico itinere offenderat; cænobia euerſa; templa ſemiruta, aras profanatas, & mœrentibus Catholicis Hugonotos inſultantes. Cùm deindè ſummâ contentione animi adhortaretur, vt potentiſſimum olim Regnum, quia Chriſtianiſſimum in priſtinum decorem reſtitueret, vnâ ſolùm in Gallijs regnare iuſsâ Catholicâ Religione: cuius magiſterio imbuti populi

A Rege Carolo honorificè excipitur Borgia.

Ab eodem ad colloquiũ priuatim admittitur & reuerenter auditur.

Scotus l. 4. vita Fr. Borgia.

Borgiæ ad Regem pro Religione Catholica tuenda parænesis.

puli ſuum Deo cultum, ſuam obedientiam Regibus præſtent. Contra, Hæreſim exterminaret, quæ legitimas Poteſtates, priùs Eccleſiaſticam, dein Regiam euerſum iret, ſub obtentu tam falſo, quàm ſpecioſo animorum libertatis, qualibet ſeruitute deterioris. Dum ſuam conſcientiam audire tantùm, ad ſeque omnia referre iubet, quot capita, tot tyrannos. Neque conatus, religioſi quidem, ſed ardui euentum ancipitem extimeſcerent; adfuturum enim cauſæ meliori Deum, proque ſuis propugnatoribus propugnaturum. His Borgiæ monitis in occulto propoſito Rex, & Regina firmati gratias maximas agunt, rogantque vt pro reconciliando Superis Galliæ ſceptro ſequeſter intercedat; exoretque Diuinæ Prouidentiæ Numen, vt, quæ ſuauiter inſinuauerat conſilia, ijs in actum deducendis, aſpiret fortiter. Et ſanè quæ mox aduerſa, & luctuoſa Hugonotis, proſpera, & læta Catholicis obtigerunt, tam paulò poſt in Pariſienſi cæde, quàm deinceps vnius planè ſæculi ad noſtra vſque tempora decurſu, apertè indicant, oblatas à Borgia preces apud Diuinam Clementiam valuiſſe, eiuſque ſiue votum, ſiue vaticinium adamuſſim impletum eſſe. Dum hac feliciſſimâ

Galliæ regnum ad priſtinam felicitatem rediturum vaticinatur.

Eius precibus Rex, & Regina cōſilia quæ moliuntur cōmendant.

ætate

ætate progreſſibus æquis Orthodoxam Religionem, & potentiam armorum, ad priſtinum florentiſſimum ſtatum in Gallijs redijſſe cernimus ſub Ludouici XIV. Chriſtianiſſimi Regis auſpicijs, qui non contentus, pro Chriſtiana Fide contra perfidiam Mehemeticam peregrè defendenda, nauibus, aut equis militem ſummiſiſſe, domi bellum inexpiabile Hæreſi indixit; ſinagogis Caluinianis quingentis euerti iuſſis, prohibitiſque Hugonotis omni publico munere, ſeu bellico, ſeu togato.

Borgiæ vaticinatio regnante Ludouico XIV. impleta.

Atque hæc paucula narrationi noſtræ per occaſionem interieciſſe fas fuerit, vt priorum triſtitia temporum mentione meliorum leuaretur, ſimulquè vt Reges, & populi Gallorum exemplis in vtramque partem moneantur, quantis in amoribus vera Religio, quantoque odio Hæreſis habenda ſit; & ſecundùm Hæreſim corruptelæ vitiorum; nàm à prauis moribus ad prauas opiniones præceps eſt gradus.

Conuento Rege Galliarum Cardinalis Legatus agendum perſunctoriè ſibi cenſuit de Francis fæderi Chriſtianorum Principum illigandis; cum probè intelligeret, non vacare Regi malè compoti Galliæ ſuæ ad externa bella reſpicere: acquieuitque ſtatim excuſanti ci-

Legatus perfunctoriè agit cum Rege de Francis fæderi illigandis.

uilia de Religione diſſidia; propter quæ iuxta periculoſum, ſiue Hæreticum militem, ſiue Catholicum ad bellum Turcicum mitteret. Nam Hugonoti præterquam quod eam expeditionem detrectaturi eſſent, odium Regis, & exilium ſuum interpretantes; tum ſi qui non abnuerent, ab ijs Romano Pontifici, & Regi Catholico perinfenſis opemne ſperandam, an perfidiam metuendam? Sin Catholici deſtinarentur, horum fideli defenſione nudatam Galliam ſectariorum licentiæ prædam futuram. In eo igitur laborandum ſtatuit Cardinalis, vt malorum, quæ timebantur, caput euerteret; Regis affinitatem cum Nauarræ Principe Hugonoticæ ſectæ Borbonio Henrico, qui poſtea Hæreſi eiuratâ, Rex huius nominis IV. in Gallijs glorioſè regnauit. Regiæ itaque puellæ ſponſum eá tempeſtate ſplendidiorem oſtentat Sebaſtianum Luſitaniæ inclytum potentiá, & diuitijs Catholicum Regem. Quam conditionem tum amplitudine ſuâ, tum Pontificis approbatione, ac Regis Hiſpaniarum præcipuo ſtudio commendatam cùm repudiaret Carolus, tamquam rebus non integris, promiſſi religionem obtendens, inſuper ſpem tranquillitatis domeſticæ nuptias cum Nauarro conſecuturæ;

Turt. l. 5. Cater. l. 5.

Deinde ſerio nititur eū auocare ab affinitate iungenda cum Nauarræ Rege Hugonoto.

Sorori Regiæ proponit in ſponſum Sebaſt. Luſitaniæ Catholicū Regē, & reijcitur.

In vita Pij V.

hanc

hanc ipſam tranquillitatem, vt omni tempeſta- *Ita reiecta cōditione Card. ad minas conuertitur.*
te ſæuiorem deteſtatus Alexandrinus, cùm in-
Caeo. l. 5. caſſum preces pro mora interponenda nuptijs
adhibuiſſet, ad aſpera minarum conuertitur.
Diſertè Pontificis nomine denuntiat imper- *Nomine Pontificis.*
miſſos hymenæos, irritum coniugium, ſobo-
lem adulterinam, nec vnquam pro ſoluendo
propinquitatis nexu inter ſponſos Regios di-
plomatis copiam Pium Pontificem facturum.
Acrem præterea querelam ſubijcit, plenamque
inuidiæ commiſerationem erga Hiſpaniæ Re- *Queritur etiā nomine Regis Hiſpaniæ.*
gem, cui pro commodatis toties auxilijs Galliæ
laboranti pretium iniquiſſimum, in ſuo Belgio
bellum redderetur; tempore quidem tam im-
portuno; vt irreparabile Chriſtianæ Reipubli- *Et Chriſtianæ reipublicæ periclitantis à Turca.*
cæ exitium timendum ſit à Turcarum Tyran-
no Venetorum ceruicibus imminente; quem
refellere armis, neque Galli vellent, neque re-
felli ſinerent ab Hiſpano. Si Religioni generis
humani periclitanti ſuccurrere Francia nolit,
aut nequeat; ſaltem ne officiat, neque pro Tur-
ca Rex Chriſtianiſſimus militet; diſtringendo
armis Hiſpaniæ Regem in Occidente, cuius
potiſſimum auro, copijſque res fœderis in
Oriente nitatur. Eiuſmodi inuidiæ molem, à
qua tam longè aberat facto, & conſcientiâ Rex,

 quàm

Rex Carolus innocentiæ ſuę conſcius inuidiæ molem ægre ſuſtinet, erumpitque in ſuſpiria & verba ambigua.

quàm prope famâ, & hominum ſermonibus ferebatur, ſuſtinere vix potuit, quin ex intimo ſuſpirium trahens inſpectorem cordium Deum teſtaretur, ſe animum tum iniuriarum Religionis vindicem, tum erga benemeritos memorem habere; modò ſuis conſilijs obſecundarent Superi, facerentque, vt tam felicia eſſent, quàm pia. *Cater. l. 5.* Arreptam ſimul Cardinalis Legati dexteram arctè complexus, annulum grandi adamante pretioſum digito ſuo detractum, eius indici *Turn. l. 6.* inſeruit: habe (inquiens) hunc Præſul generoſe Regiæ fidei pignus erga Romanam Religionem, & Sanctiſſimum Auunculum, vtcumque res aderit ſiue ſalua, ſiue perdita, permanſuræ. Per huiuſmodi ambigua dicta, magnaſque honoris publicè, priuatim beneuolentiæ ſignificationes exhibitas, Alexandrinum placare Rex contendebat; ſed fruſtra. Inſuetus enim Aulæ Romanæ artibus, aſpernari blanditias, vt fallaces didicerat, neque verba penſi habere, queis facta non congruerent. Quare & oblatum dono annulum recuſauit; cùm aſſeueraret, adamante quolibet potiorem Regalem fidem, modò ex animo Rex loqueretur; ſecus, vniuerſas ærarij Gallici gemmas, apud Pium Pontificem, & quidquid in Orbe eſſet Catholicorum,

Placare Card. nititur blanditijs, honoribus, donis.

Sed fruſtra.

Annuli donum Cardinalis recuſat verbis aſperioribus.

infra

infra lutum habenda. His, alijſque Alexandrini dictis aſperioribus, quàm quæ Regum aures teneræ pati ſoleant, Carolus quoque irritabatur, præter ingenitam Principibus impatientiam liberi conſilij, iuuentâ, & corporis habitudine in iram procliuior. Præclarâ vero conſcientiâ nitenti durius videbatur, ijs fidem ſuam ſuſpectam haberi, quibus vt gratificaretur, in occulto impenſiùs laborabat. Sed veniam merebantùr cum Alexandrino Cardinali omnes Catholici, ſi fidem abrogabant Regi, cui nimio plus ab Hæreticis credebatur. Nec temerè; cùm Catholicis verba darentur, Hugonotis honores, opes, magiſtratus. At non veniâ ſolùm, ſed & miſeratione dignus Rex erat, quem neceſſitas Regni, & res duræ ſubegerant dediſcere mores gentis, atque ætatis; abſtruſis in intimum pectus affectibus animi, contriſtare cariſſima capita, inimiciſſimis blandiri, vtque Religioni ſemel in perpetuum conſuleret, minùs pium, minùſque religioſum aliquando Catholicis Principibus, & populis videri. Eòque diſſimulatio proceſſit, vt Aulæ Proceribus, Principumque Legatis, quod genus hominum occultas Regum voluntates odorari ſagaciſſimè ſolet, artes Pueri, & Fœminæ regnantium impoſue-

Quæ Regem offendunt.

Thuan. l. 52.

Sed excuſandus erat Cardinalis & Catholici omnes.

Excusãdus pariter Rex.

Pueri, & fœminæ regnantiũ ſolertia hominibus ſagaciſſimis imponit.

poſuerint. Nam & Hiſpanus Orator vbi belli furto interceptos in Belgio Montes audiuit à *Mons.* Ludouico Orangij Principis fratre non ſine *Cater. l. 5.* ope Gallorum, violatam interpretatus Hiſpanam pacem, nec indici ſuo Regi bellum, ſed *Tuan. l. 6.* iam geri, queribundus abſceſſit. Cùm eum fruſtra retinere conatus eſſet Galliæ Rex, qui Hugonotorum proteruiá id factum ſe inſcio, inuitoque, nimis ex vero, omnem fucum diluentibus lachrymis, deiurabat. Sed cùm ſcriberetur paſſim in Gallia miles, qui arcano Regis conſilio ad opprimendam Rupellam, apertis Hugonotorum ſermonibus ad Hiſpanos adoriendos deſtinabatur; cùmque ingentem auri *Cater. l. 5.* ſummam à Præfectis ærarij erogatam eſſe conſtaret Præfecto Gallici maris Colinio, quem deſignatum expeditionis Belgicæ Ducem; haud dubium erat, adhibito Orangij fratre ad arcana cum Rege colloquia, quibus actum de partiendo inter Gallos, & Batauos Belgio, non rumoribus, & famá, ſed ipſis Hugonotis prædicantibus iactabatur; hæc, aliaque luce clariùs Hiſpano manifeſta faciebant, vt incomperta quoque, ac dubia, pro certis eſſent. Venetorum pariter Legatus per eos dies, inſtigante (vti creditur) Cardinali Alexandrino, Regem

Hiſpanus Orator Aula excedit ob interceptã in Belgio vrbem à Batauis ope Gallorum, retinere abeuntem incaſſum conato Galliæ Rege.

Argumenta multa, quibus incenditur ſuſpiciones Hiſpanorum.

Legati Veneti tentamentum Alexandrino impellente.

gem conuenit. Centum aureorum millia non ita pridem à Senatu commodata repetebàt, cauſatus neceſſitates Turcici belli, cui iam ægrè obſiſti poſſet à fœderatis ope deſtitutis Hiſpani Regis; quem importunè mota in Belgium arma Gallorum à propugnando communi fœdere ad ſua tutanda reuocarent. His auditis Carolus, aliud petere, aliud velle Venetum Oratorem intelligens, perſanctè iureiurando inficiatus, laturum ſe in Belgium arma; & ad reddendam pecuniam, ſi tantopere cordi eſſet, bimeſtre ſpatium expoſcens, vtcumque pacatum in præſentia, quamuis animi varijs cogitationibus confuſum Legatum dimiſit. Sed neque Veneti ingrata poſtulatio, neque inimicus Hiſpani Oratoris abſceſſus, nec frementia Lutetiæ tot millia Catholicorum tantum Carolo negotij dabant, quantum vnus Cardinalis Alexandrinus, qui ob imminentia Religioni detrimenta atrocior in dies apparebat, & implacabilior. Hinc Aulicorum metus, non ex vano, ne Pontificij Legati auctoritas Antiſtites Regni, Clerumque conciret, minùs, atque minùs Aulæ ſucceſſibus lætos; tum quidquid vſquam in Gallia turbidum impelleret, agitaretque. Hanc ſollicitudinem tempeſtiuè ademit Nuncius ex

Rex interpoſito iureiurando negat ſe arma moturum contra Belgiū.

Metus Aulæ Gallicæ, ne Cardin. Legatus Regni Antiſtites, & Clerum conciat.

Italia,

Euaneſcit ob nuncium ægritudinis, deinde mortis Pij V. Pont.

Italia conclamatam ſalutem Pij Pontificis referens. Quapropter Alexandrinus depoſitâ cum Legati officio perſonâ ſeueriore, quam Auunculo iubente induerat, pro munere habuit, vt benignè dimitteretur, rurſus magnificè donatus à Rege commiſerante domeſticum familiæ, & publicum Chriſtianæ Reipublicæ luctum, cumque commemoratione beneficiorum gratiſſima Pij V. Pontificis nomen vſurpante. Interim diffidentia, mœſtitia, ira Cardinalis Legati, omniumque Catholicorum tot indicijs manifeſta perpulere Colinium, ſocioſque, vt neglectis conſilijs amicorum habendam prorſus fidem Regi cenſerent. Nam Rupellenſes, & Hæretici Germaniæ Principes etiam atque etiam admonuerant: blandimenta Regis offenſi terribiliora minis videri; Regiam ſororem Nauarro deſponſam multis millibus capitum Hugonotorum dotatum iri, pluſque ſanguine, quàm vino redundaturam cænam nuptialem. Et quidem, bello in Belgium iam ſuſcitato, hoſtiliterque ab Aulà profecto Hiſpano Oratore, ſpretis inſuper conſilijs, miniſque Pontificiorum, quid vltrà remorari poterat Hugonotos, quò minùs Lutetiam ad Nauarri cum Regia ſorore connubium, triumphum ſuarum par-

Turt. l. 6.

C. Alexandrinus benignè dimittitur à Rege beneficia Pij Pont. grato animo commemorante.

Hugonoti Lutetiã confluũt ad nuptias Nauarræ Regis cum Regia ſorore fruſtrà diſſuadentibus Germanis.

partium confluerent? atque his tantis pretijs ineſcati, in vrbe Catholicis fidiſſima, ſeque & fortunas ſuas Regi permitterent? Concluſis itaque velut in cauea cum ſuo Anteſignano perduellium Ducibus, & ferociſſimo quoque Hæreticorum, Galliarum ſcena, quæ hactenus obducta multicolore diſſimulationum ſipario latuerat, cum ingenti Galliæ motu, & Europæ ſtupore ſe aperuit. Trucidata ſunt vnâ nocte, quæ ſacram Diuo Bartholomæo lucem præceſſit, in vrbe Pariſienſi decem Hugonotorum millia, cum Colinio Gallici maris Præfecto, ipſoque flore ſectariæ nobilitatis. Deinde per alias Galliæ vrbes, & prouincias, denunciatione Regiarum litterarum, propagata cædes ad quadraginta circiter hominum millia peruenit. Externis audita, varijs pro ſtudio partium, ſed magnis motibus animorum; lætis, triſtibus, tumidis, turbidiſque. Quantum ſecuritatis Hiſpanis adiectum in Italia, Belgioque ſolutis terrore Gallici belli, tantumdem Batauis mœſtitiæ, ac deſperationis acceſſit, ſpe promiſſi de Gallia ſubſidij in longum comploratâ. Quare Princeps Orangius, qui exercitum magnam partem Gallis conſtantem adduxerat, vt Ludouicum fratrem in vrbe Montibus obſeſſum ab

Thuan. l. 52. Turt. l. 6. Cater. l. 5. Buſſier. l. 20.

Hugonoti magno numero Lutetiæ cædſtur nocte ſacrã D. Bartolomeo diem precedẽte.

Hugonotica cædes varijs audita motibus animorũ.

Cum gaudio à Catholicis.

Batavi cum Orangijs animos deſpondent deſperatis auxilijs de Gallia.

Albano Duce liberaret, auditâ in caſtris Hiſpanis tormentorum exploſione lætiſſimâ, eiuſque lugubrem cauſam edoctus, cedendum tempori duxit, admonito fratre, vt fugâ ſibi, ſuis honeſtâ deditione conſuleret. At Britanniæ Reginam, Germaniæ Principes, atque Heluetios populos pari Hæreſis labe contactos, non mœror tantùm, luctuſque, ſed ira quoque ſubijt, & indignatio; fremituſque minarum vſque in Galliam exaudiebatur. Conſcientia quippe virium dolorem ad ſpem vltionis erexerat. Contra, Catholici tum ipſius Galliæ, tum in proxima Britannia, Belgio, Germaniaque diſperſi probare gaudio facta, plauſu, & præconijs attollere, reuocandæque ad priſtinam dignitatem Religionis fiduciam ſumere; præter aliquot paucos altioris intellectus, queis in poſterùm cogitationum prouidentiam extendentibus non placebat tot millium hominum cædes, etiamſi iuſta, minùs legitimo peracta more, perfidiâ graſſante, inſidijſque; exemplo quandoque Regibus, & populis abuſuris; cùm deterior vt plurimum fiat, vitio infirmitatis humanæ, imitator auctore. At inſperata rerum Gallicarum in commodiorem Religioni ſtatum commutatio, Gregorium XIII. Pontificem Pio V. ſubrogatum,

Britanniæ Regina, Germani Reguli, & Heluetiorum Reſpublicæ fremunt cupiditate vindictæ.

Spes Catholicorum nõ vanæ.

Quorumdam politicorum iudicia de cæde Pariſienſi.

Buſſieres l.20.

Gregorius XIII. indicit Iubilæum pro rebus Galliæ.

tum, Romam, & Italiam eò liquidiori gaudio perfudit,quò grauior fuerat metus,quem incuſſerat relatione Legationis obitæ Cardinalis Alexandrinus; ne videlicet Galli cum ſuo Rege ab auita Fide deſciſcentes circumiecta Regna, & Italiam præſertim exercitibus inundarent, delerentque veterem Religionem, & Principatum, quem ipſi florentes olim cum pietate,tum viribus, maximam partem conſtituerant. Accepto nuncio ſtatim Pontifex, ab aede D. Marci ad S. Ludouici templum cum Senatu Purpuratorum, & ſacris Ordinibus vniuerſis ſupplicatione ſolemni ſe contulit; indictoque Iubilæo Chriſtiani Orbis populos prouocauit ad Galliæ Religionem, & Regem Supremo Numini commendandos. Colinij verò, & ſociorum cædem in Vaticano deſcribi coloribus iuſſit,monumentum vindicatæ Religionis,& trophæum de Hæreſi profligata. Deinde ſollicitus, quàm ſalubris ægro Regni corpori tam copioſa deprauati ſanguinis miſſio futura eſſet, Flauium Cardinalem Vrſinum à latere Legatum in Galliam deſtinat; qui Carolum Regem Gregorij Pontificis nomine dilaudatum admoneat, vt cæptis audacibus inſiſtat fortiter, neque curationem aſperis remedijs inchoatam proſperè, le-

Iubet in Vaticanis ædibus depingi Hugonoticam cædem.

FlauiumCard. Vrſinum in Galliam Legatum deſtinat.

Vt Regem primò hortetur ad Hæreſim penitus excindendam.

niora intermiſcendo, ancipitem reddat; ſed proſtratam iam Hæreſim opprimere maturet, *Turn. l. 6.* priuſquam ſubſidijs finitimarum gentium alleuata ſuſtollat caput. *Cater. l. 5.* Præter hæc, in arcanis mandatis datum de affinitate cum Hiſpano, fœderibuſque iungendis, quibus aduersùs Britanniæ, Germaniæque minas Rex Galliæ ſe tegeret.

Deinde ad affinitatē & fœdus iungenda cum Hiſpaniæ Rege contra terrores Britāniæ, atque Germaniæ.

Tam grauibus curis oneratus Cardinalis in viam ſe dederat, cùm ſuperatis Alpibus Camberiaci, *Chambery.* acceptis primùm ab Galliæ Rege, deinde à Romano Pontifice litteris, *Turn. l. 6.* interſiſtere iubetur iter vſque ad nouum imperium. Cauſa moræ, impeditiſſimus Galliæ ſtatus, & perplexæ ſuper aduentu Cardinalis Legati in Regio Senatu conſultationes, quas ipſe Rex aperiendas per Oratorem ſuum Gregorio cenſuerat, monendumque, quàm affecta, quàm exulcerata poſt Pariſienſem cædem res Gallica eſſet; cùm tumultus domi, foris bella, vbique minæ Hæreticorum, & lamenta perſtreperent; quapropter Pontificij Legati acceſſus tali tempore, neque mittenti Romæ decorus, neque tutus excipienti Galliæ putaretur. Cùm tamen ſecus Gregorius iudicaret; eò iam progreſſum Cardinalem Legatum, vt retro iter vertere, nec ſaluâ dignitate ſuâ poſſet, nec ſine incremento intole-

Reliſtere Camberiaci iubetur Card. Regis Galliæ admonitu.

Cauſæ ab Oratore Regis aperiuntur Pōtifici.

Hic ſecus iudicat eiuſque auctoritati Rex cedit.

intolerando audaciæ Hugonotorum; Pontificis venerationi eſt attributum, vt Lutetiam tandem ſolemni exceptus gratulatione Vrſinus intraret. Breuí expeditum iri, fœderibus prorſus infectis augurati ſunt qui perſpectas conditiones circumſidentium Regem Conſiliariorum habebant. Quoniam Aulæ, quàm militiæ artibus meliores vnà cum Regina matre auerſabantur belli conſilia, vtpote quæ ſummam rerum in manus militarium virorum à togatorum arbitrijs auerterent. Iſtorum operâ circumuentus ciuilis, & externi belli terroribus Rex eò potiùs inclinabat, vt Angliæ Reginam, & Germaniæ Principes Hugonotorum patronos aliquâpiam ſatisfactione leniret, quàm vt, iungendo cum Hiſpanis ipſorum hoſtibus fœdere, de amicis dubijs apertos inimicos faceret. Quare litteris, & edictis publicè datis affirmauerat: Pariſienſem cædem odio perduellionis, non Hæreſis patratam; Colinium, ſocioſque coniurationis nefariæ reos, non Religioni, ſed iuſtitiæ vindici dediſſe pœnas; quæ graſſata eſſet in prouincijs ſtrages vti cœptam inſcio Rege, ita eo ſeueriter inhibente fuiſſe cohibitam. At ſemel, iterumque ad arcanum colloquium admiſſus Cardinalis Vrſinus Gregorij Pontificis nomine Re-

Card. Legatus perhonorificè Lutetiæ Pariſiorum excipitur.

ReginaMater, & Regis Conſiliarij abhorrent à belli cōſilijs.

Turr. l. 6.

Cater. l. 5.

Rex Carolus Britanniæ Reginam, & Germaniæ Principes placare nititur.

In literis & edictis affirmat cædē Pariſienſem patratam nō hæreſis odio, ſed perduellionis.

ne Regem ad ſocietatem armorum ineundam
Card. Legati cum Rege colloquium. contra Turcas inuitauit: inſtititque, vt Regale
ſaltem nomen adſcribi fœderi pateretur, nihil
1. de fœdere ineundo contra Turcas. prorſus onerum ſubiturus. Inde ſplendorem
bello quærere fœderatos, amplumque putare,
ſi Regem Franciæ in commilitonibus numerent. Sub inani ſpecie honoris rem ſolidam fœderis procurabat Gregorius; nimirum, vt ſecurior Hiſpanus in Turcas arma verteret, ſuſpi- *Turr. l. 6.*
2. de affinitate iungenda cum Rege Hiſpano. cione liber Gallici belli, non temere ortâ propter vetus Caroli fœdus cum Britanniæ Regina, Germaniæque Principibus. Alterum deinde actum ab Vrſino, quod ſi procederet cætera in procliui futura erant, de copulandis affinitatis vinculo Regibus per Philippi Secundi filiam Catharinam, quæ Sabaudo poſtea nupſit, An-
3. de Britannia pro dote aſſignanda. degauenſium Duci collocandam. Pro dote Britanniæ Regnum dicebatur, Eliſabethâ, vti notha, & Hæreticâ, ſolio deiectâ. Conſociatis Galliæ, atque Hiſpaniæ Regum armis, additis viribus fauentium Religioni Catholicæ Britannorum, haud permagno negotio Angliam obtineri poſſe, nouoſque ſponſos, & Reges in eam poſſeſſionem induci: quæ res amborum imperijs, ob diſpares cauſas ex æquo commodatura eſſet. Francis, metu ſublato ab Anglis

anti-

antiquiſſimis hoſtibus; Hiſpanis, exemptâ moleſtiâ recenti ab ijſdem, Batauo perduelli patrocinantibus. Quod ſi à noui belli conſilijs abhorrerent animi Regum, Comitatum Burgundiæ dotem confecturum, cuius prouinciæ detractio Hiſpanæ magnitudini permodica ſit; *Aut Burgundiæ comitatu.* ex altera parte ad amplificandum imperium *Turr. l.6.* Regij fratris addente Carolo proximos Sebuſianos, *La Breſſe.* quos Gallo Sabaudus cedere ſit paratus, *Marc chef. di Saluzzo* pro his Salutienſium Principatum accepturus. Hanc item conditionem vtrique Regi probabilem fore; quoniam Franco reuulſum à Galliæ corpore nobile Burgundiæ membrum reſtituat; Hiſpano pacatiorem Italiæ poſſeſſionem reddat, ſemotâ longiùs æmulâ potentiâ Gallorum. His auditis Carolus Rex, cùm benignè *Rex Carolus benignis exceptum verbis Card. Leg. re vacuũ dimittit.* verbis Vrſinum excepiſſet, ne gratia, quam ſibi conciliauerat apud Pontificem Hugonotorum cæde, deperiret; re prorſus vacuum Cardinalem Legatum dimiſit. Nam, quoad bellum *Cater. l.5.* Turcicum, omnibus liquere reſpondit, quàm aliena Galliæ temporibus ea expeditio eſſet. At *Cauſas reddit.* *Turr. l.6.* præbere fœderi nudum nomen, Galliamque facere terriculamentum inane Turcis, præterquam quod fœderatis inutile, indignum videri gloriâ gentis, cuius viribus olim Oriens domitus,

tus, etiamnum famam Francorum exhorreſceret. Cæterùm nuptias inter Catholici Regis filiam, & fratrem Ducem Andegauenſem non diſplicere; modò apud omnes gentes recepto more, ſponſam Rex pater, non Rex frater ſponſum dotaret; neque pro dote deſignaretur bellum; idque aſperrimum, quale Britannicum: cuius diſpendia, periculaque, pars multo maior in Gallos inclinatura eſſent, vt in propinquos. Quod ſi affinitas, & fœdus cum Francis Hiſpaniæ Regi cordi eſſent, quin Mediolanenſem Ducatum, aut Regnum Neapolitanum, antiquas Gallorum poſſeſſiones pro dote nuncuparet, vnâque operâ præcideret poſteris materiem bellorum? Ad hæc ſubridens Vrſinus cùm negaſſet, in more eſſe Regibus, prouinciarum pretijs mutuas affinitates emercari, præſertim vbi proles idonea ſceptris in familia non deſit; imò (ſubiecit Carolus) ne his quidem ſe conditionibus aſſenſurum, niſi præſenti pignore pactorum firmitati caueretur; traditâ videlicet Auſtriacâ Infante in manus auiæ Reginæ Gallorum educandâ, donec nuptijs adoleſceret; permiſsâque ſtatim adminiſtratione dotalis Regni Sponſo Andegauenſi. Ne verò Cardinalis interpretaretur, agendi formam

Turn. l. 6.

tam

tam abruptam eius eſſe, qui nihil actum de nuptijs vellet, conſilij rationem candidè Rex aperuit. Neque ingenijs Gallorum, neque Regni ſui neceſſitatibus Hiſpanorum cunctationes tolerabiles videri; etiamſi fallaciæ abeſſent, & ludibria, qualia experti ſint, in Antonio Nauarræ Rege ſpe longâ Sardoi Regni, vel Auenionenſis Comitatus vſque ad vitæ finem circumducto. Per eiuſmodi dicta fœderis, & affinitatis tractatione diſcuſsâ, Cardinalis Legatus in Italiam reuertitur. Quæ tamen eius reditum conſecutæ ſunt in Gallijs turbæ Gregoriani conſilij veritatem approbarunt. Dum enim Carolus blandimentis placare animos exacerbatos atrocitate factorum nititur; & prioris fructum ſeueritatis corrupit, & Regiæ maieſtatis contemptum in vtriuſque factionis hominibus ingenerauit ex variante tenore conſiliorum. Palam id factum poſt diſceſſum Henrici fratris Ducis Andegauenſis, quem clarum victorijs de Hæreſi reportatis è Gallia Poloni ſuum ad ſolium aduocauerant. In eo quippe Hugonoti, quamquam Religionis acre ſtudium, perinde ac in Rege oderant, ſpectatam tamen in bello fortitudinem magis reuerebantur. Hoc remoto per abſentiam metu, horri-

Sardegna.

Vrſinus in Italiã reuertitur.

Cater. l. 5.

Horribilis cõiuratio contra Regem Carolum detegitur poſt diſceſſum Henrici Fratris in Poloniæ Regem electi.

F bilis

bilis coniuratio Regno, vitæque Caroli, vel per incantationes magicas imminens deteɛta eſt; quam non ex Hugonotis modò, ſed ex Catholicis quoque coaluiſſe ferunt ſub auſpicijs Alenconij, Nauarri, Condæique, Regij ſanguinis Principum. *Tum. l. 7.* Hanc æger corporis, animique Rex dum diſſimulatione ſummâ perueſtigat, non omiſit Gregorius per Iacobum Saluiatum Nuncium rurſus hortari, vt ſocietatem cum Rege Hiſpaniæ coiret, vnicam rationem, ac viam, quâ & propinquos Principes in officio teneret, & opprimeret perduelles. Prudentibus Gregorij monitis ne acquieſceret Carolus, obſtabant callidæ machinationes politicorum.

Gregorij conſilia non amplectitur Rex Carolus.

Quod genus hominum ius, faſque Regnorum, poſthabitâ curâ æqui, honeſtique vnâ vtilitatis decempedâ metiuntur; iniquis conſilijs, vti conſentaneum eſt, infauſto plerumque reſpondente exitu.

Obſtantibus Politicis.

Hi, pro ſedandis domeſticis turbis, opus eſſe bello externo dicebant: mittendos auxilio Belgis tumultuantibus Alenconium, aut Nauarrum, vt ſub illorum ductu turbulentus Galliæ ſanguis Hiſpanos gladios hebetaret. In lucro enim deputandum, vtri perirent, vel Hæretici ciues, vel Catholici hoſtes; hoſtem enim Hiſpanum, vt potentiæ æmulum inter-

Qui bellum ſuadere conâtur contra Hiſpanos vt vtilius.

interpretabantur. Auerſus maximè ab hac ſententia propter pietatem, & Regalem altitudinem animi Carolus erat. Quandoquidem plus commodi, ſed minus æqui, infamiæ autem plurimum præſeferebat. Hiſpaniæ quippe Regem tali tempore oppugnatum ibat, cùm illi aduersùs communem hoſtem Turcam belligeranti vniuerſos Orbis Chriſtiani Principes adeſſe oporteret. Ad alias igitur rationes compeſcendorum tumultuum conuerſus, Alenconio, & Nauarro (nam Condæum in Germaniam abſtulerat fuga) fidiſſimorum militum cuſtodiam circumdedit. Tum expreſsâ per tormenta reorum confeſſione, cauſâque legitimè cognitâ, reuoluere in authores exitialem procellam meditabatur: anxius interdum, & queribundus, quod ſæuire in Regium fratrem, & Regem affinem cogeretur, ſi vellet fortunas, vitam, & Religionem eſſe ſalua. Sic inter ancipitia fluctuanti, cùm aut hauriendus Propinquorum ſanguis, aut ſuus dandus videretur, ſollicitudinem ſors exemit; conſilio, cui impar erat, morte diſcuſſo. Quæ idcirco viſa minùs acerba, cùm vitam præriperet in flore annorum, & curſu rerum, nec ſuperſtite ſobole regnaturâ. Quamuis id ipſum ad ſolatium mo-

Rex abnuit propter pietatem, & generoſum amorē æqui, honeſtique.

Statuit punire coniurationis Principes Alenconium & Nauarrum.

Non ſine angore animi & ſollicitudine.

Quam eximit mors viſa opportuna, quāuis acerba.

 riens

Cum pro ſolatio eſſet ſucceſſor futurus Poloniæ Rex Regno maturus ob ætatem, & experientiã.

riens traheret: quod ſucceſſorem eſſet habiturus fratrem Poloniæ Regem, maturum iuuentâ, vſuque regnandi. Nam experimento ſuo didicerat, quantis turbinibus in Gallia puerilis ætas Regum quateretur. Mors Caroli Regis Gregorio Pontifici curas cumulauit. Quippe anxius, ne quid in Gallia turbaretur per abſentiam ſucceſſoris, Fabium Mirtum Archiepiſcopum Nazarenum ſpectatæ probitatis, & prudentiæ Præſulem eò miſit, qui Reginam ex filij teſtamento per interregnum res moderantem conſilijs iuuaret. Nam ſuſpicio inceſſerat, ne Dux Alenconij Regis frater ætate minor, Hugonotorum fauore ſubnixus vacuum ſolium irrumperet. Porro ad excipiendum Henricum III. Franciæ, ac Poloniæ Regem in Italiam deſcendentem, deſtinauit Philippum Boncompagnum filium fratris Cardinalem S. Sixti à latere Legatum; cùm ex patria vrbe Bononiæ Philippum Guaſtauillanum ſororis filium aduocaſſet, ornatumque Vaticanâ purpurâ conſobrini munus, & vicem in Aula Romana ſuſtinere iuſſiſſet. Legato autem Cardinali præcepit, vt excultum omni officij genere Regem inuitaret ad viſendam Vrbem, olim terrarum, nunc Religionis principatu, & glorioſis Diuorum

Gregorius Archiepiſcopum Nazarenum mittit in Galliam, vt Reginæ adſit conſilijs.

Contra tentamenta Hugonotorum.

Mittit fratris filium Cardin. S. Sixti à latere Legatũ ad Regem Poloniæ in Italiam deſcendentem.

Qui Regem inuitet Romam ad colloquium cum Põtifice.

rum

rum exuuijs nobilem. Vnde poſtmodum paratam ad mare proximum Pontificiam claſſem inſcenderet Maſſiliam aduehendus. Quod ſi longiùs digredi graue eſſet, rogabatur, vt Bononiam Clementis VII. & Caroli V. congreſſu celebrem viæ flexu modico declinaret, eò conuenturum Pontificem appellandi Galliæ Regis de communibus Chriſtiani Orbis negocijs perquam auidum. In magnam enim ſpem Gregorius venerat, non ſolùm Hæreſim, quam priuatus alieno ſub auſpicio Henricus profligauerat, Regem ſuo debellaturum; verùm etiam inſtrumentum Pontificijs conatibus idoneum fore, quo Chriſtianæ Reipublicæ vires in vnum aduersùs Othomanum coaleſcerent, & renouatá veteri gentis gloriâ, reuolueretur ad Francos Orientis Imperium. Tantam expectationem conciuerant relatæ antea palmæ, amplificata geminis diadematis authoritas, & potentia, ingenium rerum maximarum capax, par animi magnitudo, nec à maieſtate fortunæ diſſentiens dignitas oris, eximia conciliandis populorum animis comitas, & liberalitas, ad confirmanda quæ vellet, aut refellenda facundiæ vis prompta; tum corporis firmitas, & ferendis belli laboribus iuuentæ ro-

Aut Bononiā.

Spes Gregorii concepta de virtute Henrici III. Franciæ & Poloniæ Regis.

tæ robur, cum tolerantia inuicta periculorum; nondum enim ſe voluptates animo ſuperfuderant, quæ antehac in Gallia Fratris reuerentiâ, in Polonia gelu regionis, & diſciplinâ gentis conſtrictæ tenebantur. Prætentati familiares Regis à Boncompagno ſpem congreſſus ademere. Obtendebant feſtinatum in Gallias iter ad colloquium Reginæ matris; metum quoque, ne conuentus tantorum Principum ſuſpiciones magnas Hugonotis conflaret; quamobrem celeriùs, quàm rei Catholicæ expediret, in bellum concitarentur. Verior cauſa, Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis authoritas, quem ſui itineris moderatorem iactantiâ quadam, gloriâque Rex conſtituerat. Neque detrectauerat opportunitatem Sabaudus, quâ per inane obſequium ſolidæ vtilitati conſuleret. Permagni eius intererat, Regium iter, non modò Romam non auerti ab Alpibus, & vrbe Taurini, vbi Henrico magnificentiſſimum adornabat hoſpitium; ſed neque modico diuerticulo per Inſubriæ vrbes deflectere; quo videlicet ſpatium prolixius reſeruaret ſibi, & Margaritæ vxori, Regis Henrici amitæ, ad ipſum blanditijs hoſpitalibus demerendum, exorandumque, vt Pinarolij, & Sauiliani arces,

Congreſſum cum Pont. Rex abnuit.

Cauſã affert.

Alia cauſa verior.

Cater. l. 6.

cum

cum Peruſia valle, iam inde à Cameracenſi pace præſidio Gallico inſeſſas, Sabaudiæ Ducibus reſtitueret. Quod in præſentia Rex benignè pollicitus, poſtmodum fideliter præſtitit; fruſtra dehortantibus Conſiliarijs, Niuernenſium præſertim Duce Salutienſium Gubernatore. Qui Sabaudum impendio breuiſſimi obſequij grande feciſſe compendium dicebat, ſeque, & poſteros à longa ſeruitute abſoluiſſe. Excluſus alloquio Regis Gregorius, quæ forſan agendo coram peruiciſſet, ea per Cardinalem Legatum, & Nuncios incaſſum ingerere conatus eſt. Pro Pontificiæ Dignitatis officio, ad vindicandam vbique terrarum Religionem intentus, author erat, vt Hugonoticam ſectam tot debilitatam cladibus ad interitum vrgeret. Neque modicis auxilijs peditum, equitumque oblatis hortamenta cumulabat, cùm ad eam expeditionem inſignes per Italiam Duces conſtituto ſtipendio authorauiſſet. Suadebat præterea, vt cum Hiſpaniæ Rege amicitiam iungeret fidelem, & firmam; à coniunctione tantorum ſyderum, tam Hæreſi in Septemtrione, quàm Mehemeticæ ſuperſtitioni in Oriente ſupremum exitium meditatus. Pro multiplici ſignificatione honoris, amoriſque ſingulares Gregorio grates

Perolo. Cambray.

De Ne-uers.

Conſilia Pont. per Card. Legatū inſinuata Regi, & auxilia oblata ſed fruſtra.

grates peragendas intelligens Henricus, Gallum in id nobilem ex Aula Romam ſubmittit, qui ſimul nunciet obortam ſpem pacis in perpetuum cum Hugonotis firmandæ, quos bonâ fide redituros ad obſequium Comes Palatinus Rheni, & Haſſiæ Lantgrauius pollicebantur. Ne tamen nihil conceſſum Pontificijs monitis videretur, Mediolanenſem Ducatum ingredi, exhibitumque à Gubernatore Philippi Regis nomine hoſpitium ſplendidiſſimum excipere non recuſauit; cùm antea montano itinere Gallias petere decreuiſſet, declinatâ Italiæ parte, quæ Hiſpano paret. Poſtquam Taurini dies aliquot apud Regios hoſpites verſatus fuerat, exinde lento gradu per Allobroges Gallias ingreditur. Verùm qui ante annum Hæreſi penè in Gallijs excisâ ad Poloniæ ſceptrum ſumma cum gloria migrauerat, ad paternum ſolium reuocatus, dum alius quàm abierat reuertitur, aliam quoque fortunam expertus eſt. Neque enim ſolùm, vt ex priuato Princeps cum perſona ſtudia mutauerat, expunctoque Andegauenſi Duce, Frànciæ, ac Poloniæ Regem induerat cum artibus regnandi vel æquis, vel iniquis, quas illi faſtigio conſentaneas putaret; verùm etiam vitia regnantium adſciuerat pro virtutibus

Henrici III. mores cum fortuna mutati.

tutibus

tutibus: prodigentiam in iuuenes Aulæ gratioſos, licentiam in muliercularum amores, & otij deſidioſi ſtudium vſque ad delicias, quaſi gloriæ iam ſaturo voluptatibus ingurgitari, is demum fructus Imperij eſſet. Porro Religionis patrocinium, quod antea pro re nata palam ſuſcipiebat; Regio fratri primas Guiſijs deferentibus, ad Regnum euectus, aut repudiandum in poſterum, aut diſſimulanter tuendum cenſuit. Tum ne Hugonotos irritaret, queis inuiſum ſuum nomen ob illatas clades non ignorabat; tum ne Regiam Maieſtatem addicere videretur factioni Guiſiorum; quibus apertè per id tempus Catholicorum capita ſe oſtentantibus, in Gallia pro eodem habebantur Catholicæ partes, & Guiſianæ. Cùm itaque factionem Hæreticam ſuis cum Ducibus odiſſet, propterea quod impudenti latrocinio arces, & vrbes Regale patrimonium vſurpabant: Catholica placebat ipſa, non placebant Duces, qui ſanctiorem cauſam profeſſi, eius curandæ prætextu, ſi quid ſupererat authoritatis Regiæ ab hoſte intactum, amici ereptum ibant. Vacuum in medio ſolium, precarium ſceptrum, pro fabula, & ludibrio Regale nomen; nec manſurum, vbi rerum iam potitis, inſignia hono-

Cauſe, cùr lentus fuerit in Catholica Religione tuenda.

Catr. l. 6.

Eiuſdem odiū in Hæreticos, & Guiſianos.

ris concupiſcere vacuum foret. Quamobrem ambobus quam vehementer iratus, at ſecundis, vt euentus docuit, implacabiliùs, in arcanum cordis conuocatis conſilijs, deliberatum, & conſtitutum habebat, neutros incolumes pati; ſed medium vtriſque ſe gerendo, vtroſque perdere variâ arte, dolis, vi, pace, vel bello. Siue ea ſententia propria fuerit, & ſuopte ingenio enata, vbi Regnum, Regnique rationes introſpexit: ſiue Venetijs in tranſitu inditam à Senatore Molinæo, in Galliæ rebus per diuturnam Legationem exercito, cogitando, meditandoque ſuam fecerat, atque vt ſuam ardentiùs amabat, & perſeuerantiùs tuebatur. Interim, dum fortuna ſtruendi aduerſarijs exitij occaſionem daret, exceptos alloquio perbenignè, tacitis execrationibus deuouebat. Erumpentibus ad vltimum odijs eò prouectus, vt, ne cum inimicis regnaret ſuis, cum ijs perire maluerit. Ad perficiendum propoſitum tam arduum, permulta, & grandia molimina præſtituere cogitabat: attollere, deprimere, librare vires factionum, ne alteram altera obrueret, ſed pariter colliſæ, laſsitudine, & clade mutuâ conficerentur. Cùm interim ipſe Rex tertiam ſuſcitaret mediam, & Regiam, quam opibus, clientelis, prouinciarum,

Contra vtroſque ab eodem ſuſcepta conſilia.

Cater. l. 6.

Tertiā factionem ſuſcitat.

rum, exercituum adminiſtratione firmaret, domeſticis, externiſque circumuallaret præſidijs, quibus paratis inſurgeret paulatim Regia dignitas, vtriuſque partis in ſe munia verteret, & Reipublicæ tandem clauum è factioſorum manibus volentium, nolentium extorqueret. Huic machinæ conſiliorum, quoniam commodior quies armis videbatur, inter arma quieti velificari ſtatuerat. Inchoatum iam bellum ſegniùs vrgere, proque accerrimis Ducibus remiſsiores ſubſtituere, ita vt in Gallia magis pax non eſſet, quàm bellum gereretur. Ne videlicet, exciſâ Hugonotorum ſectâ, quæ à Pariſienſi clade debilior iam erat, Catholica cum Duce Guiſiò pretium victoriæ faceret Regis ſeruitutem. Tam longè prouecta cogitationum prouidentia, quæ Principem ſibimet imperantem, ac magnis virtutibus accinctum ad optatos fines vtcumque perduceret, nacta mollem, ac delicatum, nec propoſiti ſatis memorem, ob multiplicata tributa inuiſum plebi, propter indulgentiam in paucos odioſum nobilitati, totique Galliæ grauem ob immutatam interioris regiminis formam, à deſtinatione Regis diuerſum, imò oppoſitum exitum habuit. Nam cùm Hæreſi laboranti eâ gratiâ parcitum eſſet, ne à Catholicis

Infauſtus eius Conſiliorum euentus.

G 2 victo-

victoribus leges darentur, ea propter leges à Sancto Fœdere Rex accipere coactus eſt, quod Hæreſim non ſuſtulerit.

Initio Regni miram exhibet morū varietatem.

Neque felicius artes proceſſere, quibus primordia Regni conſignauit mirabili rerum diſiunctiſsimarum coniunctione. Cùm enim ambarum factionum animos conciliare ſibi niteretur; dum abſurdis id rationibus affectabat, effectum eſt, vt offenderet apud vtroſque. Nimirum vt Catholicis religioſus videretur, cum Hieronymianis vocatis in Regiam Diuinas laudes concinere, ritu ſodalium pœnitentium flagella *Thuan.* 59. ſubire, duodecim togatis hominibus comitatus *Turr.* l. 8. Apoſtolorum cœtum referre; quos aliquando *Buſſier.* l. 20. veſte coccineâ cùm induiſſet, materiem ioco præbuit, eò ſtudio Religionis prouectum Regem, vt Summi Pontificis munia vſurparit, in amicis Romanâ purpurâ decorandis. Rurſus, vt apud Hugonotos ingenij lenis, & clementis audiret, deleretque ſæuitiæ notam contractam Pariſienſi ſtrage, quæ illi maximam partem imputabatur, choreis, conuiuijs, amoribus immoderatiùs operam dabat.

Choreis etiā, & amoribus indulget.

Verùm his artibus nouus Rex opinionem ſui aliter quam vellet in popularium animis mutauit. Nam Catholici, quos Regis intererat ipſius pie-

pietati, religionique confidere, fidem non habebant ineptæ ſimulationi ſanctitatis, quam ſcirent cum laſciuia, tamquam hominem cum bellua copulari non poſſe. Contra, Hugonoti imitamenta exaggeratæ pietatis, vt ſincera trahebant in crimen, quaſi ex inſito ſtudio Fidei Orthodoxæ moliri perniciem Caluinianæ ſectæ perſeueraret. Plebes in vniuerſum Regem ingenio non placidum, ſed degenerem, atque effæminatum Regalis fortunæ blandimentis interpretabatur. Nec iniuriâ; cùm cerneret minùs appetentem laboris, minùs inſolentem deliciarum, magiſque theatris gaudentem, ac muſicis, quàm aciebus, & buccinarum cantibus; proque militaribus equis, Melitenſibus catellis indulgentem in tantum, vt centum aureorum millia quotannis in eiuſmodi mercandas nugas inſumpta Gallus Hiſtoricus narret. Hinc apud bellicoſos populos reuerentiâ paulò antè formidati Principis exoleſcente, priores Hugonoti cornua tollere cœperunt; quod vltro detulerant per deprecatores Germaniæ Regulos obſequium, iniquarum conditionum contumaciâ deſtruere; eòque audaciæ progredi vſque ad ludibrium Maieſtatis, vt è Delphinatium collibus decurrentes Duce Mombruno, Regia

Cũ detrimento exiſtimationis apud Catholicos, & Hæreticos.

Plebes effæminatum indicat deliciis regalibus.

Thuan. l.60.

gia

gia impedimenta diripuerint, cùm è Sabaudia Lugdunum deportarentur. Quare ad arma reſpicere compulſus Rex, haud tamen oblata ſubſidia militum Italorum à Gregorio accepit, pecuniam loco militum poſcens, tanquam expeditius ad omnes occaſiones inſtrumentum, cùm abundare Galliam bellatoribus diceret. Neque enim ſeriò, ſed perfunctoriè bellum gerere conſtituerat; quò Catholicorum inſtigationibus in ſpeciem obſecundaret, ſimulque vt Hugonotis imbecillitatis virium admonitis pacem optabilem redderet. At Gregorius renuit pecuniam mittere pro exercitu; ne ſine Galliæ vſu periret Sedis Apoſtolicæ beneficium. Romam enim iam peruenerant Gallorum querimoniæ de immoderatis Henrici profuſionibus in adoleſcentes aliquot ad inuidioſam potentiam euectos; quos, tributa tributis exaggerans, paupertate publicâ ditabat. Cùm autem, ærario paucis menſibus diſſipato, non eſſet vnde ſumptus bello ſuppeterent, interque cætera, laboraret inopiâ ſummâ rei tormentariæ, quam Regij Quæſtores ingenti pretio coemere in Italia parabant, odoratus id Pontifex haud modicam nitrati pulueris vim vndique contractam, impoſitamque Pontificijs quinquere-

Renuit Pontifex pecuniam pro exercitu mittere.

Ob immodicas Regis profuſiones.

Nitrati pulueris copiam Regi ſubmittit rei tormentariæ indigenti.

queremibus Maſsiliam vſque Regi dono tranſmiſit; eidemque paulò poſt flagitanti, vt bellum pro Religione ſuſceptum Eccleſiæ opibus ſuſtentare liceret, datis duobus diplomatis vicies centena Francorum millia ex diuenditis Eccleſiaſticorum in Gallia prædijs colligendi ius fecit. Interim gliſcebat Regis contemptus, atque odium domi, foriſque; dum vitam agit deſidem, & voluptariam, rarus in publico, nec equo ſedens militariter more gentili, ſed aut in lectica ſpecularibus chriſtallis pellucida, vel in rheda inaurata Lutetiæ vicos, & fora circumuehitur, cum Aloyſia Regina Vademontij Comitis filia, quam adamatam ſibi ante Polonicum ſceptrum, mox patriæ redditus in conſortium thori, ac Regni adſciſcere non dubitauit ſtatim à morte patrui Cardinalis Caroli Lotharingi, cuius viuentis authoritatem ſummam nimio plus augere Regiá affinitate pertimuerat. Nam frænos, & modum impotentiæ amoris in Regibus potentior libido regnandi conſtituit. Initio autem nouam Nuptam tam ardenter dilexit, vt colendæ muliebri mundo, ac margaritis ornandæ operam matutinam inſumeret. Vnde iocandi anſa Gallicæ dicacitati: ſub ortum Luciferi, cùm ſigna Duces, & ca-

Eidem poteſtatē facit magnam pecuniæ vim ex diuenditis Eccleſiaſticorum prædijs colligēdi.

Regis cōtemptus, & odium ex vita deſide, ac voluptatibus dedita.

Cater. 16.

Aloyſiam Lotharingā olim ſibi adamatam ducit vxorem.

Eius cultui matutinū tempus inſumit.

Scomma Gallorum in Regē vxorium.

& caſtra mouebant, Franciæ Regem pro diſtribuendis in acie copiarum ordinibus, in gynecæo colligere ſolitum vxorios crines, & ordinare; tamquam Aſſyria in Regia inter ſpadonum greges, non inter martiales Duces verſaretur in Aula Francica armis, & armatis horrente. Neque meliùs audiebant familiares conuictus, & conſuetudines amicorum; dum ſui copiam pauciſſimis facit in conclaui, vbi materia ſermonum, non bella, vel Regni curæ, ſed amorum vana, vel impiæ regnandi artes è Machiauelli ſchola petitæ, per dolos, & fallacias ad ſubuerſionem potentium validæ. Quarum magiſtellis acutis quidem ingenio, ſed neque ætate, neque rerum experientiâ firmis tantum tribuebat, vt in eos opes, & magiſtratus congereret, poſthabitis Proceribus virtute præclaris, aut ſanguine, ipſoque Alenconij Duce præ ijs vitam ingloriam, atque inopem trahente. Quem ſanè Regium fratrem, nondum ſobole aucto Regi, ſi minùs virtus, quæ illi non abundabat, ſanguinis certè neceſſitudo vt propinquum ſolio caput commendare debuerat. Propter has labes, quæ in priuatis hominibus famam, in Principibus etiam rem deterunt, auerſis à Rege Procerum, ac popularium animis, primus ad rebellandum

Eiùs familiares rerum imperiti, & prauæ politicæ ſectatores.

Horum apud Regem auctoritas.

Omnibus Regni Proceribus, atque etiã Alenconio Duci preferuntur.

Carr. l. 6.

gra-

gradus per audaciam obtrectationum eſt factus. Proſcindi paſſim, & lacerari Regium nomen; contentiſque hoc genere vltionis plebis hominibus, potentiores in minas prorumpere; auditæque Ducis Alenconij voces, quaſi defectionis claſſicum canentes, cùm irriſus in chorea ab familiaribus Regis plenus irarum foras ſe proriperet. Gnara hæc turbamenta Galliæ Gregorio, vt etiam apparatus armorum in Germania inſtitutus, Condæo Principe pro Hugonotis ingentem exercitum, pecunijs Anglorum Reginæ, atque opibus Proteſtantium conflante. Occurrendum ratus in tempore, præmonuit quod aliàs monuerat Henricum, vt iuncta cum Philippo armorum ſocietate (cui rei conficiendæ auctoritatem ſuam, & induſtriam deferebat) aduersùs tantum Hæreticorum conſenſum ſummi Catholicæ Religionis vertices mutuis fœderibus ſe firmarent. Duplicem deinde rationem ſubijciebat Alenconij fratris in officio continendi. Alteram liberalitatis, & amoris, alteram caſtigationis, & metus. Nam poſſe Fratrem vnicum, Principemque ſummum Regiæ ſtirpis ita obligari beneficio, donis, honoribus, opibuſque, vt certa ſequi, ac tuta mallet cum gloria, quàm incerta, & periculoſa cum dede-

Regium nomẽ palam obmurmurationibus laceratur.

Minaces Alenconij voces.

Cater. l. 6.

Gregorij Pontificis ad Regẽ ſalubria monita de ſocietate cum Hiſpano iungenda, & Alenconio in officio continendo.

Turr. l. 8.

core; eiuſque adminiſtrationis propugnator fieri, cuius eſſet & particeps, ſecundùm fratrem Regem in ampliſsimo Regno nulli ſecundus. Quod ſi turbulenta ingenia Aulicorum præualerent in Principe conſilij modici, ambitionis immodicæ, ſuadebat Pontifex, vt in cuſtodiam daretur, tamdiu detinendus donec orta ſoboles virilis Regi tantum authoritatis adderet, quantum adimeret Fratri. Ex tam ſalubribus, honeſtiſque Gregorij monitis neutrum Henricus amplexus eſt; ſeu quia imprudenti delectu via media, quæ ſæpius peſsima, placuit; ſeu quod abhorrens à curis animus vnum ſequi conſiliorum rectorem caſum maluit. Etenim ob dicta, quæ temere Fratri exciderant in chorea, cuſtodiam ei circumdedit, ademitque poſt aliquot dies ad preces Reginæ matris, præcipitantiâ pari, neſcias vtrùm maiori inconſiderantiâ. Nam immoderati impetus fuit Regium iuuenem, qui non vltra verba peccauerat, in cuſtodiam confeſtim trudere, & inconſulti conſilij iam offenſum, irritatumque nullâ præuiâ cautione dimittere. Alenconius enim minimè placatus beneficio, cuius origo iniuria fuerat, maloque ſuo edoctus hoſtilia magis exequi, quam loqui, ſilentio, ac diſsimulatio-

Negliguntur à Rege.

Pius præceps conſilium tradentis in cuſtodiam Alenconium, & par imprudentia eumdem facilè relaxantis.

Alēconii trāſfugiū ad Hugonotorum partes.

latione maximâ fugam inſtituit ad Hugonotos tribus comitantibus furijs, egeſtate, ambitione, irâ.

Quatuor hic Henrici II. filiorum vt natu, ſic indole, ac virtute poſtremus iam pridem indignabatur, ſe trium Regum fratrem adhuc ſine Regno eſſe; fortunæ ſuæ infenſus, quæ diu lactatum ſpe Polonici ſceptri tandem deluſerat; Regi quoque fratri ſuccenſens, à quo ſupremam armorum Galliæ Præfecturam, quam impar affectabat, non impetrauerat; ipſis denique iratus aſtris, quæ cùm Regnum illuſtri geniturâ portendiſſent interprete Noſtradamo quatuor Catherinæ liberos omnes regnaturos pollicito, ſpecioſi promiſsi fidem exoluere cunctabantur. Imperator itaque ſalutatus ab Hæreticorum exercitu, Regij fratris fulgorem eò vſque partibus commodauit, donec omni ope reuocatus à ſuis, quæ obſequio exorare nequiuerat, per contumaciam extorqueret. Rex enim, & Regina mater animis conſternati, quantâlibet mercede ignominioſæ pacis, ac ſtipendiorum immanium Regium Iuuenem ab Hugonotorum caſtris abducendum putauerunt. Tres opulentæ prouinciæ, Bituriges, Turones, Andes in dominationem attributæ, centum

Cauſæ cur à Rege fratre defecerit.

Thuanus. Cater.

Salutatur ab Hæreticis Imperator.

Regis, & Reginæ conatus ad eũ ab Hugonotorũ partibus abducẽdum.

Berry. Touraine. L'Anjou.

Quibus impẽdijs illum abduxerint.

aureorum millia quotannis in redditum, præter Aulicorum nobilium miniſteria Heluetij ſtipatores præſidio additi, & ornamento. Cum Hugonotis pax quinta conuenit præcedentibus cunctis dedecore, ac damno notabilior, per quam ſancitá toto Regno viuendi, opinandique libertate, nullo temporum, locorumue diſcrimine in publicis, in priuatis muneribus, Hæretici cum Catholicis æquabantur. Germanicis copijs, quæ auxilio Hugonotis venerant cum Ioanne Caſimiro Septemuiri Palatini fratre largè decreta ſtipendia, in pretium, quòd Galliam deuaſtaſſent.

Pax ignominioſa cũ Hæreticis inita.

Libertas pro cuiuſque libito de Religione opinãdi decernitur.

Hæretici perinde vt Catholici aſſumũtur ad honorifica munera.

Caier. l. 6. Thuan. l. 61.

At recuperato Regis fratre, cum graui Religionis, & famæ diſpendio, Sanctum Gallorum Fœdus initia habuit ſpecioſa; quaſi populi ius, faſque haberent, publicæ rei per clandeſtinas coitiones conſulere, indormiente Rege; ſociatiſque fœderibus, & armis in bonum vertere, quæ Princeps in cauſa grauiſsima Religionis peccabat ex patientia, & bonitate (aiebant illi) cùm ſegnitiem, & ſocordiam intelligi vellent. Pietas itaque Gallicæ nationis inter Sancti Fœderis cauſas princeps extitit. Tuendæ Religionis ardor, vt cæleſte quid ſpirans humanis animorum affectionibus

Specioſa Sãcti Fœderis initia ob Regis ſegnitiem in Religione tuẽda.

Cauſa præcipua Fœderis Religionis ardor.

bus

bus maior; inſtar halitus gelidarum concurſione nubium in fulmen efferueſcentis, circumfurentium Hugonotorum contumaciâ magis, magiſque ſuccendebatur. Pudebat nobiles populos ab antiquo Chriſtianæ Fidei propugnatores ferre perfidiæ iugum, quod ab alijs auferre conſueuerant: memores nimirum veteris gloriæ; quodque à temporibus Apoſtolorum verâ Religione imbuti, vbi Francos Reges conſentientes nacti ſunt, eoſdem quos Deus, hoſtes habuerint. Seu Clodoueus Rex Arriani Gothorum exercitus cædem cum Rege Alarico perempto ſingulari certamine, tamquam primitias recenti Fidei dicaret; ſeu Mahometicam impietatem occidione deleret in Saracenis Carolus Martellus; ſeu nepos auo maior alter Carolus deuictâm Saxonum gentem ab idolis transferret ad Chriſtum, optabili clade. Exinde tranſalpinis expeditionibus in Italia, tranſmarinis in Aſia Francicas tubas Religioni ſonuiſſe: Summis Pontificibus in Vaticani ſolium reſtitutis non ſemel, & Apoſtolicæ Sedis patrocinio, vel vltioni infenſis Regibus, gentibuſque mactatis, non aliâ ſane mercede, quàm pietatis, & gloriæ. Eâdem inductos in celebri Claromontano Concilio, ſacræ militiæ auctores ad re-

Gallicæ pietatis vetuſtas, & gloria.

Res à Francis Regibus, Ducibuſque pro Religione fortiter geſtæ.

Clermont.

mo-

motiſsima bella Duces, & milites præbuiſſe; peruagatos triumphalibus Auriflammæ vexillis Orientem, aſſertoque in libertatem Francorum armis magnam partem Chriſti ſepulchro. Vbi poſtquam ad centum annos procul à patria ſuorumque ſubſidijs hæſere, barbarorum numero, non virtute obrutos, in qua regione Deus mori pro hominibus non recuſarit, ipſos pro Deo occumbere intra felicitatem, & gloriam duxiſſe. Neque tamen, talibus Proceribus extinctis, à metu Francorum reſpirauiſſe Palæſtinam; aliquoties à poſteris bello peruicaci retentatam, præcipuè per geminas, improſperas quidem, ſed aliorum Regum triumphis anteferendas D. Ludouici expeditiones, qui captiuitatis, & peſtilentiæ conſecratus ærumnis, quando Palæſtina vinci non meruit, Cælum; & Cæleſtes honores occupauit; relicto hoſtibus triumpho pleno ſanguinis, & lacrimarum. Cùm ſtatim ab eius morte, Carolus frater Siciliæ Rex cum claſſe, ac nouo exercitu rediens, tantâ Saracenos clade perculerit, vt illi Chriſtianis omnibus libertate donatis, annuoque quadraginta millium aureorum oblato tributo à Francis pacem redimendam putarint. Quare his plurimum victorijs, aliquando cladibus nobilitatum apud

L'Oriflame.

Victoriæ Gallorum in Palæſtina.

D. Ludouici clades aliorũ triumphis nobiliores.

eas

eas gentes Francicum nomen hodieque vſurpari, vt inclitum, ac terribile.

Indignatio Gallorum ob imminutum ab Hęreſi pietatis antiquæ ſplendorem.

Ergo implacabili aduersùs Hæreſim irâ cumulabantur haud immeritò Gallorum pectora, quòd ea ſacra domi perditum iret, quæ ſui maiores religioſiſſimi mortalium vltra montes, & maria ſanguine extenderant. Accedebat & metus grauior interdum quàm ira, bellorum concitator. Ne videlicet, in tanta generis humani ad vitia procliuitate, Hæreſis mala grata, quia dulcia, inexperta pauci cuperent, ſuſciperent plures delibata, omnes inculcata paterentur. Terrebant exempla circumiacentium populorum, quos ciuilibus turbis, dein bellis implicatos, maiorum inſtitutis, & ceremonijs abolitis, à Præſidibus Eccleſiaſticis, à Regijs, perinde atque à Deo abiunxerat. Britannicum ſolium modò amoribus inceſtis, modò parricidalibus odijs pollutum, & inundatum per quotidiana ſupplicia ſanguine Catholicorum. Eòque furoris ventum, vt fœminam impietate ac ſæuitia execrabilem, tamquam ſacrorum caput adoraret. In Germania nihil quietum, aut immotum, perſtrepentibus vbique tumultibus, armiſque; variatis paſſim Rerumpublicarum formis, ne veſtigium integri moris ſupereſſet. Eodem

Terrentur aliarum regionum exemplis Belgij, &c.

Belgio, Britanniæ, Germaniæ, Poloniæ, & Hungariæ inflicta ab Hęreticis vulnera.

flu-

fluctuantes æſtu Poloniam, atque Hungariam; ſed eâ Hungariæ parte, quæ Othomano ſeruit, tranquilliùs agitante; cùm Tyrannus ille Religionum mutationes populis interdicat, tamquam Imperij ſubuerſionem tracturas. At pluſquam externa omnia in oculis erant domeſtica mala, quæ tot annos afflictam Galliam, in extremam penè deſperationem adduxerant. His vt obuiàm iretur, neque regentium culpâ inſanabilia fierent, conſenſu omnium ferè Ordinum conſtituitur Sanctum Fœdus, quod Reges amantes Religionis ad exterminandam Hæreſim pro virili adiuuet, ſuſtineat verò virtutis, Fideique imbecillos, ne labantur. Vt liceat Principibus perire ſi libeat, non publico fato, ſed ſuo. Ne libido vnius furioſa, vt nuper Britanniæ Regis Octaui Henrici, per Hæreſim Regno intruſam in par exitium myriadas populorum attrahat. In Picardia ex prouincijs prima Fœderis incunabula.. Cuius adminiſtratio in conuentis pacis deſtinata Condæo Principi, gentem Catholicæ Fidei retinentiſſimam, odio in Regem, irâ in Hugonotos inflammauerat. Suggerebat faces Iacobus Humerius Comes ex primaria nobilitate, Peronæ & aliarum arcium Gubernator. Quem, ſi Condæus

Omnium Ordinum contra Hæreſim conſpiratio.

Sacrum Fœdus inchoatur in Picardia.

Humerius Comes Cōdæum à Picardię Prefectura conatur excludere.

D. Humieres.

Thuan. Tort. Carr. Buſſie-res.

dæus in Picardicam Præfecturam admitteretur, præter communem animorum perniciem ab Hæretico, priuata rei ſuæ clades angebat. Altera Fœderis primordia nobiliora Lutetiæ Pariſiorum, in vrbe Regni, ac Religionis Principe, ob Catholicam Fidem conſtanter propugnatam, æquari exemplis priſcorum temporum meritá. Conuentus in ciuitate prouinciæ in morem habitata complures, piorumque hominum ſodalitia inſtituta Regis exemplo, huiuſmodi cœtibus indulgentis vſque ad Cenobitæ gloriam, opportunitatem dabant ſerendis de Deo, de virtute, de vera falſaque Religione ſermonibus: vnde paratus excurſus ad præſentium comploratіonem temporum, quibus nouarum opinionũ buccinatores in florentiſsimo Regno ſacra omnia, & profana peſſumdederant. Et quidem (differebant) inter arma verſantibus in ſpe ſecuræ pacis per victoriam, aut per cladem honeſtæ mortis reſpirare licuiſſe. Iam verò acceptá per ignominioſum fœdus plagâ, cui vix parem præliorum aſpera inferre valuiſſent, ecquid ſpei relictum Catholicis, pro qua templa ſubeuntes ad Deum vota conciperent? Cùm vix Caluinianæ luis contagio vitaretur, etiam cùm ferreus armorum murus intereſſet,

Altera Fœderis origo Lutetiæ Pariſiorum.

Ea vrbs religioſis conſilijs opportuna.

Gallicæ plebis querimoniæ de preſenti rerum ſtatu, de Hugonotorũ impietate, & nimia Regis in eos indulgentia.

quid mali non timendum, vbi Hugonoti ſuas labes in templo, in curia, in foro, locis, & horis omnibus aſpergerent? Graue profectò, Gallici Cleri, & populorum fortunas decimarum exactionibus, & vectigalium, exhauriri, grauius eſſe, ſi quid intactum omiſere domeſticæ hirudines, id ciuili bello vnà cum ſanguine abſorberi, longè grauiſsimum, & intolerandum, quod eâdem prodigentiâ, quâ Rex in ſinum adulatorum opes, in Fratris gratiam animas ciuium profundat; vtque vnus perire auidus ab exitio retrahatur, in diſcrimen vniuerſorum ſalutem vocet. Atqui bona cætera Gallorum, cenſus, ſudores, ſanguinem, ſumenda, conſumenda, perdenda pro libidine Regi permittere, modò ſpem vnam miſeris ſortis melioris poſt fata reſeruaret, ademptiſque corporum ſolatijs, parceret animorum æternitati. Tales erant Gallici vulgi ſenſus, ac voces pietatem ingenuam ſpirantes; non tam ingenua erant conſilia eorum, qui vulgo moderabantur, Guiſiorum videlicet Principum, & clientium Guiſianorum; quorum cupiditas, metus, ira ſtudio Religionis immiſta cæteras Fœderis cauſas conflabant. Guiſios enim fratres Henricum, Ludouicum, & Carolum Franciſci pietate, ac bello clariſ-

Plebis eiuſdem ſynceriſſima pietas.

Guiſiorũ Principum priuatę rationes ſtudio Religionis immiſtæ.

Cater. Turt.

clariſſimi Ducis filios, cum alijs ex eadem gente Lotharinga Proceribus, Catholicæ factioni conciliabat non ſolùm ſtudium Religionis, quamuis id ſolum præſe ferrent, verùm etiam ambitio dominandi, reuocandique à Capetianis ad Lotharingos Gallici ſceptri, ſi aduerſarijs credendum eſt, ſin habenda fides alijs mitiùs, & fortaſſe veriùs interpretantibus, voluntas retinendæ authoritatis, aut vindicandæ. Quam enim à Patre Duce, & Patruo Cardinali tranſmiſſam, ſub Regibus Franciſco II. & Carolo IX. Henrici fratribus, in diuturnis belli, ac pacis miniſterijs laudabiliter exercuerant, hanc ingloriam iacêre ſinebat Rex Henricus, atque in otio inerti conſeneſcere. Quemadmodùm ſcilicet ferrum à tractatione ſplendidum, vbi ceſſet, indecorâ rubigine obſitum ſquallet. Ad hæc æmulatio vrebat, ſeu potiùs indignatio; cùm Regalis amicitiæ faſtigio admotos cernerent iuuenes indolis quidem egregios, neque generis obſcuri, ſed rudes adhuc magnarum rerum, atque inexpertos; quantùmque Guiſijs fratribus ætate, dignitate tantùm, & factorum gloriâ poſteriores. Annas Ioyeuſa, & Bernardus Nogaretus gratiâ cæteros eminebant; hic Epernonij, ille Ioyeuſæ Duces poſtea dicti, &

Cauſæ, cur ſe Catholicæ factioni Duces præbuerint.

Dolens, ſe priſtina auctoritate carere.

Indignātur, inferiores alios ſibi præferri.

Ioyeuſa & Nogaretus apud Regem maximè gratioſi.

Duc d'Eſpernon. Duc de Ioyeuſe.

Franciæ Pares. Hinc mutua odia gliſcere inter vtroſque: Nam Guiſijs, præterquam quòd grauis erat omnis potentiæ ſucceſſor, tales vt pueros, aut impares ſtomachabantur. Hi verò conſcij, quantùm irarum primas occupando ſedes ſine culpa meruiſſent, par odium oſoribus rependere, illudque per occaſionem animo Principis inſtillare ius, faſque ducebant. Neque Regi cura, vt ſuorum inuidiam in ſuum caput recaſuram imminueret. Quin, effuſis in eos pecuniarum largitionibus, quæque in dies vacabant, ſplendidis muneribus congeſtis, obijcere odijs nobilium, & populi non ceſſabat. Guiſijs verò ſpontè dolentibus dolendi cauſas addidit acriores. Gallici maris Præfecturam à Gaſpare Colinio olim adminiſtratam, Mainei Dux obtinuerat. Vt hanc abdicaret importunis precibus Rex euicit, octoginta millium aureorum pretium pactus, inque Annam Ioyeuſam ſtatim tranſtulit. Florens æmuli dignitas animum pupugit Ducis Epernonij, non minùs quàm alter eſſet, in Regis animum validi. Paris honoris cupidine ægrum vt ſolaretur, Guiſiæ Ducem Henricus aggreditur: petit, vt Regij Palatij, quod gerebat Magiſterium, pretio accepto, habendum Epernonio tranſmittat.

Mutua inter hos, & Guiſios odia.

Regis incuria in ſuorũ odijs extinguendis.

Illorum inuidiam largitionibus, & honoribus auget.

Maris Præfecturam à Maineo Duce ad Joyeuſã tranſfert.

Cater. l. 7.

Duc du Mayéne.

Id iniquè fert eius æmulus Nogaretus.

Rex à Guiſiæ Duce pretio & precibus contẽdit, vt Regij Palatii magiſteriũ cõcedat Epernonio.

Cater. l. 7.

Gui-

Guiſius, qui fraternam, in addicenda Præfectura maritima, facilitatem non approbauerat, fremens; gemenſque familiæ honoratiſſimæ ſpolijs dignationem nouis hominibus quæri, Regijs poſtulatis diſertè abnuit. Tunc Henricus (vt Regum voluntates pertinaciſſimæ ſunt) aliâ viâ, eòdem tendere perſeuerauit. Regalis domicilij claues, & præſidij domeſtici curam, ſub Regiæ ſecuritatis obtentu, Epernonio tradit, circumciſis miniſterijs vacuum ſine re Magiſtri titulum Guiſio relinquens. Cùmque per eos dies Timoleon Coſſæus Tribunus Generalis Gallorum peditum deceſſiſſet, nobilem tribunatum à filio eius Carolo Briſſaci Comite cliente Guiſiorum, pro ſuis, & paternis meritis fruſtra expetitum, in eumdem Epernonium contulit. Profectò acribus viris, & in priori Regia dominari aſſuetis quod inſtar iniuriæ erat, non regnarent. Cùm verò ſe, ſuoſque honoribus exui cernerent eâ quaſi gratiâ, vt, quos infra poſitos pridem deſpexerant, tamquam ſuperiores venerarentur, res contumeliæ non ferendæ videbatur. Neque ſtomachum modò, ſed ſollicitudinem quoque, ac metum Guiſijs faciebat, hoc in Rege animaduerſum faſtidium ſui; quod indicijs haud obſcuris compererant, timori po-

Abnuit Guiſius.

Præſidii domeſtici curam Rex Epernonio tradit.

Eidem addit Tribunatum Gallorum peditum.

Guiſiorum ob eam rem indignatio.

Eorundem timor ex animaduerſo in Rege faſtidio ſui.

ri potiùs quàm contemptui, deliciarum cupido Principi ſe eſſe, viros fortes, & propugnatæ Religionis gloriâ populis charos. Verùm in ſpeciem vilipendi, vt deſpicere audeant & cæteri, nudatoſque fauore Regis, auctoritate, clientelis, opprimere geſtiant. Cæterum graues antea, vt Catholicarum partium Duces, in poſterùm grauiores fore tamquam irritatos, inque vltionem, niſi occuparentur, inſurrecturos. His communicatis inter ſe irarum, metuſque cauſis Lotharingi Principes Regijs conatibus obuiàm ire, atque omnia experiri priùs quàm pereant, occultâ conſpiratione conſtituunt. Nec ad vlciſcendum palàm dolorem ſuum verbis, factiſue, facundiæ vires, vel animorum deerant. Sed quæ prorumpere geſtiebat ira, eadem ſe comprimebat eò tectior, quò implacabilior.

Occultam cõſpirationẽ moliuntur.

Cæter. l. 7.

Neque enim probabiles cauſas querelarum habituros rebantur, ſiue apud nobilitatem, ſiue apud populum: cum hi meminiſſent à Guiſijs in Aulæ culmine pridem verſantibus pari modo Momorancijs miniſtris prioris potentiæ illuſum. Meritam proinde recipere vicem, & exempla pati, quæ ipſi fecerint. Eſſe ſuum Aulæ Regum, perinde ac rerum naturæ, fatalem orbem; cuius periodos, & conuerſiones peragi,

Cauſæ cur irã occultent.

Inſtabiles Aulicorum vices.

gi, non ſine ſenſu cadentium, aut ſurgentium Aulicorum; à cæteris aſpici ſine cura, imò oculis æquis, ac libentibus. Quantaslibet querelas aduersùs recentem potentiam, quaſi ex priſtinæ deſiderio homines conſociarent, vt in odijs non fictos, ita in amoribus fallaces eſſe. Aegris quidem animis nouas aſpicere magnitudines, ſed in ſinu lætari, quod Guiſios à fortuna depoſitos agere in æquo videant. Expectandam igitur occaſionem tuendæ Religionis præclaram, quæ familiæ cauſam, vt aliàs fecerat, cum re publica iungat, deque priuato dolore communem faciat. Nec opportuniorem ſors offerre poterat poſtremæ pacis inuidiâ; quæ cùm intactum neminem ex Aulæ Principibus præteriret, vnos Guiſios tranſmittebat ſine noxia, imò cum laudibus. Indignabantur populi palàm Nauarræ Regi, & Condæo Principi, vt Hugonotis, & Hugonotorum Ducibus. Secretò oderant Alenconium, tamquam malorum crimen, & caput; qui Catholicus ipſe, in Catholicum Regem, & fratrem, pro Hæreticis arma ſtrinxiſſet. Neque Regi, aut Reginæ matri parcebatur, qui tam probroſo fœderi ſubſcripſerant, Religione in triumphum vtilitatis ductâ. Henricum verò Ducem Guiſium, eiuſque

Oblatam ex pacis vltimæ inuidia cóſpirandi occaſionem arripiunt Guiſij.

Populi odium in eius pacis auctores.

Eiuſdẽ amor, & veneratio in Guiſios.

Cater. l.7.

que germanos fratres Ludouicum Cardinalem, & Carolum Mainei Ducem, tamquam è Cælo delapſos, triumuiratum Religionis vindicem, venerabantur. Illos vt Fidei columnas, & Catholicarum partium propugnatores, vxoribus viri, parentes liberis oſtentare. Neque omittebant Guiſij, quibus artibus parauerant, iiſdem augere fauorem populi, magnis conatibus profuturum. Et quoniam à Rege dignitate, muneribuſque ſpoliabantur in dies, eum viciſsim famâ & auctoritate exuere aggrediuntur. Clientes, atque emiſſarios in populum ſpargunt, qui ſe cœtibus immiſcentes, laudare Religionis tuendæ ſtudia, proque illatis ab Hæreſi detrimentis iuſtos dolores, atque iras. Verùm hæc inania delinimenta, muliebria malorum remedia eſſe, niſi adderent vires, ad vltionem præteritorum, tutamentum præſentium, poſterorum ſecuritatem. Hactenus ab vtriſque, inſolentiâ illinc, hinc modeſtiâ peccatum: quam Catholicis fraudi eſſe non debere, cùm Hugonotis contumacia profuiſſet. Poſt ſecunda tot prælia Regiarum partium, corruptis pace victorijs, dediſſe leges Hæreſim victam, vix tolerabiles, etiamſi victrix extitiſſet. In vltimo bello, ne tentatâ quidem martis aleâ, pro victrice ha-

Buſſer. l. 20.

Guiſiorum artes ad populi fauorem ſibi conciliãdum.

Quæ per ſuos clientes in Populum ſparſerint.

habitam, coæquatamque in omnibus veræ Religioni, conditionibus pudendis. Quo enim loco futuram poſthac apud exteras gentes veneratam Galliæ nobilitatem; vbi audierint ad munia togæ, ac magiſtratus; ad militiæ decora, atque Imperatorios titulos, attolli cucullatorum, & ſanctimonialium ſpuriam progeniem? Ecquid reſtare, niſi vt Galliæ ceruicibus Hæreſis impoſita per alteram pacem regnaret? Tantum profectò animorum non ſumpturam, ſi, marcentibus ignauiâ Regibus, populi, Proceresque Catholici, compreſsis manibus, non deſidérent, ſed ſuas circumſpicerent vires, exererent, ſociarent; quodque exemplum impunè fecerant mali in malum coniurantes; boni in bonum conſentirent. Tam ſpecioſa Religionis, & decori momenta facilè induxerunt in nouum Fœdus gentem Gallorum ad ſubita promptam, præcipitemque tam in capiendis conſilijs, quàm in deponendis. Vix igitur nata creſcere, propagari per omnes Regni prouincias coniuratio, Sacra, & Sancta ſplendidis nominibus vocitari, fœderibuſque conferri celeberrimis, quibus olim arma Chriſtiana conſenſione ſummâ de Gallijs mota ad liberandum Chriſti ſepulchrum, in Orientem tranſgreſſa ſunt. Sed illa

Nouũ Fœdus Religionis nomine inſignitũ perſuadent Gallorum ingenijs.

Fœderis ſpecioſa vocabula.

Cæ. 6. & 7.

Tom. Lib.

glorioſa magis dici, hæc ſalutaria, quibus haud inanimi lapides, ſed viui, & ſpirantia immortalis Dei monumenta vindicarentur. In Fœderis forma conceptis comprehenſa verbis, quam iurati affirmabant ſinguli, primùm omnium

Forma qua Fœdus eſt cóſtitutum.

pietas eminebat. Inuocatâ initio auguſtiſsimâ Triade cauebatur, vt eius caſtiſsimum cultum, *Thuan. Buſſer. l. 20.* & auitam in Gallijs Religionem ſartam, tectamque præſtaret. Proximè Regis Maieſtati ſuus honos, oblatis ad eam tuendam impendijs fortunarum, & corporum interpoſitu. Populari

Eius leges magna ex parte populo fauorabiles.

auræ in reliquis Fœdus velificari apparebat; cùm reciperet, iura omnia, priuilegia, & immunitates aſſerturum, quibus à temporibus Regis Clodouei, Galliæ vrbes, & prouinciæ floruerant. Ex tribus Ordinibus Cleri, Nobilitatis, & Populi, pro ſua quiſque vi, ac facultate, alij vota, preceſque, alij ſudorem, & ſanguinem, omnes conſilium, & opes conferre iubebantur; obſequium denique præbere Duci, quem conſenſus vniuerſorum delegiſſet. Si qua oriretur inter Fœderatos diſceptatio, penes Ducem eius dirimendæ iudicium fore, ſtatuendique, qui pro hoſtibus, qui pro amicis habendi eſſent. Eumdem præmia bene, malè merentibus pœnas irrogaturum. Poſtremis his legibus,

nouum

nouum in Regno Regnum conſtitui, & Henricum Henrico obtrudi viſum. Nam, pro Duce Fœderis, cuius nomen ſupprimebatur, Henricum Guiſium intelligebant. Cæteri, quamuis non abnuerent inijci frænos à Fœdere potentiæ Regis, addebant tamen, honeſtiſſimum ei locum relinqui, modò conſpirare cum rectè ſentientibus vellet. Daret ſe Fœderi caput, ſub auſpicijs Regalibus Guiſios cum reliquis militaturos. At non contentus approbatione Galliæ populorum Dux Guiſius, qui multiplicatos hoſtes, geminumque ſibi bellum inſtare, apertum cum Hugonotis, occultum in Regem, Regioſque cerneret, noua Fœderi ſubſidia conquirenda exiſtimauit, ipſo aduerſariorum exemplo. Nam ſi Hugonoti toties ab Eliſabetha Britanniæ Regina, & Proteſtantibus Germaniæ Principibus aurum, Duces, milites accerſiſſent, pro tuenda iniquiſſima cauſa; quanto æquius Fœderatos Romanum Pontificem, & Hiſpanum Regem inter Catholicos Principes, potentiæ ſummos ad communem propugnandam Religionem inuocaturos? Tertia itaque cauſa externa, ſed prænualida, fouendo Fœderi, amplificandoque acceſſit, Sanctitas Romanæ Sedis, & magnitudo Hiſpana, vnde cæleſtia ſi-

Thuan.

Dux Guiſius noua ſubſidia Fœderi cõquirere ſtatuit.

Cæter. l. 7.

Huic Romanum Pontificem, & Hiſpanum Regem conatur adiungere.

mul, & humana præſidia ſperabantur. Nec arduum fuit Fœderi Catholicæ Religionis vindici Catholicæ Religionis caput, Summum Pontificem conciliare. In Galliæ præſertim periculo, quæ toties immiſſis exercitibus, & armis ad defenſandam Apoſtolicam Sedem, effecerat, vt Pontificij Principatus in Italia fulcrum crederetur, & propugnaculum. Quam ſanè ſi Caluinianâ lue deprauari contingeret, metuendum erat, ne quantum commodorum Romæ, ac veræ Religioni propitia intulerat; abalienata per Hæreſim, & infeſta alterum tantum malorum inueheret. Vt impotentia quedam pharmaca, quæ ſi iuuent, ſanant penitus, celeriter extinguunt, ſi noceant.

Gallorũ promerita in Romanam ſedẽ; damna eidem metuenda, ſi Hæreſis in Gallia præualeret.

Cùm igitur ſanctum Fœdus initio ſonaret nihil, niſi cuſtodiam Chriſtianarum legum, & diſciplinæ; animo libenti exceptum eſt à Gregorio de conſeruanda in Gallijs Religione ſollicito, ſub eo Rege, cuius, neque gerendi belli cum Hæreticis, neque faciundæ pacis ratio conſtaret. Quamquam non deerant iam tum in Aula Romana callidi rerum æſtimatores, qui ſcoriam ambitionis haud modicam auro pietatis immiſtam internoſcerent in Fœdere Gallicano; ipſumque Cardinalem Pelleuæum

Approbatur Sanctum Fœdus à Gregorio XIII. de Galliæ Religione ſollicito.

Cater. l.7.

Ambitionis in eo labes à nõnullis agnoſcitur.

Card. Peluæ.

uæum negotia Fœderatorum apud Pontificem procurantem, tamquam Guiſianarum partium manifeſtum redarguerent. Hiſpanorum tamen authoritate fulta præualuit ſententia Purpuratorum Patrum Fœderi ſancto fauentium, tamquam in bonum Religionis intento; qualeſcumque illius cauſæ bonæ ne, an malæ, in virtutibus, an in vitijs ponendæ eſſent? Quam videlicet paratam veluti machinam Romani Pontifices intendere, aut remittere pro arbitratu, ac iudicio ſuo poſſent, prout Galliæ tempora, vel ingenia Regum poſtularent. Verùm non erat, cur Gregorius hæreret in approbando Fœdere, quod labantem in Gallijs Religionem fulciebat; quando Rex ipſe, cuius authoritas haud dubiè inde tentabatur, haud quaquam pro rei magnitudine videtur fuiſſe commotus. Quippe à Regina parente, à Condæo Principe, & ab Oratore ſuo apud Hiſpaniæ Regem commorante, quid ageretur edoctus, principijs coniurationis, quæ opprimi in cunis poterat, obuiàm ire neglexit; ſiue illud odium laboris fuit, & nouæ curæ, ne delicias parumper intermitteret; ſeu deſperatio præpropera remedij, quaſi honeſtius eſſet, inſcium, quàm inuitum & imparem Regem videri; ſeu denique recepto

Regís negligentia in obſiſtendo coniurationis initijs

Quo conſilio eâ neglexerit.

iam fratre, fructu pacis indecoræ, cùm eam reſcindere pararet, offerri gaudebat authores, in quos violatæ fidei inuidiam regereret, magis de infamia perfidiæ, quàm de culpa vitanda ſollicitus. Præpoſterâ ſanè calliditate; nam, in quo alijs illuſerat, illi viciſsim illuſum eſt; poſt paulò compulſo à ſuis Catholicis vi, atque ingratijs Hugonoticum bellum renouare, quod pridem inuitus in ſpeciem, magnâ verè voluntate ſuſceperat.

Eius illuſa calliditas.

At Fœderatis quàm ſpecioſum, Romanus Pontifex adductus in partes, tam vtile fore videbatur, ſi Rex Hiſpanus cauſæ conſociaretur. Cum hoc potentia, & opes, cum illo armorum honeſtas, & præſentia Numinis. Neque grauatè Philippus annuit, quod rogaturus erat, niſi rogaretur. Nam rei Catholicæ intererat pariter, & Hiſpanæ, vt Caluiniana lues in ſuo cubili opprimeretur, ne ad circumiacentia Regna permanaret; & Hæreticos Gallos domeſtico bello attineri, quominùs adeſſent Hæreticis Belgis, conducibilius rebatur Belgio ſuo. Vnde videlicet Hiſpana arma in Galliam irent ad oppugnandam Hæreſim, cum ſpe proferendæ dominationis potiùs, quàm eius aſſultus domi opperiretur, cum ammittendi imperij

Philippus Hiſpaniæ Rex Fœderi conſociatur.

Quæ inde cõmoda ſperauerit.

Cater. l. 7.

perij metu. Eò magis, quod Hiſpanos non latebat, ſollicitari à Batauis ad ſuſcipiendam ipſorum cauſam, cum magnifico titulo Defenſoris Belgarum Franciſcum Herculem Valeſium Alenconij Ducem iuuenem ambitioſum, præferuidum, quantumque regendo ineptum, tanto appetentiorem regiminis, ac parandæ per tuta, vel intuta, per fas, & nefas dominationis auidum. Fauere huiuſcemodi expeditioni Reginam matrem, Regem fratrem palàm aduerſari. Sed videri haud iniquo animo laturum eam iniuriam, per quam egereretur è Regno quidquid turbidum, Frater in primis, pars magna turbarum; cum Galliæ lucro vtique, ſeu vinceret, ſeu periret. Conſilium hoc Belgici belli, iam olim Carolo Regi à Gaſpare Colinio, & ſocijs oblatum, ſuſceptumque ſpecie tenus denudauiſſe tunc animos vniuerſæ Galliæ perquàm cupidè in Belgium arma transferentis. Nunc alio quidem tempore, à perſonis alijs, eaſdem ob cauſas idem propoſitum inſinuari; domeſtica diſſidia non quietura, niſi bello externo mutarentur. Anxius itaque rerum ſuarum Hiſpanus, cùm minacem hunc nimbum aliquando in ſua Regna prorupturum reformidaret, Gallicani Fœderis patrocinium haud cunctanter

Propenſio Reginę matris, & vniuerſæ Galliæ ad arma in Belgium transferenda.

Patrocinium Fœderis ſuſcipit Philippus, vt & Catholicæ Religioni, & ſuis proſpiciat rationibus.

ſuſce-

ſuſcepit,vt vnâ operâ Catholicam Religionem, & rem ſuam tueretur. Cùm videlicet habiturus eſſet in promptu, per quos Henrico Regi paria redderet in Gallia, ſi quando ſibi negotium in Belgio faceret. Initio quidem pecuniam, & militem clam pollicitus, per Ioannem Auſtriacum Belgij Præfectum paciſcentem, tamquam inſcio Hiſpaniæ Rege. Poſtquam verò Alenconius Hollandis aduocantibus Ducem ſemel, iterumque ſe præbuit, exuit diſſimulationis laruam Hiſpanus, excuſatione Galliæ Regis, vt nugatoriâ multùm irrisâ; dum ſe inuito, Reginæ parentis opibus fultum Regium fratrem adiſſe Belgas, expoſtulanti, Gregorij Pontificis nomine, Nuncio reſpondit. Vt vt enim fuga in Belgium ignaro Henrico iniri potuerit, num credibile eſſe, quinquaginta millia aureorum menſtrua de Gallico ærario, queis magnus peditum, equitumque numerus alebatur, aut voluiſſe ſufficere, aut potuiſſe Reginam inuito Rege? Nec infelicitas expeditionis iras minuit Hiſpanorum magis Alenconij voluntatem, & ſua pericula, quàm fortuitos belli exitus reputantium. Quin initis per Galliam fœderibus, vltioni ſimul, & ſecuritati conſuluerunt; præbito Regibus documento, quæ in ſuis

Militem & pecuniam clam initio pollicetur.

Thuan.

Cauſa cur diſſimulationem exuerit.

Re-

Regnis pati nolint, ea ne in alienis moliantur.

Sed Alenconius poſt improſperè tentatam occupationem Antuerpiæ, Hiſpanis iuxta, & Hollandis inuiſus, fruſtratione Regalium nuptiarum illuſus à Britannis, à Gallis ob appetitam impari conatu Belgij dominationem traductus in fabulam, deſpectus omnibus, vt infelix, orto ex inconſolabili mœſtitia morbo, in Theodorici caſtro contabuit. Nec omiſit in morte Belgicum Principatum, quem malè adeptus cùm viueret, malè amiſerat, cadaueri vindicare. Nam hoc in ſupremis tabulis funerari mandauit circumfuſis inſignibus Belgij prouinciarum. Sed irritam eam voluntatem fecit Rex, alio exequiarum honore compenſans; ne vanitate videlicet pompæ non profuturæ exulcerarentur Hiſpanorum animi, ſatis ſuperque laceſſiti noxiarum grauitate. Quamobrem Alenconius quoque inter præcipuos Galliæ malorum authores, & Fœderis cauſas quodammodo referendus videtur: Princeps vitâ iuxta, & morte patriæ fatalis; nam ſicuti viuens illatis in Belgium armis iras incitauit Hiſpanorum, vt Gallicæ rei obeſſe vellent; ita moriens opportunitatem præbuit, vt poſſent. In illum quippe ora Gallorum hactenus fuerant conuerſa, ex quo

Alenconius poſt tentatam improſperè Belgij dominationẽ, morbo & mœſtitia contabeſcit.

Chaſteau. Thieriy

Inſignia Belgici Principatus ſuo cadaueri apponi teſtamento mãdauit.

Cur eam voluntatem Rex irritam fecerit.

Thuan.

De Alenconio iudicium.

Propenſa in eũ Gallorum ſtudia, vt Regio ſolio proximũ

ſoboles Henrico Regi deſperari iudicio medentium cœperat; vnuſque ſtudijs aduerſarum factionum, tamquam proximum ſolio caput colebatur; acceptus Catholicis, vt Religionis conſors; Hugonotis, vt ſectæ non infenſus, quam armis texerat. Quapropter eo ſuperſtite, quantumlibet inflarent claſſicum coniurationis Guiſij conſpirante Hiſpano; & licèt Rex Henricus in ægro Galliæ corpore ea peccaret, quæ integro vix toleranda viderentur; lentiores tamen, quàm pro ſpe progreſſus habebat Fœdus; ægrè qualiſcumque Regis reuerentiam exuentibus Gallis. At poſteaquàm, Alenconio vitâ functo, ius Regni ad Borbonios eſt deuolutum, cùm Hugonoti Regiarum partium læti ob ſperata publicæ, priuatæque rei compendia ſe ad Nauarræ Regem conferrent, Catholicorum pauci Henrico Tertio adhæſere, ſuſpecto voluntatis Epernonij artibus ad Nauarrum inclinatæ; complures ad Fœdus, Guiſioſque ſe applicant, actum rati de Religione Catholica in Gallia, ſi Nauarrus rerum potiretur. Ita Fortuna noua potentia Lotharingos armauit, ſub obtentu ſpecioſo conſeruandæ Religionis; quo ſanè illi nec religioſè, nec iuſtè vſque ad inferendum Regi ſuo bellum abuſi ſunt. Atque

Létiores eo viuente Fœderis progreſſus.

Baſſier. l. 20.

Fœderatorum vires poſt eius obitum inualeſcunt.

Abutútur Fœderati Religionis obtentu ad ſuam potentiã ſtabiliendam, & Regiã eneruandam.

hæc Fœderis tempora vel apud ipſos Catholicos, qui factionibus implicati non erant, inuidiá maximá laborarunt. Grande quippe arcanum experientiá monſtrante innotuerat, plures ex Hugonotis ad CatholicamFidem rediiſſe interuallo paucorum ab inita pace menſium, quàm totis viginti belli annis; veri luce ſerenum tranquillitatis amante, nec exerente cæleſte iubar in nubilo certaminum, & odiorum.

Religio tranquillitatis amica plus profecit breui pacis tempore, quã certaminibus diuturnis.

At Guiſiani, cùm ſuperuacuum eſſet Henrici iuuentæ (quadrageſimum nondum annum attigerat) ſucceſſorem quærere, acerba tamen Regum fratrum, & Alenconij Ducis funera memorantes, tum infirmam Regis valetudinem, quam ipſe luxu, ac voluptatibus inſuper attereret, de ſucceſſore ſeriò cogitandum ſtatuebant; prætento metu, ne Nauarræ Rex Hæreſi contaminatus, iure ſanguinis, & vi armorum in Chriſtianiſſimum ſolium inuaderet.

Guiſiorum timor, ne Nauarræ Rex hæreticus iure ſanguinis Galliæ Regnum obtineat.

Vt igitur haberent è Regia ſtirpe Catholicum Principem, quem Nauarro, ſi occaſio daretur, opponerent, Carolum Cardinalem Borbonium Nauarri patruum adſciſcunt, Sacri Fœderis caput renunciant, & oſtentatum Franciæ prouincijs, deſtinant ſucceſſorem Regi ſecundum ſupra trigeſimum agenti annum ſenem ſeptuagenario maiorem.

Cardinalis Borbonius ſeptuageſimum annũ excedens Sacri Fœderis caput renunciatur, & Regi adhuc iuueni ſucceſſor deſtinatur à Guiſijs.

Conuentus Fœderatorum in arce Ionuillæ.

iorem. Ionuillæ in arce Guiſiorum renouatur publicè cum Hiſpanis fœdus, quod octo ante annis occultè ſancitum fuerat. Ioannes Baptiſta Taſſius, & Ioannes Moreus eques Hieroſolymitanus Philippi Regis nomine conueniunt cum Cardinalibus Borbonio, Guiſio, & reliquis Lotharingis Principibus. Illud præcipuè cautum, vt Henrico Tertio decedente ſine liberis, extruſo Nauarro Patruus Cardinalis regendæ Galliæ præponeretur.

Quid in eo cõuentu ſit cautum.

Quò id ſecuriùs fiat, ſcribere militem inſtituunt, arces capere, ac prouincias Regiæ dominationi ereptas in poteſtatem Fœderis traducere; ne videlicet per fraudem Epernonij, Regiſque ſocordiam in eas Nauarrus cum Hugonotis introrumpat.

Conſcribuntur milites à Fœderatis, & arces ac prouinciæ occupantur prætextu, vel metu ne illas Nauarrus inuadat.

Armorum ſtrepitu Rex experrectus intimos amicorum cum Regina parente in deliberationem vocat. Binæ in oppoſitum ſententiæ dictæ. Prima Ducis Epernonij, Marchionis Rethzij, & aliorum, qui priuatim Guiſijs infenſi conſilium ad voluntates attemperabant. *Cacer. l. 7.*

Rex eo motu experrectus amicos in conſiliũ aduocat.

Epernonij, aliorumque ſentẽtia de Fœderatis bello perſequendis.

Occurrendum ſtatim conatibus Fœderatorum, tamquam perduellium, & conſociatis cum Nauarræ Rege viribus, protinus opprimendos, priuſquam de Hiſpania, Belgioque ſubſidia pecuniarum, & militum aduenirent.

Contrariũ cẽſet Villaregius.

Altera Villaregij ſententia,

tia, quam Ioyeuſa, cæterique Aulici, vt ſaniorem, an quod etiam obſtaret Epernonio! amplectebantur: etiamſi certa indè victoria ſperaretur, adeò turpe, ac indecorum viſum iri, ſi Chriſtianiſſimus Rex cum Hugonotis aduerſùs Catholicos arma coniungat, vt præſtet in extremum ante rerum omnium venire diſcrimen, quàm triumpho tam deformi ſtabilire Regiam fortunam. Francis enim Regibus, qui à propugnanda Chriſti Religione glorioſum cognomentum ſunt nacti, multo eſſe honeſtius vinci cum Catholicis, quàm cum Hæreticis vincere. In præſentia verò contingere, vt idem conſilium, & dignitati maxime, & ſaluti aduerſetur; dum Regem ſecretum à Catholica factione, quam Galliæ nobilitas, vrbes, prouinciæ celebriores propugnent, ad Hugonotos applicat profligatos, & perditos, cum dubia imperij clade, certa nominis; inſurrecturo quippe ad bellum pro Sancto Catholicorum Fœdere Catholico Hiſpaniæ Rege, cuius opes, & magnitudo Gallias ab omni parte circumſtent; conſurrecturo pariter Romano Pontifice; & qui modò fluctuet incertus animi, tunc vltro nomen, arma, Diuos contra Religionis hoſtes commodaturum. Neque nimis magnâ mercede redintegra-

Coniunctionē armorum cum Hæreticis aduerſus Catholicos improbat.

Eam docet aduerſari dignitati, & ſaluti.

Rationē oſtendit, qua concordia poſſit redintegrari.

tegra-

tegrari cum Fœderatis Gallis concordiam poſſe; quorum ſi animos Rex introſpiciat, reperturum, aliud dolere, aliud queritari. Proindè, ſi ægritudini à cupiditate ortæ congruentem medicinam faciat, ſi Aulæ, militiæ, gubernandarum vrbium, & prouinciarum munera pro dignitate ſingulorum, & meritis diſpertiat, continuò refloreſcente Regis obſequio, querimonias, & bellum ſedatum iri. Tunc Religionem, Hæreſim, Hugonotos, quæ nunc perpetuo in ore habeant, curæ Principis remiſſuros. Gaudendum Regi, quod in manu ſua ſit, procellam tantam, tam promptè, cum ſumma Galliæ approbatione diſijcere. Vtramque ſententiam reſpuebat Henricus, vt indignam faſtigio ſuo; ſeu Franciæ Regem coniunctione Hugonotorum pollueret, ſeu poſtulatis inclinaret Catholicorum, quæ Fœdus armatum iubebant magis, quàm flagitabant. Nouum itaque conſilium init, ac Nauarrum ad Religionem Catholicam, Aulamque Regiam ſpe propoſitâ ſucceſſionis reuocare contendit. Quod ſi ſuccederet, metus ex animis Catholicorum, arma de manibus excutiebantur; ſubductâque belli causâ, cauſa Fœderis ruebat. Sed Nauarrus eiurare Hæreſim, & redire in Aulam noluit; ne

Reijcit Rex vtramque ſententiam.

Nauarrum reuocare conatur ad Fidem Catholicam.

Cur Nauarrus abnuerit.

ſub

ſub incerta & longinqua ſpe Regni amiſſo factionis principatu, ſe rurſus includeret in carcerem, hoc enim nomine vocabat Aulam, & Lutetiam, vbi ſuos inimicos plùs poſſe, tot millia ſociorùm vnâ nocte perempta docuerant. Quamobrem ſi Marcus Antonius author belli ciuilis appellatur à Tullio, quoniam Tribunus plebis cùm eſſet, Româ profugus ad Cæſarem, prætextum inferendorum patriæ armorum detulit; quid ni referri queat inter S. Fœderis cauſas Henricus Nauarræ Rex? qui ſummus Princeps Regij ſanguinis Hæreſis pertinax occaſionem cuncta miſcendi Guiſijs quærentibus præbuit. At hoc ipſum laudabile Galliæ Regis tentamentum, quo Nauarrum ab Hæreſi ad ſinceram Fidem abducere conatus eſt, in calumniam verſum à Fœderatis, & quaſi fœdus, atque amicitiam cum Hugonotis iungere agitaſſet, bellum maturauit. Per abſceſſum itaque repentinum Aulam turbante Cardinali Borbonio, bello proluditur, ſcriptis eius, & Fœderis nomine in vulgus editis. Quibus donec res geritur, æquitas cauſæ parem, ſiue etiam ſuperiorem præſtitit Regem. Nam apud exteras nationes, & in ipſa Gallia prudentiſſimus quiſque ſtudijs partium intacti non probabant arma,

Regis conatū in calumniam vertunt Fœderati.

Hinc anſam arripiunt belli maturandi.

Cardinalis Borbonij repentinus abſceſſus ab Aula.

Scripta in vulgus eduntur, quibus causā ſuam Fœderati tuentur.

Eorum arma contra legitimum Regem ſuſcepta improbantur à prudētioribus

qua-

qualicumque obtentu ſtricta in legitimum Catholicum Regem. Atque ipſe Gregorius Pontifex, cui prima Fœderatorum conſpiratio contra Hæreſim ingrata non fuerat, vt ſupra memorauimus, nunquam adduci potuit, vt poſtremos in Regem conatus approbaret. Quamuis enim Cardinalis Pelleuæus honeſtare cauſam armorum multis argumentis niteretur; prætenta deformi bello ſpecioſa Religionis momenta non fallebant Principem, Aulamque Romanam aſſiduo vſu ſimulationum ludibrijs diſcutiendis exercitam. Quapropter eodem Pelleuæo cum alijs factionis Hiſpanicæ Purpuratis vrgentibus, vt Henricum Nauarræ Regem, & Ludouicum Condæi Principem ex gente Borbonia Hæreticos, & Hæreticorum capita exeratione ſolemni à Fidelium cœtu ſeiungeret, pronunciaretque euolutos omni iure ad Chriſtianiſſimum ſceptrum; poſtulato in ſpeciem annuens, effectionem de die in diem prolatando, vſque ad obitum diſtulit. Obtentui fuerat obſeruatio præſcripti Iuris, & manſuetudo Eccleſiaſticarum legum, lentè feſtinantium in eiuſmodi actis pertinentibus ad mortalium ſummos, ac proinde cenſuræ Regum, ac populorum exponendis. Re verà obſecundandum etiam

Gregorio quoque Pontifici probari non poſſunt.

Cardinalis Pelleuæus fruſtra conatur Fœderatorum arma honeſtare ſpecioſis Religionis nominibus.

Gregorij mira dexteritas in procraſtinãdo, & vſque ad obitum differẽdo anathematis fulmine, quod rogabatur vt ferret aduerſus Hæreticæ factionis Principes Nauarrum, atque Condæũ.

etiam duxerat Henrico III. Franciæ Regi per Oratorem ſuum monenti, ne importunâ ſeucritate pertinaciam accenderet Principum iuuenum, indolis minimè prauæ; quos æmulatio Guiſiorum, ſe Duces factionis Catholicæ iactantium, in oppoſitam ſectam abripuerat; redituros ad maiorum Fidem conciliante ſpe Regni; vbi aut Guiſiorum potentia inter Catholicos conſenuiſſet, aut euerſis Hugonotorum opibus, deeſſent in Gallia partes, quibus imperarent. Obuerſabatur memori Gregorij animo infelix exemplum abalienati Btitannici Regni; quod olim Petro Apoſtolo vectigale, Romæque tam fidum, vt propugnaculum dici mereretur, propter inflictas Henrico VIII. Regi Pontificias diras, ab Romana Sede ſe abruperat, cum ingenti nationis inclytæ damno, & inconſolabili Eccleſiæ Catholicæ luctu. At ſucceſſor Gregorij Sixtus huius nominis Quintus, vt erat ingenij præferuidi, offenſionumque non timidi, cùm plurimùm hac laude gloriaretur, ab iiſdem S. Fœderis fautoribus lenem deceſſoris prudentiam pro lentitudine, ac timiditate criminantibus, ad fulminandos Pontificio anathemate Borbonios Principes inductus eſt, non ſine graui offenſione Franciæ Regis, & Reginæ

Cauſa cur ab huiuſmodi ſeueritate Gregorius abſtinuerit.

Confirmatur in ſua manſuetudine Pontifex infauſto euentu Britanniæ ab Romana ſede diſtractæ ob inflictas Henrico VIII. Pontificias diras.

Sixtus Quintus Gregorij ſucceſſor á ſuomet ingenio, & S. Fœderis fautoribus inducitur ad feriẽdos anathemate Borbonios Principes.

Cam. l.7. Tert. l.11.

M ma-

matris. Quibus animos nudare non auſis, Nicolaus Villaregius arcanorum conſcius cum Pontificio Nuncio expoſtulauit: ignarum rerum Gallicarum Sixtum pro aqua oleum ad reſtinguenda ſeditionum incendia contuliſſe. In varijs itaque prouincijs ciuili bello ſuſcitato, cùm Rex iure, viribus Fœderati præualerent, horum arma Regijs edictis fortiora breui Henricum perpulere, vt concordiam Reginâ conciliante amplecteretur. Per hanc Fœderatis Catholicis arces, pecuniæ, exercitus traditi, Nauarræ Regi, Condæo Principi, & Hugonotis proſcriptiones, bellum, clades indictæ. Interuenere pro his Germaniæ Principum miſſæ per Oratores imperioſæ deprecationes, tanto expoſitæ faſtu (tectis iniuſſu Regis capitibus, dexteriſque ad capulos gladiorum inter dicendum admotis) vt Regalem iram vehementer inflammarent. Reiectos minaci vultu, & cum acerbitate verborum Legatos legiones armatæ ſubſecutæ ſunt. Immanis quadraginta millium bellatorum moles Galliæ exitiabilis, modò haberet Ducem, & niſi Cyclopis inſtar caruiſſet oculo. Quo ſanè tempore, Farneſium in Belgio haud quaquam expertem fuiſſe ſollicitudinis à propinquo Gallico bello; teſtantur literæ

Villaregij de aſperitate Pôtificis expoſtulatio cũ Apoſtolico Nũcio.

Rex cogitur côcordiã cum Fœderatis amplecti.

Fœderatorum potentia ſupra modum augetur.

Nauarrus, Côdæuſque cum ſuis aſſeclis proſcribuntur.

Hæreticorum Germaniæ Principũ imperioſæ pro his per Legatos deprecationes.

Germanorum ingens exercitus ad ferendũ Hugonotis auxilium irrumpit in Galliã.

Farneſij ſollicitudo.

ad

ad Regem datæ. Quibus, poſt enumeratas Germanorum innumerabiles cõpias, & Helvetiorum complura millia in oppoſitis caſtris militantia; ſubijcit vltimò Belgarum ſuſpiciones, metuſque. In magno nempe diſcrimine rem Catholicam Galliarum; & Belgij verſari; ſi fortè acies Fœderatorum modica cum Duce Guiſio infinitâ externorum multitudine opprimatur; deſerturo Lotharingos (vt fama erat) Franciæ Rege, tanquam veriores hoſtes, cauſamque potiſſimam eius belli. Quamobrem nihil futurum propius, quàm vt inuicem pacati Germani, atque Galli, poſt Lotharingiam armorum torrentibus inundatam, Belgio ſuperfundantur, concurrentibus pariter Britannis, Hollandiſque. Et ſanè Franciæ Regem in publico periculo, vlciſcendo dolori priuato velificatum ferunt, cùm illud è ſacris litteris in ore frequens haberet: Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Nam ex vnà parte Ioyeuſæ Duci, quem olim percarum ſibi, poſteaquàm Sancto Fœderi addictum comperit, odiſſe cœperat, vt exercitum duceret in Hugonotos præcepit; hoſtemque nactus certamen ſine mora committeret; ex alia, Duci Guiſio, vt Germanis ad Lotharingiæ fines oc-

Summa litterarum eius ad Philippum Hiſpaniæ Regem.

Imminẽs à cõſpiratione Germanorum cũ Gallis Hæreticis Belgio periculum Regi Philippo denunciat.

Henrici Regis in publico periculo priuato dolori vltum euntis dictum.

Quo conſilio Ioyeuſam Hugonotis oppoſuerit, Guiſiũque Germanis

curreret imperauit; ambobus promiſſis ampliter, pecuniâ, & milite malignè ſuccinctis. Ardua belli ſpecie honoris mandabat, ſpem habens, alterum perpetuæ virtuti, ac felicitati Nauarræ Regis ceſſurum; alterum obrutum iri gurgitibus Germanorum, cùm factionis Catholicæ flore, ac robore. Quod ſi aliquà euaderent, mutuâ certè clade debilitatos tam hoſtes occultos, quàm apertos minus negotij ſibi faceſſituros. Quippe Rex ipſe, conductis octo Heluetiorum legionibus, millibus decem Francorum peditum, octo equitum, & concurſu nobilitatis armatæ protectus egregiè interiora Regni, ceu cordis arcem obtinebat, Principibus circumſeptus Regij ſanguinis, & nobiliſſimis Franciæ Ducibus Niuernenſi, Aumontio, cæteriſque; maximis verò Galliarum fluminibus hoſti oppoſitis pro munimento.

Rex Heluetioas legiones, & ingentem armatorum numerum ad ſui cuſtodiā adhibet.

Neuers D'Aumont.

Et Ioyeuſa quidem, non expectatis, quæ Mattignonus inſignis Dux adducebat, ſubſidijs, ſeu parendi properus, ſeu quod victoriæ, quam ſpe deuorauerat, gloriam communicatam cum Ductore celebri nollet, congreſſus temere fortiſſimo Nauarræ Regi victus, & cæſus eſt; cum clade non mediocri Fœderatorum. Illum poſtea Rex funere ſumptuoſiſſimo extulit ſiue vetuſtam

Dux Ioyeuſa temere Regi Nauarræ congreſſus vincitur & occiditur.

Mareſchal de Mattignō. Caten. l. 8.

Sumptuoſo funere effertur à Rege.

ſtam gratiam,ſiue recens meritum ſupremo honore condecorans. At Guiſiæ Dux à fortuna exitio atrociori reſeruatus, felicior ad tempus extitit; cùm adire vltimum familiæ diſcrimen non dubitaſſet, quod Maineus frater, & gentilis Lotharingiæ Dux haud immeritò horrebant. Seu præſideret Catholicorum cohortibus paucis quidem, ſed fortibus, & veteranis, Artois. queis miſſa ex Arteſia Farneſij iuſſu ſena Vuallonum peditum millia, mille, & quingenti equites Burgundi ſe adiunxerant; contra nouitium exercitum, imperitum locorum, indocilem diſciplinæ, quem ſua priùs vitia ingluuies, & ebrietas in peregrino Galliæ ſolo, quàm indigenarum arma domitura eſſent; ſeu virtuti ſuæ, atque fortunæ omnia prona pollicitus, vnde cladem æmuli, ipſe ſibi triumphos auguraretur, & magnitudini periculi parem gloriam. Haud enim dubium, profligati belli potiſſimum decus imputari, cui prima feliciter obueniſſent. Et Guiſio quidem è ſententia res ceſſit. A tergo, à lateribus, à fronte Germanos infeſtando, diurnis, nocturniſque certaminibus ita infregit, debilitauitque, ingruentibus inſuper morbis ab inſolentia Cæli, & immoderatione cibi, potuſque, vt alij pro munere impetrauerint abitum

Germanici exercitus clades, deditio, fuga.

Eius reliquijs inſultant fœminæ.

ab ar-

ab armis, alij deditionem ex neceſſitate fecerint, alij fugam inierint calamitoſiſſimam, cùm afflicti exercitus reliquijs inſultarent vel fœminæ; quarum vna in Burgundiæ pago Germanos octodecim decumbentes humi, maceratóſque ægritudine, cultro circumlato, tamquam pecudes iugulaſſe fertur. A tanta externorum ruina, ſicut Hugonotorum deiecti ſunt animi, ità nimio plus audacia, & ſpiritus creuere Fœderatorum. Omnem rei bene geſtæ gloriam vindicabant ſibi, contemptis Rege, Regijſque. Quamobrem cùm Lutetiam Rex Henricus, & Dux Guiſiæ ſpecie ouantium intrarent, Regio nomini plauſus exiles, rarique, Guiſiano frequentes, & clari à circumfuſa multitudine dati ſunt. Hunc liberatorem Galliarum, propugnatorem, & vindicem Catholicæ Religionis, nouum Moyſen, nouum Gedeonem, & quod acriùs pupugit animum Regis, alterum Dauidem appellabant. Per quam nomenclaturam cùm victoria & Regnum deſtinarentur Guiſio, Regi Saulis nomen, & fatum relinqui apparebat. Libelli eodem tenore Lutetiæ typis editi Guiſianas laudes cum vituperatione Regis, & miniſtrorum in prouincias Galliæ, & extra Galliam, Romam vſque perferebant. Vbi Sixto V. Pon-

Mulier Burgúda Germanorũ octodecim iugulat.

Cater. l. 8.

Plauſus, & acclamationes, quibus Lutetię exceptus eſt Guiſius poſt victoriam de Germanis relatam.

Cater. Thuan. Turn.

Specioſæ appellationes illi tributæ.

Libelli in eius laudem editi Romam perferuntur.

Pontifici, qui Gregorio XIII. ſuffectus, cum Sacroſancta dignitate curas Gallicæ Religionis induerat, ſummam erga Guiſium Ducem exiſtimationem, ac beneuolentiam conciliarunt. Quam, tum in Purpuratorum Senatu, Gedeonis cum laudibus coæquando, tum in perhonorifica Pontificalium litterarum gratulatione teſtatus eſt. Contra, Mario Bandino, Regis Henrici nomine rem Catholicam in Gallijs proſperè adminiſtratam nuncianti reſpondiſſe ferunt: relatæ de Germanis victoriæ decus, non magis ad Francorum Regem, quàm ad Bizantinum Cæſarem pertinere. Tanto Pontificis fauore ſublatum Guiſiæ Ducem eò fiduciæ veniſſe comperi ex literis Aloÿſij Cardinalis Eſtenſis ad Franciæ Regem datis, vt de iungenda cum Sixto affinitate agitauerit, per eius neptem Flauiam Perettam (quæ poſtea Brachiani Duci nupſit) filio ſuo Ionuillæ Principi in coniugium expetitam. Quibus à nuptijs, præter ingentem auri ſummam, quam nomine dotis erogatum iri ab opulento Pontifice ſperabat, apud Proceres, & ciuitates Catholicas authoritatis incrementum tam grande ſibi acceſſurum rebatur, vt haudquaquam magnæ molis negotium futurum videretur, ſecundùm Henrici III. obitum, expun-

Eidem per litteras gratulatur.

Dictum Pontificis, quo à cõſortio Guiſianæ victoriæ Regem excludit.

Guiſius fauore Sixti Pontificis in ſpem magnã adductus agitat de affinitate cum illo iungenda.

Sperat, huiuſmodi nuptiarum præſidio filium ſuum poſſe ad Galliæ ſoliũ euehi excluſo Nauarro.

expunƈto Nauarro vt Hæretico, cum cæteris Borbonijs, vt Hæreſis fautoribus, in Chriſtianiſſimum ſolium Ionuillæum. Catholicarum partium Principem cum vxore Pontificij generis attollere. Eiuſcemodi rerum traƈtatio Romam inter & Galliam per literas vltro, citroque miſſas inſtituta, cùm veniſſet ad aures Franciæ Regis, animum altiùs penetrauit, auƈtiſque de Guiſio ſuſpicionibus, & metu odium intendit. Neque enim obſcurum, quantum Duci ſpei, quantum curarum Regi per tale matrimonium pararetur. Nam ſi antehàc Dux Guiſius Religionis tutelam in Gallijs, Regnum ſuum fecerat, arces occupauerat, arma, & bella inferri pro arbitratu compulerat; quò inſolentiæ non progreſſurum, vbi per initam cum Sixto Pontifice neceſſitudinem, Fœderatorum potentiæ Romanæ Sedis authoritatem, quaſi humanis viribus cæleſtes opes adſociaſſet? Sed nihil æquè ſollicitum habebat Regem Henricum, ac libertas quorumdam hominum, qui profeſſione virtutis venerandi in mores illaudatos Principum haud laudabiliter inuehuntur. Metuebat, ne his authoribus, qui è ſuggeſtu ſacro in templis, & Guiſiæ Ducem laudibus attollere, & Franciæ Regem deprimere malediƈtis auſi fuerant, vulgus

Ea Guiſij machinamenta Regis ſuſpicionem, & curam intendunt.

Concionatorũ libertas grauiſſimã Regi ſollicitudinem inijcit.

gus ignobile licentiam ſermonum ad facta tranſferret. Cùm præſertim gliſceret rumor diditus à Guiſianis, abdicaturum Henricum, tamquam imparem: oſtentante Mompenſeriâ Duciſsâ Guiſij ſorore forfices aureas, queis attonſum iri crinem firmabat Regi, cùm in cœnobium compingendus eſſet. Tantam itaque licentiam Rex terrore compeſcendam ratus, in Sacros Oratores primùm imperat animaduerti, qui pro admonitione priuatim adhibenda Principibus, eos publicè redarguentes, in alienis corrigendis peccatis ipſi peccabant. Satellitum globus ad reos comprehendendos immiſſus intercurſu armatæ multitudinis repulſus eſt. Et hanc, & illos vt vlciſceretur, militares copias Laniacum accerſit, vrbem quindecim paſſuum millibus Lutetiâ diſtantem. Conſilium erat, præter vocales turbarum incentores, authores coniurationis in Regem, quorum nomina index fidelis detulerat, diligenter inquirere, & inuentos armatorum miniſterio in Baſtiliam trudere. Contra popularem, ſi quis oriretur, tumultum, præter externum militem quadraginta millia ciuium in armis præſto futura Præfectus mercatorum exhibebat. Quamuis promiſſum tam magnificum in ludibrium poſtea

Mompenſeria Guiſij ſoror forfices oſtentat attondẽdo cænobitarũ in morem Henrico Regi paratas.

Rex ad puniẽdam Cõcinnatorum audaciam ſatellites in illos immitti.

Repellũtur ab armata multitudine.

Regis conſilia de vlciſcendis turbarum incentoribus, & multitudine comprimẽda.

Præfecti mercatorum ampla promiſſio in ludribium verſa.

N ſeu

De illa cauillus.

ſeu fortuna, ſeu dolus verterit. Vnde factus cauillo locus: diuiſiſſe Præfectum Regi, Guiſioque ciuium ſubſidia, atque exceptis quadraginta, quos Regi ſepoſuerat, reliqua omnia millia Guiſio commodaſſe. Cùm hæc agitarentur,

Dux Guiſius eluſo Regis interdicto Lutetiam intrat.

Dux Guiſius Pariſienſium rogatu, ſex tantùm domeſticis comitatus interuenit, eluſo per ambigua dicta Regis imperio, quo ne tali tempore Lutetiam accederet, per Pomponium Bellieureum interdixerat. Cùm verò, exſcenſione factá in domum Reginæ matris Guiſius, eâ mox deducente inermis veniſſet ad ſalutandum Regem, hic præmonitus, eum de medio tollere irarum plenus deliberauerat, inſtigantibus ferociſſimis amicorum, vt causâ, & occaſione vteretur. Conſilium præceps diſiecit prudentia, & authoritas Reginæ, quæ filium ſeuocatum admonuit: quanta populi multitudo ad fores Luparæ præſtolaretur; quamobrem Duci Guiſio licèt inermi Lutetia tota pro domo, quingenta millia ciuium pro præſidio cenſenda eſſent. Si quid grauius in eum ſtatueret, reponendum ſibi, ac ſuis reputaret, furenteſque in vltionem Pariſienſes ipſam Luparam haud ſatis firmam contra irruptionem tantam, ferro, facibus inuaſuros, vt Regis interitu, inflammatione

Pōpone de Bellieure.

Rex eum inermem ad ſalutādum ingreſſum de medio tollere ſtatuit.

Dimouetur à præcipiti conſilio Reginæ matris ſalubribus monitis.

ne

ne Regiæ Guiſianis manibus parentarent. Tradunt aliqui (cuius rei ſit fides penes authores) Guiſiæ Ducem in nube Regalis ſupercilij, & in vultibus turbidis Aulicorum impendentem capiti ſuo procellam proſpexiſſe, non ſine conſternatione animi, cuius indicium fecit ſubitus ex deceſſione ſanguinis oris pallor. Abrupto igitur ſtatim colloquio, cùm fatigationem itineris excuſaret, diſceſſum feſtinauiſſe; inter abeundum intentis oculis in ſatellites armatos, ne imprudentem occuparent, alterâ manu dexteram Regis arctè complexum, alterâ pugioni admotâ, inſuſurraſſe in aures: aut me incolumem à tuis hinc emittes o Rex, aut fato pari fungemur ambo; quâ conſtantiâ vocis, & pectoris Regem abſterritum exemiſſe periculo Ducem, ne vnà periclitaretur. Poſterâ luce, cùm in Aulam Dux redijſſet, animis in ſpeciem tranquillioribus conuenere. Nam & Rex eâ noctis morâ imperauerat ſibi, vt iram pridie malè diſſimulatam ſupprimeret, & Dux aduersùs metum quadringentorum nobilium comitatu ſe firmauerat. Neque tamen placatiores, quàm venerant, diſceſſere. Siquidem Henricus in eo perſeuerabat, vt latitantes in ciuium domibus coniuratos extraheret, puniretque. Contra Guiſius, licèt ver-

Guiſius imminentē ſibi procellam Regis in vultu deprehendit.

Rex, & Guiſius pacatius in ſpeciem iterū conueniunt.

Quo animo vterque ab eo congreſſu diſceſſerit.

N 2

verbo annueret, re obluctabatur: vexari dictitans hoc prætextu à calumniatoribus Aulæ, ciues Catholicos, ad quos protegendos aduolaſſet. Cùm itaque miniſtros Regios in perquiſitione reorum fruſtrari à populo appareret, vim adhibendam Rex duxit, aduocatis in vrbem armatis Gallorum cohortibus, & Heluetijs legionibus. Hæ ſignis explicatis, timpaniſque, ac tibijs concinentibus ingreſſæ, vias prope Luparam, & fora, non ſine terrore ciuium inſedere. Dum progredi vlteriùs tentant, vt reliquas vrbis partes Regi ſubijciant, in Maubertino foro à ſeditioſis tumultuario agmine conglobatis obſiſtitur. Quos militares viri collato gradu profligare, ac diſijcere parabant, cùm imperio Regis admonentur, vim ne inferant, ſolùm repellant. Eâ denunciatione ſicut audacia turbis acceſſit ſpernentibus Regios milites, tamquam immota ex metallo ſimulacra; ita his trepidatio, & confuſio iniecta; quandoquidem eo ventum erat, vt niſi pellerent, pellerentur. Interim ſonitu campani æris ad arma ciuibus concitatis, Lutetiæ viæ omnes celeritate ſummâ obſeptæ ſunt catenatarum trabium, doliorumque terrà refertorum obicibus. Per hos Regij milites inter ſe abiuncti, neque vires, neque con-

Rex ad comprehendendos coniurationis auctores armatas Gallorum cohortes, & Helueticas legiones in vrbem inducit.

His vias & fora occupantibus à ſeditioſorum agmine obſiſtitur.

La Place Maubert.

Regis imperio prohibentur milites vim inferre multitudini.

Plebis audacia ex ceſſatione militum.

Viæ Lutetiæ catenatis trabibus, doliiſque obſtruuntur à ciuibus.

conſilia ſociare inuicem poterant. Cùm ita defenſioni ſatis prouiſum Pariſienſes putarent, à ſucceſſu ſpirantes altiùs, Regias cohortes expugnare conſtituunt. Externos primò, Heluetiorum aciem aggrediuntur, vnius inſolentiâ tubum temerè explodentis irritati. Quadraginta ſuorum primo inuadentium impetu trucidatis, cùm ſuperfundentem ſe torrentis in morem armatam multitudinem diffiderent poſſe ſuſtineri, vexillis inclinatis Heluetij ſe dedunt. Idem alibi faciunt & cæteri. Supererant Regiæ ædes intactæ, ad quarum tamen frontem Sanpaulus vnus ex Guiſianis Ducibus promouendo ſenſim doliaria munimenta perduxerat. Rex intus armatus cum quingentis nobilibus, præter cuſtodiam corporis, & ſtipatores Heluetios vltimum diſcrimen opperiebatur, haudquaquàm Regnum, niſi cum vita, neque vitam, niſi editâ pugnâ memorabili, relicturus. Aperuit is dies, Guiſiæ Ducem minùs eſſe malum, minùſque Regni cupientem, quam aduerſarij criminabantur. Eò quippe rem deduxerat, vt haud magna moles futura eſſet, Rege vel ſublato per certamen, vel capto, & in cœnobium intruſo Regium extorquere titulum, cui iam authoritatem præripuerat. At conſcientiam veritus,

Regiæ cohortes ab iiſdem inuaduntur.

Heluetiorum, cæterorumque militum conſternatio, & deditio.

S. Paul.

Sāpaulus Dux Guiſianus ad Regias aedes doliaria munimenta perducit.

Regis in eo periculo deliberatio fortis.

Guiſii animus à Regis cæde alienus.

magis

Victoriæ fructum honeſtati poſthabet Guiſius.

Eius manſuetudo vt inconſulta, & præpoſtera à Cardinali Ludouico fratre reprehenditur.

Idem increpatur ab altero fratre Duce Mainei ob incæpta nimis audacia.

magis quàm famam, quæ ſceleri felici plauſum ſæpe non denegat, victoriæ fructum quantumcumque ante fas, & honeſtum non habuit. An Regnum maluit expectare, quàm rapere? vt interim imputaret Regi quaſi donatum, quia non abſtulerat? Eò certè nomine grauiter poſtea increpitus eſt à Ludouico Cardinali fratre, Principe ferocioris ingenij, quàm Sacerdotem, & Purpuratum deceret. Is arguebat, plus iactantiæ indulſiſſe Guiſium, quàm vſui, Ixioniá vanitate Regni laruam amplexum pro Regno, collectáque perfidiæ famá, eius pretium amiſiſſe. Conſilium tam atrox, aut non inchoandum, aut cæptum ad exitum quoquomodo prouehendum. Cuius nam prudentiæ ſuaſu, inimicum fieri, nec tolli, lædi Principem, & ſeruari, vt vltorem expectes, cui peperceris? Neque minùs audaciam fraternam incuſabat Carolus Mainei Dux natu minimus, at longè temperatioris ingenij: Nihil medium tenere Guiſium, inter præcipitia, & ſumma. Quò enim ſpectare, quemue habitura finem perpetua cum Rege certamina, niſi vt eò neceſſitatis veniretur, vt alteruter occideretur, aut occideret, vel perderet, vel periret? quorum alterum flagitioſum, alterum miſerum. Non abſimilia ſenſiſſe Par-

men-

menſem in Belgio ferunt; miratum primò confidentiam Ducis arma ſtringentis in Regem, dein celerem verecundiam deponentis; & contuliſſe luſori gladiatoriæ artis, qui plagam elato mucrone comminatus, inuerſâ gladij latitudine innoxius decidat. Atqui periculoſum eiuſmodi ludum cum Principe, aduersùs quem educendi gladij, abijciendæque vaginæ, deliberationem vnicam eſſe. Equidem, vt pace tantorum Principum verius iudicium interponam; ſicut optimum Guiſio fuerat, nefas non ingredi, ita proximum innocentiæ reor, quod ab incœpto nefario reſilierit: neque pœnitentiæ pœnitendum, quicunque ſortis illum exitus tulerit. Nam humanæ vitæ læta, vel triſtia cum ipſa finiente finiuntur; ſed rectè, aut perperam factorum, tam præmia, quàm ſupplicia coæquantur æternitati.

Quid de illius & confidentia in ſtringendis armis in Regem, & verecundia in deponendis Farneſius ſenſerit.

Verum & pietati conſonum de Guiſii facto iudicium.

Poſtquam periculo virium facto Regem inter, & Guiſiæ Ducem, liquidum fuit, vter in vrbe primaria Regni plùs poſſet, concordiæ leges, quales à victoribus victis, hinc datæ ſunt, illinc acceptæ. Dux equo circumuectus, ad tranquillitatem populum reuocat, Regios milites aut obſeſſos, aut captos liberat, arma benignè imperat reddi; Ducibuſque

Concordia inter Regem, & Guiſium eiuſque conditiones huic fauorabiles, illi onerosæ.

Gui-

Guiſianis præeuntibus vel inermibus, per armatos cuneos plebis iratæ, ſine noxia deducuntur in tutum Regales copiæ: Guiſium nomen hinc ciuibus, hinc externis vnanimi plauſu prædicantibus. Qui ſanè glorioſus inſtar triumphi Guiſio fuiſſet, niſi de Rege victo reportaretur: ea propter Ducis interitu, & grauiſſimis Lutetiæ malis intra annum vindicandus. Rex enim, ne ad iniquiores pactiones adigeretur; cùm Autricum Carnutum profugiſſet; illic in ſpeciem Chriſtianæ manſuetudinis compoſitus, legationes Pariſienſium, & Guiſij contumaciam expurgantes admittit, verba ſoluentes prò malefactis recipit, concordiam redintegrat; reiectis inclementi reſponſo officijs Eliſabethæ Reginæ. Hæc ſiquidem, auditâ Pariſienſi conſternatione ſub Duce Guiſio, literas ad Galliæ Regem dederat, in quibus præfata, ſua & omnium Principum intereſſe, ne inultum abiret exemplum Guiſianæ arrogantiæ in Regem, aureorum ſexcenta millia Henrico obtulerat; modò Hugonotos Galliæ pacem agitare permitteret, Guiſioſque communes hoſtes de medio tolleret. Ita ſub nomine Maieſtatis Regiæ vindicandæ, priuatas Eliſabetha cum Guiſijs inimicitias perſequebatur; quos illa, vt Mariæ

Tur.

Thuan.

Rex profugit Autricum, & eius fugæ potiſſima cauſa.

Chartres.

Ira ſuppreſſa concordiam redintegrat repudiatis auxiliis Anglicis.

Sco-

Scotorum Reginæ propinquos vltores indignæ necis metuens acerbè oderat. Intellectâ inuidiâ; & inuidiæ causâ, vtrique poſtulationi Rex abnuit. Seù Reginæ iratus propter auxilia toties Hugonotis contra Catholicos præbita, ſeu placatus iam Guiſio, per ſinceram præteritorum condonationem, vt Hiſtorici affirmant, qui Bleſenſem cædem nouis perduellionis criminibus imputant. An denique (vt alij ſcribunt) quia premendi certus qualiſcumque in Guiſios animi periniquè ferebat, ſubdolæ fœminæ artibus occulta ſui pectoris pertentari. Quare magnificis eiuſdem literis ieiunè reſcripſit: æquum videri, cùm Rex Galliæ à rebus Britannicis prorſus abſtineat, vt Angliæ Regina ſe negotijs Gallicis non interponat. Poſtulatis autem Fœderatorum partim annuit in præſentia, partim ad Regni Comitia diſtulit, quæ proximum in autumnum Bleſiam indixit. Hoc potiſſimum boni ex Pariſienſi malo Rex in rem ſuam traxit, vt poſt habitâ Lutetiâ, ſedem Comitiorum fidam ſibi, atque conſilijs, quæ pro re nata ſuſcipienda eſſent, idoneam citra ſuſpiciones Guiſiorum, aut iuſtam Pariſienſium querimoniam deligeret. Bleſiam itaque conuenientibus tribus Ordinibus Regni per viros

Thuan. Cater.

Indicit regni Comitia Bleſiâ

Dux Guiſius, & Cardinalis frater ad comitia veniunt.

O litte-

litteris,& prudentiá claros,Guiſiæ quoque Dux cum geminis Cardinalibus Carolo Borbonio, & Ludouico fratre, acceſſit: multum, ſed fruſtra dehortante matre Anna Eſtenſi Ferrarienſis Ducis Sorore, que Guiſiæ primum, dein Nemoroſij Ducibus nupta Guiſios, & Nemoroſios fratres genuerat. Hæc animi vehementer anxia Bleſiam, & Comitia non ſecus ac paratum ſoboli ſuæ barathrum perhorreſcebat, magis reputans, quid illic Rex poſſet facere, quam quid deberet. Argumenta verò ſummæ beneuolentiæ, congeſtique honores in filios à Principe offenſo adeo ſuſpiciones matri non ademerant, vt augerent; quaſi donis mortiferis ad exitium ineſcarentur. Neglexit Guiſius maternos metus,vt muliebres. Neque enim Regi deliciarum cupido tantum audaciæ adfore putabat, vt violatis cum fide publica Catholicæ factionis Principibus, grauiſſimam ſibi, ac Regno perniciem contraheret, cum certa confuſione rerum omnium. Sed præualuit occaſionis momentum,ardorque puniendi præter antiquas recentiores iniurias, per quas in Comitijs authoritatem Regiam petitam à Guiſijs, & conculcatam dolebat. Acceſſerunt amicorum inſtigationes, non iram aſperantes modò, ſed & metum: ne

Mater Nemoroſia dehortatur Guiſium à Bleſiæ, & Comitiorum acceſſu.

Matris ſalubria monita negliguntur à filio.

vide-

videlicet præuerteretur, niſi præuerteret. Spem quoque facientes indubiam, ademptis capitibus; peruicaces Fœderatorum ſpiritus repreſſum iri. Cum itaque in ſecreto concilio Guiſios, & Guiſianos Maieſtatis reos peregiſſet, ſumendum de Duce Guiſio ſupplicium demandauit octo promptiſſimis ex cohorte quadraginta quinque nobilium. Ipſâ quæ peruigilium Natalis Dominici anteceſſit die, cùm in Aula Regiarum ædium Senatores de publicis rebus diſceptarent, euocatus inde Guiſiæ Dux Regis nomine, quaſi arcani aliquid vnà deliberandum eſſet, dum primum cubiculum tranſgreſſus ad alterum tendit, erumpunt extemplo ſtrictis pugionibus percuſſores, circumuentum vndique feriunt, tum conatum fruſtra ferrum educere, atque huc illucque corpus iactantem plagis ad ſatietatem conficiunt. Auditâ voce fratris, inter illata vulnera ingemiſcentis, Cardinalis aſſurrexerat, vt ad opem ferendam, an ad ſociandam mortem accurreret; cùm ab Aumontio nudum obijciente mucronem, abſterretur, & ſatellitibus Regijs aſſeruandus traditur. Verùm in ipſa cuſtodia liber animus, iræ, ac furoris violentiâ abreptus, quam vnam poterat de inimico Rege vindictam, iactatis

Dux Guiſius per inſidias occiditur.

Comprehēditur Cardinalis Ludouicus, & in cuſtodiam traditur.

Mareſchal D'Aumont.

Eiùs liberę voces & minaces

minaciter probris, vſurpabat. Quæ res extremam perniciem aut peperit, aut accelerauit. Nam ſatiato cæde fraternâ Regi cunctationem iniecerat Purpurata dignitas; nobilibus, qui Ducem interfecerant, ſacri hominis cruore polluere manus recuſantibus. Verùm amici ſuam, & Regis vicem ſolliciti, ſi Duci Guiſio frater Cardinalis vltor ſupereſſet, admonuere neceſsitatem continuandorum facinorum; quantumque periculum impenderet à rabie veſana hominis, vel inter vincula minantis. Decretam itaque cædem ſuſcipere alijs abnuentibus, alijs perficere ſuſceptam non auſis, viliſsimorum ſatellitum haſtis confodiendus Cardinalis obijcitur; cùm domuiſset patientiâ animum biduo interiecto, & deterſis confeſsione noxis ad Chriſtianam mortem comparaſset. Peractâ in Galliæ theatro tam lugubri ſcenâ, datiſque in cuſtodiam cum Cardinali Borbonio, & Archiepiſcopo Lugdunenſi, qui capi potuere, Fœderatorum Ducibus, Ionuillæ præſertim Principe, filio Ducis interfecti; quo tempore Henricus Regno pacem, ſuoque capiti diadema reddidiſse, Rege (vt aiebat) Pariſiorum ſublato, ſperauit, iactauitque, vtriuſque falſus; immenſum creſcentibus per Galliam turbis, intra ſeptem

men-

Quid in eo perdẽdo Regi cũctationem iniecerit.

Rex ad eius cędem instigatur ab amicis.

Regis iuſſu cõfoditur à ſatellitibus.

Cardinalis Borbonius, & præcipui Fœderatorum Duces conijciũtur in carcerem.

Regis falſa ſpes, & inanis lætitia ob ſublatos Guiſios.

menſium periodum Regno, & vitâ ſpoliatus eſt. Nam, contra quàm prouerbio circumfertur, nullum timeri ab exanimato cadauere bellum, Guiſiorum Principum reliquiæ exangues, atque in cinerem flammis edacibus reſolutæ, immane quantum odiorum, & armorum incendium ſuſcitauere. Quò flagrantiores videlicet fuerant, erga Guiſium præſertim Ducem, amores Catholicarum ciuitatum, eò impotentiùs, auditâ miſerabili occidione, exarſere omnium ferè Ordinum iræ. Lutetiæ primùm, vbi concitatâ illâ innumerabili multitudine, à luctu, deſperatione, ira in furorem, in rabiem, in inſaniam tranſcurſum eſt. Quamobrem hac tempeſtate, grauiſsimis malis, & doloribus afflicto Fœderi non ſecus ignoſcendum videtur, ac æſtuanti febribus ægro, ſi quid verbis, factiſque deſipiat, valetudinis vitio magis, quàm ſuo. Circumlatæ per vias, & fora ſanguinolentæ Guiſiorum effigies, propoſitæ venerationi in templis, quaſi odio Catholicæ Fidei mactati eſſent, decoratæ elogijs, & nomenclaturâ cæleſti, tantùm non aris & ſacrificijs conſecratæ. Ex aduerſo, Henrici Valeſij (nam Regium titulum publico edicto abrogauerant) diſcerpta paſsim inſignia, exploſum nomen, ami-

Guiſiorum reliquiæ in cinerem, ventoſque datæ ſuſcitant bellorũ incendia.

Catholicarum ciuitatum, & præſertim Lutetię mœſtitia, indignatio, & furor ob Guiſiorũ cædem.

Eorum imagines per vrbem circumferũtur, & venerationi exponuntur in templis.

Cõtumelię plebis in Regem, & eius inſignia.

ci

ci in catenas dati, authoritas proculcata, & irriſa; imagines aut laceræ, ignique traditæ, aut ſi quæ ad ludibrium proſtarent in triuijs obiectæ vulgi ſibilis, & execrationibus puerorum. Inter hæc adueniunt ab Vrbe Sixti Quinti Pontificis literæ, pœnas ſacrilegio debitas è ſententia Patrum Purpuratorum Henrico interminantes, niſi cauſas redderet interempti Cardinalis Præsbiteri, & Archiepiſcopi, nullo inquirente, iudicio nullo, manibus graſſatorum, cum offenſione ſummâ, & lacrymis Catholicorum, pari Hugonotorum lætitia, & tripudio gratulantium, Guiſijs extinctis, expiraſſe Romanam Religionem in Gallia, Miſſam funditus concidiſſe. Cùm tamen ipſe Rex epiſtolam Guiſiorum, Cardinalis præcipuè laudibus cumulatam paucis ante diebus dediſſet ad Summum Pontificem, vehementer orans, vt Auenionenſi Legatione decoraretur, vnde apparebat, niſi mentitum ſe fuiſſe Rex impudenter fateretur, interiectâ morâ tam breui, vix intercedere potuiſſe cauſam in vtrumque tam immaniter ſæuiendi. Sed omiſſâ mentione Ducis Guiſij, perempti Purpurati fratris rationem Sixtus minaciter repoſcebat. Inſtabat pariter, vt Cardinalem Borbonium, & Archiepiſcopum Lugdunenſem, aut è cuſtodia

Sixtus Pontifex minatur Henrico Regi grauiſſimas iuris eccleſiaſtici pœnas, niſi cauſas reddat Cardinalis indicta cauſa perempti.

Idẽ inſtat pro educẽdo è cuſtodia Card. Borbonio, & Archiepiſcopo Lugdunẽſi.

dia dimitteret vt innoxios; aut, ſi reos eſſe contenderet, Mauroceni Cardinalis Legati poteſtati traderet, ad dicendam cauſam Romam tranſmittendos. His euulgatis, atque inde licentiùs concionalium virorum linguis tamquam flabris euentilato Pariſijs incendio, latèque per Gallias fuſo, non ſolùm primarias ciuitates Fœderi iam olim innexas, verùm etiam illas, quæ hactenus Regiarum partium fuerant, à ſe auerſas Rex, & Guiſianas factas poſt necem Guiſiorum ſtupens, ac mœrens audiuit. Et ille quidem poſt orſa tam atrocia, cùm inſtandum reliquis pari animo eſſet, & Lutetiam ad caput rerum accurrendum, ne ſpatium reſpirandi perterrefactis ciuibus daretur, Bleſiæ literis, atque edictis pro facinoris expurgatione quoquo verſum ſcribendis hærebat, tamquam calamo conſummaturus tragœdiam, quam exarare gladio cœperat. Seu defecturos credidit animos populis orbatis auſpicio tantorum Principum, ſeu quantumcumque ſe commouerent, mobilia Gallorum ingenia, nec diuturnas in alieno malo querimonias reputans, tranſitum tempeſtatis opperiebatur. Donec à Romano Pontifice, cuius monita fruſtra fuerant, anathemate perculſus, mox audito, Carolum Mainei Ducem interemptorum Principum

Concionatorũ linguis augetur ira & odiũ populorum in Regem.

Ciuitates Regi antea fidæ deſciſcunt ad Fœderatos.

Regis incuria, & inconſulta ceſſatio.

Anatemate percellitur à Sixto Põtifice.

cipum fratrem, magnis cum auxilijs, quæ permultæ Regni ciuitates eiectis Regijs Præfectis, vltro ſubmiſerant, Lutetiæ fuiſſe ſuſceptum, & quaſi vacuo Regni ſolio Interregem ſummá omnium Ordinum gratulatione renunciatum, iamque caput Fœderis, cum ſuis Fœderatis regnare, ſuccumbendum tempori duxit, ac de impetranda ab eo pace primùm agitauit. Cùm enim Pecherius Bleſiam à coniuge Guiſiæ Ducis miſſus, ad ſe veniſſet rogatum, vt Carolum Ducis extincti filium in arce Bleſiæ concluſum materno nomine inuiſere, ac ſolari fas eſſet; per vxorem Aloyſiam Reginam è Lotharinga gente, ſermonem de concordia inijci iuſsit. Illa Pecherium ad ſe accerſitum interrogat: eſſetne Mainei Duci conſtitutum, vniuerſæ Galliæ poſſeſsione legitimum Regem euertere, ita vt ne veſtigium quidem ſoli faceret reliquum, vbi cum Regina vxore inſiſtere poſſet? Atqui Maineo, quem à fraterna ambitione abhorrere cognoſſet, Henricum Regem ex animo cupijſſe ſemper, eamque voluntatem amplitudine munerum, ac delatá exercituum adminiſtratione teſtatum. Orare modò, vt cum fine fratrum odia partium finirentur. Si extinctos ad vitam reuocare liceret, quò eius dolori faceret ſatis, reuocaturum libenter. Quod pro-

Cur tẽpori cedendum duxerit.

Ex literis Alex. ad Regẽ. Pecherij.

Per Aloyſiam vxorẽ agit de pace à Mainei Duce imperrãda.

Aloyſiæ Reginæ ad Pecherium verba.

proximum ſit, inuiſos cædis conſiliarios, & adminiſtros in manus traditurum, ad pœnitentiæ documentum, & ſolatium vltionis. Iuſſus hæc perferre Pecherius, vt aditum tractationi aperiret. At renuit aures dare Maineus, quem ira, odium, & perfidia comperta Regis, tum delibata imperij dulcedo, & ſpes Regni in belli curas prorſus auerterant. Paucis ergo reſpondit: Quæ iactaret Rex promerita, eorum gratiam, patratâ immerentium fratrum cæde, perijſſe; per eamdem ſublata pacis, & amicitiæ commercia omnia. Quibus enim ſacramentis conſulere poſſe ſecuritati ſuæ ab eo, qui fidem publicam in Comitijs, ante oculos totius Galliæ iuratus, & periuratus fefellerit? Quare omitteret blandimentis fallacibus eum tentare, cuius gemini fratres credulitatem nimiam ſanguine luerint. Non omiſit ſemel reiectus Henricus, per Pontificium Legatum Cardinalem Maurocenum rurſus Mainei animum promiſſis ingentibus oppugnare. Præter Sequanicam Præfecturam, arceſque ad ſecuritatem conceſſas in poſterum cum ſuprema poteſtate retinendas, centum aureorum millia pro ſoluendo ære alieno pollicebatur, præter annuam quadraginta millium penſionem, tum exercitus, & arma per occaſionem

Maineus renuit pacis tractationem audire.

Cauſas affert.

Cater. l. 10.

Rex per Legatum Card. Maurocenum Mainei animum tentat expugnare promiſſis.

P ad-

adminiſtranda. Quin eam ipſam, quá recens ornatus à Pariſienſibus fuerat, continuaturum ſplendidiſsimam dignitatem affirmabat Guiſio fratri tanto molimine incaſſum ambitam; vt Legatus Regni, ſeu Coronæ Francicæ coleretur alter à Rege. Non abſimili ſponſione reliquos Fœderis Principes captare nitebatur, ſed fruſtra. Cùm omnes pernegarent, in Cyclopis antrum ſe redituros, periculumque facturos eius fidei, quam ſemel infidam tanta cum clade publica, & priuata ſenſiſſent. Quin obſeruatum à ſe ſcripſit in litteris ad Cardinalem Montaltum Maurocenus, tamquam ſignum odij implacabilis; quod in colloquio ſecum inito Maineus ab Henrici Regis nomine perſeueranter abſtinuerit; cùm eo loco, infelicem illum, illum inteſtabilem vſurparet. Deſperatá igitur concordiá cum Fœderatis Henricus fluctuare animo cœpit incertus, quid conſilij caperet; cùm & Hugonotos, quibus cum eo tempore bellum gerebatur, hoſtium loco haberet, & bellum longè grauius inferri à Catholicis exacerbatis animaduerteret. Extrema demum inire conſilia, neceſsitate compulſus inſtituit. Miſsis ad Nauarræ Regem, qui ſociandas vires contra communem hoſtem ſuaderent, cùm facilè con-

A Maineo, Fœderiſque Principibus reijcitur.

Odium implacabile in Regem.

Regis trepidatio, & conſilij inopia.

Neceſsitate compulſus cū Rege Nauarræ vires, & arma conſociat.

conueniſſet, eius conſilio ſpem ſuam poſt hàc in Carr. bio. ferro, & victoria collocandam cenſuit. Poſtquam igitur Fœderatos omnes perduelles, violatæque Maieſtatis reos edicto pronunciauit, euocatá è prouincijs nobilitate, binis inſuper Heluetiorum legionibus conductis, ad bellum ſtrenuè ſe comparabat. Cuius initio parum abfuit, quin accurſu Fœderatorum equitum repentino interciperetur. Poſtquam enim Dux Mainei Franciſcum à Luxemburgo Briennæ Comitem cum binis Regiorum militum millibus in aperto tendentem adortus ex improuiſo expugnauerat, redegeratque in poteſtatem, ſucceſsu elatus, in expeditionem maiorem ſe accin- Tours. xit, conatuſque eſt Franciæ Regem Turonis agentem celeritate mirabili occupare. Vndecim leucarum ſpatio vnâ nocte confecto, cùm quadraginta horas equo ſediſset armatus, immane operæ pretium tulerat, niſi virtuti fauorem arbitra rerum bellicarum fortuna denegaſset. Extra Turonum ſuburbia Rex vagabatur, ad fruendum libero cœlo paucis cum familiaribus equo circumuectus, cùm ecce tibi excurrens molæ frumentariæ cuſtos ignarus, Regem eſse, quícum loqueretur, nunciat in proximo viſum agmen ignotorum equitum, cauendum-

Eius edicta in Fœderatos.

Ad bellum ſe comparat.

Maineus Briennæ Comitem aggreſsione improuiſa expugnat, & capit.

Regem occupare conatur.

Rex molitoris indicio imminenti periculo eximitur.

que Principi ſi fortè illac ſpatiaretur. Conuerſis retro oculis Rex erumpentes è valle Fœderatorum turmas conſpicatur, admiſſoque velociter equo in ſuburbia redit. Primo periculo ſortis benignitate diſcuſſo, alterum virtute propulſauit. Quamuis enim Regijs inopinantibus Fœderati ſuperuenirent, haud tamen imparatos offendunt. Certamen initio extra, mox intra ſuburbia commiſſum, protractumque longiùs variâ fortunâ, hinc Maineo, illinc Rege ſuos adhortantibus, noctis interuentu dirimitur. Tum ſuburbia non tam à Maineo occupata, quàm à Rege deſerta ſunt; vt parceret cruori nobilium ante oculos Principis in vulnera, & cædes ruere non dubitantium. Ea quippe recuperaturum ſe proximâ luce citra ſuorum ſanguinem confidebat; adfuturis auxilio Nauarræis, quos in proximo tendentes aduocauerat. Hos vbi aduenisſe Maineus comperit, iniecto ſuburbijs igne, ſub auroram eò, vnde venerat, pari celeritate copias reducit; cùm ambo ſe victores iactarent, ſuburbijs captis Maineus; Rex, Maineo, ac Fœderatis abire compulſis. Reuerà, Regiorum animis à defectione tot vrbium conſternatis, quod in hac pugna victi non fuiſſent, pro victoria fuit. Altera prope Syluanectum dimicatio Regiorum,

Certamen inter Fœderatos & Regios noctе dirimitur.

Turonum ſuburbia deſeruntur à Rege.

Incenduntur à Maineo.

Senlis.

rum, & victoria clarior; per quam Dux Aumalius, & Balanius Cameraci Gubernator longè maioribus copijs, & apparatu tormentorum inſtructi, à Duce Longauillæ, atque à Nuano pulſi, fugati, caſtris, & impedimentis exuti ſunt.

Regiorũ, Ducis Longauillæ, & Nuani, de Aumalio & Balanio Fœderatorum Ducibus victoria inſignis.

Inde attolli animi Regum, vt non pro ſalute modò, ſed etiam pro imperio dimicandum putarent. Iunctis amborum viribus (Nauarro copiæ aderant veteranæ, ac fidæ; ad Francum numeroſa manus nobilitatis & externus miles affluxerat, quatuor Germanorum millia, decem Heluetiorum) Lutetiam ipſam caput Fœderis; & Guiſianorum arcem expugnare decernunt. Poſitis non procul ab vrbe caſtris, occupatis circa arcibus, & obſeſsis quotquot patebant ad ſubuehendos commeatus vbique vijs, referta illa populis ciuitas, & ſubuectionibus quotidianis ali ſolita, fame laborare intoleranter adeò cæpit, vt iam multi, fruſtra Guiſianis obſiſtentibus, de admittendo Rege diſſererent, admiſſurique proculdubio fuerint, ſi obſidio in longum traheretur. At Reges freti multitudine copiarum (quadraginta millia armatorum ſub ſignis habebant) & quia Fœderati auxilia de Belgio, & Germania opperiebantur, lentiorem à fame victoriam haud expectandam cenſebant;

Duo Reges Francus, & Nauarrus iunctis viribus Lutetiã obſident.

Caer. lio.

Pariſiẽſium fames.

Reges à longioris obſidij conſilio alieni Lutetiam expugnare decernunt.

Rex

Rex Franciæ, pridie Kalendas Auguſti, luſtratis cum Aumontio, & Nuano ſuburbiorum munimentis, de illorum ſententia poſteram lucem quieti exercitus, tertiam verò expugnationi ſuburbiorum deſignauerat. Quippe certam victoriæ ſpem, tum in ſuorum virtute militum, tum in hoſtium imbecillitate ponebat, queis neque muri aggeribus neque milites fide firmi erant, crebris nimirum transfugijs, ciuibuſque non modò Regiarum partium, ſed pleriſque Fœderi addictis, qui mutauerant animum cum fortuna, coniurationem, & tumultum vltro promittentibus. Quamobrem in S. Clodoaldi colle obequitantem Regem, cùm ſub aſpectu haberet Lutetiam vniuerſam, inque animo pleno irarum iniurias veteres, & recentes reuolueret, dixiſse ferunt; Grande Galliarum caput es, ò Lutetia, ſed cerebroſum, ob intemperiem quam affluentia gignit, inſaniæ obnoxium; igne mihi, ferroque, & emiſsione copioſâ vitiati ſanguinis curanda es. Perficiam breui, vt vrbem tam amplam iſthic fuiſſe, auribus magis, quàm oculis credant aduenæ. Ita Rex fati poſtridie imminentis ignarus, inani ſpe vltionis paſcebat animum, opinione ſuorum, & hoſtium haud dubiè victor.

Eorum ſpes, & fiducia.

De Saint Clou.

Henrici III. de Lutetia dictũ, quo extremũ illi minatur exitium.

Caev. l. 10.

Mai-

Maineus enim, Duceſque Fœderatorum ad inopiam commeatus, & militum ſummam redacti, non tam de vrbe propugnanda, quam de oppetenda morte deliberauerant. Gallorum peditatum, quorum octo circiter millia in vrbem incluſerant, ad quinque rediiſſe cernebant. Germanorum legiones à Farneſio de Belgio miſsæ ſub Iacobo Collalto, importunè flagitando ſtipendia, defectionis cauſam captare videbantur. Supererant mille octingenti equites fidi, ac fortes è Catholica nobilitate, & clientibus Guiſianis. Cum horum flore, ac robore, vbi ſuburbia expugnata eſsent, conſtituerant Maineus, Ronæuſque, in campo aggerem, & vrbem interiacente victorem hoſtem horribili impetu adoriri ſortis vtriuslibet ſecuri, in eamque proniores, vt cladem vlciſcerentur, quàm vt victoriam extorquerent. In hunc modum deſpondentibus animos alijs, alijs nimio plus attollentibus, interuenit Diuinæ Prouidentiæ numen, cui tamquam pilas habenti mortales noſtra ſeria pro ludo ſunt. Ex templo mutatis inde partibus, in Galliæ ſcena, quod erant Regij, euadunt Fœderati: tantum hi fidentes, ac læti; quantum illi mœſti, trepidique. Tam ſtupendæ conuerſionis momentum ab vnius homuli dextera, qui notæ apud ſuos,

Fœderatorum copiæ ad ſummam paucitatem rediguntur.

Mainei, Ronæique deliberatio.

Roſne.

Rerum repentina mutatio.

Turr. 11. Thuan. 196. Cater. Buſſer. 131.

ſuos, atque irriſæ ſtupiditatis, futili propior ac vano, quam ſedulo, vel audaci habebatur. Hinc negligi, aut ioco traduci à domeſticis eius dicta, cum ſermonem ſæpe iaceret de parricidio quod agitabat, & eius inſtrumentum oſtentaret cultrum ancipitem, tam mole, quàm acie horridum, duorum latitudinis digitorum. Eo ſuccinctus Iacobus Clemens (hoc enim nomen erat,) impetratis aliquot Regiarum in vrbe partium literis, ad Regem Galliæ in caſtra penetrauit. Poſtero die quam venerat Kalendis Auguſti primo mane introducitur ad Henricum, qui recens à cubitu thorace tantùm bombycino amictus, nondum loricam aut colobium ſcorteum induerat. Remotis, vt flagitauerat, arbitris, procumbens in genua Iacobus Regi literas porrigit, legenti cultrum, quem geſtabat in manica, ictu præualido in ventrem adigit, immergitque. Edito Rex clamore, ferrum extrahit è vulnere, inque faciem torquet parricidæ, quem ingreſsi ad ſonitum cubicularij pluribus confodiunt plagis, & exanimem è feneſtra deijciunt. Inde pedibus cadauer tractum, diſcerptumque, mox igni abſumptum, & deiecti in flumen cineres. At Galliæ Regi ſpem ſalutis in prima curatione medentes fecerant. Sub noctem verò, adue-

Iacobus Clemens Cœnobita cultrum oſtentat, quo Regem Galliæ à ſe occiſum iri aſſeuerat.

Eius dicta ludribio habentur.

In caſtra penetrat & ad Regem introducitur.

Rex Henricus III. à Clemente ictu mortifero vulneratur.

Ferrum e vulnere extractum torquet in faciem percuſſoris, qui à cubiculariis trucidatur.

ueniente febri, cum cruciatu violatorum viſcerum, tum linquente paulatim ſpiritu, extremis admotum ſe ſenſit. Quare accerſitum Nauarrum inter ſupremos amplexus hæredem Gallici Imperij declarat admonitum, vt ſi Regnum, ſeque ſaluum velit, in Catholicæ Eccleſiæ gremium redire ne cunctetur. Regis exemplo omnis in caſtris nobilitas, mox vniuerſus exercitus Henricum IV. Galliæ Regem conſalutant. Dum interim Rex alter moriens elutis per confeſſionem ſemel atque iterum animæ maculis, poſt offenſarum veniam alijs indultam, ab alijs exoratam, inter anteactæ vitæ deteſtationes, ac gemitus piè defunctus eſt.

Rex extremis admotus Nauarrum Gallici imperij declarat hæredem.

Monet eundem vt Catholicam Fidem quã celeriter amplectatur.

Rex Galliæ ab ab vniuerſo exercitu ſalutatur Nauarrus.

Hunc vitæ, ac Regni exitum habuit Henricus III. Franciæ Rex vltimus Valeſiæ gentis, à D. Ludouico Rege per genitum primò filium deriuatæ. Regnante Carolo fratre ſummus armorum Galliæ Præſes contra exercitus Hugonotorum, iuuentâ inter triumphos actâ, in Poloniæ Regem eligi meruit. Inde, poſt annum extinctò Carolo paternum ad ſolium reuerſus eſt, opinione tantâ virtutis, quantam vix vllus priorum Principum ad Regnum tulerat. At dum delicijs, artibuſque regnandi ab inſtituto maiorum alienis indulget, expectatione fruſtra-

Henrici III. morum & vitæ ſynopſis.

tâ populorum, vſque adeo amores in odia vertit, vt nemo ſuperiorum Regum inuiſior fuerit. Patratâ verò cæde Guiſiorum, rebellantibus vrbibus, & prouincijs, Regno ſe pœnè omni exutum ingemuit, niſi Henricus Nauarræ Rex Borboniæ ſtirpis ex eodem D. Ludouico per alium filium ortæ, in communi causâ Regum, arma conſociaſſet, & fortunam ſuam. Nam fortunâ Valeſij benignum referente vultum, vt maligniùs deſæuiret, dum ille victoriæ certus obſeſſæ Lutetiæ imminet cum quadraginta millibus bellatorum, intra ſua caſtra peremptus eſt ſorte vel in gregario miſerandâ. Cuius calamitatis eo faſtigio indignæ præſagia ſanè, ac monita non defuerunt. Nam Orator Hiſpani Regis, qui Venetijs agebat, Alexandro ſcripſit in Belgium; nobilem Gallum iuſſu Senatus in cuſtodiam traditum, propterea quòd in vulgus diſſeminaſſet, Franciæ Regem mitiori pænâ, quam eius facinora mererentur, extinctum. Epiſtolam exeunte Iulio conſcriptam liquet, cùm Regia cædes Kalendis Auguſti peracta fuerit. Quin & Germanus Princeps Henrico familiaris, adoleſcenti ſtrenuo in Aulam Gallicam reuertenti mandata dediſſe fertur ad Regem, vt ſecurus multitudinis perduellium, tantùm à capite de-

Regiæ calamitatis mortiſq; præſagia.

tonſo

tonſo caueret. Idemque rumor non Lutetiam modò, ſed Regum quoque caſtra peruaſerat, Franciæ Regem cultro ſacerdotali tamquam victimam deſtinatum ad necem. Quamobrem videtur illam multimodis Rex præmonitus de facili, & quaſi declinatione corporis euadere potuiſſe. Sed quæ olim futura diuinitus prouiſa ſunt, ea prænuntiata licèt euitari procul dubio queant, certè non euitantur.

Rex præmonitus, vt à capite detonſo caueret mortem euitare potuit.

Quamuis prædicta diuinitus non euitentur.

At Pariſienſes inſperatum Regiæ necis, & ſuæ liberationis nuncium hoſtibus debuerunt. Militabat in caſtris Regijs Ioannes Mariuantius vir fortis, & multarum in priuatis congreſſibus palmarum, eâque laude Franciæ Regi notus charuſque. Hic audito, Lutetiam expugnationi, & excidio poſt biduum deſtinatam à Regibus, anteuertere publico certamini ſingulare conſtituit. Siue cupido immodica præcerpendæ laureæ inceſſerat, ſeu verebatur, ne Lutetiâ euerſâ, & ciuibus trucidatis, materies in longum triumphorum deeſſet. Præconem igitur in vrbem mittit, qui bellicam ad duellum inuitationem Fœderatis exponat, indicatque in poſterum diem vinculis D. Petri Apoſtoli ſacrum. Suſcepit prouocationem Claudius Marolius iuuenis admirandæ quidem, & celebratæ in equeſtribus ludis

PrimumRegiæ cædis nuncium ab hoſte acceperunt Pariſienſes.

L'Isle Mariuaut.

Mariuãtius deſtinata expugnationi Lutetia prærípiendæ laureæ cupidus vnum ex Fœderatis per præconem prouocat ad ſingulare certamen.

De Marolles.

Prouocationẽ ſuſcipit Claudius Marolius.

ludis agilitatis, at non ætate, non experientiâ, non corporis mole, aut robore Mariuantio comparandus. Quamobrem eiuſmodi pugnam vt imparem diſſuadere conatus eſt Dux Mainei, non tantum de Marolij ſalute ſollicitus, quantum ne Pariſienſes improſperum vnius pugnatoris fatum in omen triſte vniuerſi belli traherent. Alterâ luce patratum Regis parricidium, diuulgatumque in caſtris adeò Mariuantium à pugnâ non abſterruit, vt incitauerit magis plenum irarum, auidumque doloris ſui hoſtili ſanguine ſatiandi. Cùm itaque in arenam deſcendere maturaſſet, ducentis, & quinquaginta equitibus comitatus, nuſquam comparentem Marolium, tamquam ceſſantem ex metu, miſſo tubicine increpauit. Ille cùm id temporis à Duce Aumalio armis incingeretur, vitæ tædia cœpiſſe Mariuantium reſpondit, qui ante præſtitutam horam ad necem rueret. Deinde cum pari numero equitum, Aumalij, & Caſtræi medius egredi vrbe properat, ferro à vertice ad pedes obtectus; nam Mariuantius, propter aciem oculorum imbecillam, apertâ facie præliari ſolitus galeam ſine buccula induerat. Binæ mox lanceæ Marolij iuſſu, vt ſeligat Mariuantio proponuntur; Qui ambas aſpernatus quaſi muliebribus colis leui-

Regis interitu Mariuantius magis incitatur ad pugnã.

Mature in arenam ingreſſus miſſo tubicine aduerſariũ increpat vt ceſſatorem.

Marolii reſpõſum argutum, & mordax.

De la Chaſtre.

Singulare certamen inter Mariuantium, & Marolium.

leuitate conſimiles, Marolio remittit vtendas, vt libet; ſe lanceam geſturum, quá nuper in duello hoſtem ſpoliauerat, telum pariter, ac trophæum. Cùm hæc, & illa conuenissent, vt in corpus, & ſpolia victi ius omne victoris eſſet: Mariuantius vrbem versùs, Marolius aduersùs caſtra, lento gradu in equis incedunt, redituri curſu, & certamine ad ſuos. Obuiàm facti mediâ caueâ inuicem ſalutem impertiunt, laturi mox vulnera. Nam circumactis equis, & ad ſonitum buccinæ effuſis ad curſum, infeſtis lanceis concurrerunt. Mariuantius haſtam præualidam in aduerſarij pectus tam vehementer impegit, vt deturbaturus equo fuerit, niſi prominens thorax lubrico chalybis ictum eluſiſſet. At Marolius, cùm haſtam initio ſubmiſſam gereret, quaſi collimaret in pectus, repentè ſubrectam in hoſtis faciè, oculoque dextro defixit, ac transfoſſo vnà capite deiecit equo palpitantem. Qui verba extrema cum ſpiritu fundens: habere lethi gratiam interfectori ſe, dixit, quod ſui Regis cædem cæſus proſequeretur, nec ſuperſtes eſſet futurus optimo Principi extincto, & Galliæ orbæ. Sic moriens hoſtium vnus Henrici III. Franciæ Regis infelicem interitum aut nuntiauit primus Pariſienſibus, aut teſtimonio grauiſsimo firmauit. Quare

Mariuantius oculo cum capite transfoſſo equo deijcitur.

Eius morientis voces extremæ, quibus Henrici tertii necem deplorat.

re cùm à mœſtitia, & pauore maximo Ciues ad ſpem optimam, & gaudium ſummum momento tranſijſſent, comperto, Nauarrum in Franciæ Regis locum ab exercitu ſuffectum,& ipſi communi Fœderatorum conſilio Cardinalem Borbonium Nauarri patruum Galliæ Regem dicunt, Decimumque Carolum fauſtis acclamationibus appellant; addito (nam Carolus adhuc in cuſtodia detinebatur) Mainei Duce, qui Vicarij nomine Regnum moderaretur. Ab Henrici III. Regis exceſſu res Fœderis eò altiùs reſurgere viſa eſt, quo propior excidio fuerat. Nam ex Catholicis nonnulli, qui antea Catholicum Galliæ Regem contra Fœderatos, & perduelles conſtantiſsimè ſequuti fuerant, vbi Hæreticum ſucceſſorem delectum accipiunt, nullas vltra ſupereſſe partes, niſi aut Catholicas, aut Hugonoticas rati, Sancto Fœderi ſe permiſere. Cui, eamdem Religionis ob cauſam prævalida de Belgio, de Hiſpania, de Italia ſubſidia ſperabantur. Contra Nauarræ Rex, quem præter ſanguinis prærogatiuam, Regis interfecti præiudicium, aſſenſus nobilitatis, & omnes copiæ militares Franciæ Regem fecerant, breui ſe in eas anguſtias redactum vidit, vt expetenda videretur fortuna prior. Nam, quemadmodum diſſolutâ

Pariſienſiũ ex maximo metu & mærore ſpes optima, & gaudium ſummũ.

Cardinalem Borboniũ Regẽ Galliæ creãt & Maineũ Regni Vicarium.

Res Fœderis ex imo ad ſũmum elatæ.

Multi Catholicorũ, qui Regem Catholicum ſequebãtur, eo interfecto Fœderatis adhærent.

com-

compage corporis per animæ abſceſſum membra inuicem diſiunguntur, ſic abeunte ſpiritu Henrici Regis, per quem in vnam armorum molem Galli Catholici, Hugonoti, externuſque miles coaleſcebant, ille Fœderatorum terror, & Lutetiæ prope diem expugnator exercitus in partes reſolui cœpit, ſenſimque dilabi quò vnumquemque reſpectus vocabat priuatæ rei, publicâ comploratâ. Germanicæ, atque Helueticæ legiones, vt nouo adigerentur ſacramento, mandata ſuorum Principum requirebant; Hæc ne opperiri grauarentur, ad bimeſtre ſpatium ſubleuandi erant pecuniâ; cuius copia nulla in ærarijs Regum exhauſtis voragine belli, & ſpes diripiendæ Lutetiæ, hactenus pro ſtipendio venditatâ militibus, obſoleuerat. Quamuis autem proceres Catholici conuocato Regijs in caſtris concilio, Nauarrum eâ conditione Franciæ Regem dixiſſent, vt Hæreſi ſextum intra menſem renunciaret; non pauci tamen, vel quod Henrici promiſsis de mutanda Religione diffiderent, vel quia nefas putarent, Hæretico Regi ad momentum ſubeſſe, Lutetiam in Fœderatorum partes abierant; alij ſe receperant domum ad quietem, eodem prætextu pietatis: an tædio ſumptuoſæ, infinitæque militiæ, vt aduerſis partium

Exercitus Regii copiæ dilabuntur.

Cur Catholicorũ Procerũ alii ad Fœderatorũ partes acceſſerint, alii domeſticum otiũ bello prætulerint.

tium impermiſti, ſe proſperis reſeruarent integri, florenteſque? Quamobrem Regijs copijs valde imminutis, amplificatiſque viribus Fœderatorum, diſſoluere obſidionem Lutetiæ Rex coactus, curam funeris Regij prætendit. Adducto Compendium, qui ſupererat exercitu, cum Henrici III. cadauere, militariter exequias celebrauit, commiſeratione magis Procerum, militumque lacrymis, quàm ſumptu funebri ſpecioſas. In æde D. Cornelij tumulo temporario locatum, donec in Sandionyſiana Regum ſepulchra opportuniori tempore transferretur.

Nauarræ Rex exercitu diminutus prætextu Regii funeris obſidionem ſoluit.

Regis Franciæ funus ſumptu modico celebrat.

Eâ tempeſtate, ſi vnquam aliàs, opprimi potuit nouus Rex, vel ad eiurandam Hæreſim quàm primùm adigi, niſi Fœderis Principes bellum, quàm victoriam maluiſſent. Nam Mainei Dux dulcedine captus ſuſceptæ dominationis ante omnia ſtudebat, vt ea continuaret, aut perpetuitate Regni mutaretur. Aumalij, Nemoroſij, & Mercurij Duces, alijque dabant operam, vt è Gubernatoribus prouinciarum Principes fierent. Dux Lotharingiæ Sedanum, Verdunum, & finitimas vrbes iam ſpe auidâ deuorauerat. Hiſpanis propoſitum erat ~~Normandiam~~ Britanniam, vti debitam iure ſanguinis, Iſabellæ filiæ Philippi ſecundi ex Iſabella Henrici Tertij ſorore, ad minimum

Fœderatorum Principes ob priuatæ rei curam publicam negligunt.

Hiſpanorum conſilia.

mum vindicare; ad ſummum, ita pedem in Gallia figere, per eamdem Infantem ſceptro Francico admotam, vt in Belgio, Italia, cæteriſque Hiſpaniæ Regnis ad multas ætates timenda non eſſent Francorum arma. Ita Principum quiſque, cùm ſummum ſtudium præſeferret reipublicæ, priuatæ potiſsimum ſeruiebat; cuius intererat magis trahi, quàm finiri per Gallias ciuile bellum. Quin ipſi populi ſociarum ciuitatum, qui Sacro Fœderi nomen initio dederant, pro Catholica duntaxat Religione ſeruanda, in progreſſu non modica inuenerant commoda, quæ cum ea propoſiti ſanctitate coniungerent. Nam excuſſo per occaſionem Fœderis Regio iugo, admiſsiſque in ſpeciem Gubernatoribus Guiſianarum partium, vniuerſam vrbium dominationem ſibi, quoſque delegerant, plebeijs magiſtratibus arrogabant, libertate tam licenter vſurpatâ, vt quæ antea Regibus vectigalia penſitare conſueuerant, ea Fœderis Principibus pro tuenda cauſa Religionis abnuerent ſoluere; longè acriùs tendentibus pro Nauarro non Hugonotis modò, ſed ipſiſmet Proceribus Catholicis, ſuoque Regi cum ſanguine ſubſidia fortunarum commodantibus. Vnde Hiſpanorum querelæ, quod totam Fœderis molem Philippi Regis æra-

Sociæ Fœderis ciuitates libertatem vſurpât; & vectigalia ſoluere Fœderatorum Principibus abnuũt

Nauarræorum erga ſuum Regem fides, & liberalitas.

Hiſpanorum querelæ.

rarium ſuſtinere cogeretur; eò paratum perfugium pro commeatibus, pro ſtipendijs, pro impenſis omnibus Gallici belli; cùm Maineo Duci ad exigenda tributa, tum authoritas deeſſet, tum voluntas; metuenti videlicet, ne populi, ſi tentarentur, offenſi ad obſequia legitimi Regis redirent, ſublatis pretijs defectionis.

Aulæ Romanæ pro concilianda partibus authoritate Pontificis diuerſa certamina.

At quemadmodum in Gallia inter factiones armorum violentiâ, ita Romæ inter Oratores factionum perquàm acriter verborum officijs certabatur ſuper authoritate Summi Pontificis partibus concilianda. Vrgebat Philippi Regis, & Sancti Gallorum Fœderis nomine Hiſpanus Orator Comes Oliuarius, ne ad Sixtum V. Pontificem acceſſus pateret Franciſco Lucemburgo Pinæi Duci, quem Galliæ Antiſtites, & Catholica nobilitas pro Henrico IV. Rege militans Romam allegauerant. Oratorem enim eum non Chriſtianiſsimi Regni, ſed Nauarræ Regis Hugonoti, & Romanæ Eccleſiæ hoſtis appellabant.

Comitis Oliuarij Oratoris Hiſpani conatus pro arcendo à Pontificis aditu Marchione Lucemburgico Catholicorum cum Nauarro militantium Oratore.

Duc de Piné.

Contra differebant alij, Legatum ſingulari conſenſu Catholicorum Galliæ Procerum, & Sacrorum Antiſtitum ad communem humani generis parentem miſſum pro reſtituendo in Apoſtolicæ Sedis gremium legitimo Rege Galliarum, benigno amplexu & paterni animi ſpi-

Aliorum contraria ſtudia & cauſæ ab illis adductæ, cur ea legatio à Pontifice ſit admittenda.

gni-

gnificationibus excipiendum eſſe. Medium ſe præbere altercantibus Pontifici viſum, atque in viginti Purpuratorum Patrum conuentu diſceptandam controuerſiam remittere; tum nouum ab latere ſuo Legatum in Galliam deſtinare. Sed eam rem non ita facile Sixtus expediebat, quod plerique Patrum, aut factionibus impliciti, aut inualidi ætate, aut rerum experientiâ impares viderentur. Adeoque non defuit, qui ſuadere contenderet, in rem præſentem fore, ſi ad Purpuratorum cœtum aggregaretur aliquis, in quo omnia ſumma, vti tanta exigit dignitas, eminerent. Sed hoc reiecto conſilio, tamquam conuitio ampliſsimi Ordinis; Legatum in Patrum Senatu nominauit Henricum Caietanum S.R.E. Cardinalem Camerarium, Principem florentem opibus, robuſtum iuuentâ, claritudine generis & ſapientiæ laude ſpectabilem. Hiſpanis tamen acceptiorem futurum, quàm Nauarræis Aula Romana præſenſerat, propterea quod & Sermonetæ Dux eius frater aurei Velleris torque deuinctus eſset Catholico Regi, & Fratris filij pro eodem Rege in Belgio militarent. Neque tamen ingratus Galliæ Caietanus fore putabatur. Ipſius enim proauos ſub auſpicijs Francorum Regum meruiſſe conſtabat. Pater Pau-

Quid in ea cõtrouerſia ſtatuerit Põtifex.

Henricus Cardin. Caietanus declaratur in concilio Purpuratorum a Põtifice Legatus a latere in Galliam.

Laus Caietani.

Caietanæ familiæ decora, & præclara merita apud Regem vtrumque.

lo IV. Summo Pontifice aduersùs Regem Catholicum induerat arma; patruus verò Cardinalis; ne commercia quidem literarum habenda duxerat cum Hiſpano; cui & factione infenſus erat, & publicis cauſis. Comes Oliuarius nuper Philippo Secundo gentem conciliauerat, Romanos Proceres auitis virtutibus, & ſuis inclytos. Poſteri deinde Hiſpanam amicitiam immotâ fide coluerunt; vt proinde ſplendidis connubijs in Neapolitano, & Siculo Regno honeſtari meruerint, aduolutis in dotem oppidis, & opibus non aſpernandis. Cùmque hæc ſcriberemus, Franciſcus Sermonetæ Dux poſt Præfecturam Mediolanenſem triennio adminiſtratam, ad regendam Proregis titulo Siciliam profectus eſt, non vulgari Regiæ exiſtimationis, & beneuolentiæ in Principem Italum exemplo. Poſtea quàm Pontifex in Caietani laudes effuſus aperuit ſententiam ſuam, aſſenſum eſt largiter à Senatu, vtpote qui intelligeret à Principe approbationem quæri, non conſilium. Nam cæteroqui ſeniores, authore Cardinali Scipione Gonzagâ, quem propinquus Niuernenſium Dux de ſtatu rerum Gallicarum accuratè monuerat, atque in eam ſententiam Venetæ quoque Reipublicæ Orator inclinabat, binos à Pontifi-

Ex Côm. m.s. Card. S. Seuerinæ.

Eiuſdem ſplendidæ affinitates in Neapolitano, & Siculo Regno.

Franciſco Sermonetæ Duci collati honores, & magiſtratus ab Hiſpaniæ Rege.

Seniores Purpurati de ſententia Cardin. Gonzagæ duos in Galliam Legatos mittendos cēſent: Alterum togatum Pariſios: armatum alterū Auenionem.

tifi-

tifice Legatos mittendos eſſe cenſuerant: Alterum togatum, qui Luteriam Pariſiorum rectà contenderet, vt conſilijs publicis Fœderatorum pro tuenda Religione ſuſcipiendis intereſſet; Alterum armis, copijſque ſuccinctum, qui Auenione ſederet; ſpecie quidem cuſtodiendi eius Comitatus, re verà vt vexillum attoleret, quo Galliæ Antiſtites, Proceres, & ipſe Vindocinenſis Cardinalis, penes quem, expuncto Nauarræ Rege, primæ ſpes Regni, cum promiſcua Catholicorum multitudine conuenirent; atque ita paratum in vrbe, atque exercitu Pontificio perfugium eſſet omnibus Catholicis Gallis, tam ijs, qui Nauarræis conſentiendum non putarent, vt Hæreticis, quàm alijs, qui Fœderatos auerſarentur vt perduelles, Regnique, ſub obtentu Religionis, perturbatores. Vnde futurum factu non arduum videbatur, vt arbitria rerum ab vtraque extorta factione Pontifex in ſe auerteret, Regemque imponeret Galliæ iudicio ſuo Catholicum, & Sedi Apoſtolicæ fidum. Accedebat quod Maineus inopiâ pecuniæ ſummâ conflictatus quingenta aureorum millia mutua poſcebat Maſſiliam, Arelate, aliaque Prouinciæ oppida loco pignoris offerens Pontificijs obtinenda præſidijs,

De Vādoſme.

Vtilitates enumerant quas Pōtifex ex Auenionenſi Legatione deriuare in ſe, & in Romanam Eccleſiam poſſit.

Maineus pro quingētis aureorum millibus Maſſiliam Arelate, aliaque oppida oppignerare Pontifici paratus.

Maſſilienſes ſe ſuamque vrbẽ ſedi Apoſtolicæ offerunt per Legatos.

donec in Francia debellaretur. Quin ipſi Maſſilienſes vltro legatos Romam miſerant deprecantes, vt cuius vrbis imperio alij Principes fruſtra inhiarent, eo oblato Pontifex vteretur, ſtationibus, portubus, littoribuſque; claſſem tantum, militeſque ſubmitteret, quibus fideles ſocij, & obſequentes filij ab Hæreticorum importunitate ſecuri, ſub vmbra Sedis Apoſtolicæ conquieſcerent.

Iubilæum ampliſſimum ob res Gallicas indicitur à Sixto Pontifice.

Iam verò ampliſsimo Iubilæo propter res Francicas indicto, quod Sixtus Pontifex ab æde D. Suſannæ ad Sanctæ Mariæ Maioris, ſupplicantium Ordinibus medius pedes celebrauit, Crux Legato traditur, ſenatu Purpuratorum de more vſque ad Vrbis portam deducente. Illuſtri ſeptus coronâ Præſulum, aliorumque ſanguine, aut ſapientiâ præſtantium virorum Cardinalis Caietanus abſceſsit. Vix Galliæ fines attigerat, cùm ſibi magnum impendere negotium ſenſit à Nauarræ Rege. Qui comperto, Lutetiam illum contendere, offenſuſque, Legationem ſe poſthabito ad Fæderatos deſtinari, Legatum intercipi, atque ad ſe vel inuitum abſtrahi vehementer optabat. Et ſanè haud procul abfuit, quin Caietanus incideret in inſidias, quas Tauanius, vt Nauarro gratificaretur, ſilentio ſum-

Caietani profectio, eiuſque comitatus inſignis.

Tauanius in Regis gratiam Caietano tendit inſidias.

Tauanes.

ſummo collocauerat. Sed cùm neſcio quid rumoris de hoſtium dolis aures afflaſſet, quamquam ſpeculatores quoquò verſùm dimiſsi pacata circum omnia referrent, animi tamen pendebat Cardinalis, quàm tutò viam eſſet ingreſſurus, diffidens exploratorum (qui Galli omnes erant) vel diligentiæ, vel fidei. Fluctuanti viſum eſt cœleſte conſilium per ſortes, quæ à Domino temperantur, exquirere. Re Diuinâ cum tenerrimo ſenſu pietatis peractâ, ſacrum in calicem ſchedas geminas conijci iubet; quarum alteri inſcriptum erat: abeundum, alteri: non abeundum. Cùm verò ſyngrapham extraxiſſet; quæ abitionem vetabat, veluti oraculo parendum ratus, itineri ſuperſedit. Poſt paulò certior factus eſt, moræ pretium ſalutem fuiſſe; nam, ſi Diuione egreſſus eſſet, armatas Hugonotorum cohortes ex inſidijs conſurrecturas, vt ipſum, comiteſque prehenderent. Inde, Cataphractorum turmis à Lotaringiæ Duce ſubſidio aduenientibus confirmatus, reliquum iter ſecurus Lutetiam vſque perrexit. Exceptus ea in vrbe infinitæ multitudinis accurſu, adorationeque, aliam rerum faciem, omniaque longè quàm ſibi perſuaſerat, impeditiora reperit. Paucis ante diebus Nauarræi ſuburdia capta depo-

Caietanus ſubodoratus hoſtiũ dolos progrediendi, ſiſtendiue conſilium diuinitus per ſortes exquirit.

Extracta ſyngrapha, quæ progredi vetabatur, ſalutem redimit mora.

Subſidio miſſis à Lotaringiæ Duce armatorum turmis in itinere protectus Lutetiam feliciter peruenit.

Dijon.

Multo deteriorem ſua opinione reperit Lutetiæ ſtatũ.

pu-

pulati, vrbem ingenti terrore compleuerant. Acceſsit fama coniurationis, quâ homines non pauciores viginti millibus tradere vrbem adfuturis propediem Nauarri copijs deſtinauerant; recuſante Fœderatorum exercitu, niſi ſolutis ante ſtipendijs, hoſtium conatibus obuiàm ire. His rebus haud quaquam territus Caietanus, erigere primùm Pariſienſium animos, tum ipſe per ſe aſpectu, & alloquio venerabilis, tum ſuorum operâ, officijſque, ac Panigarolæ præſertim Aſtenſis Epiſcopi perelegantibus ad populum concionibus inſtitit. Deinde conuerſus ad propulſandum ab vrbe bellum, ſolutis quinquaginta nummûm aureorum millibus ex centum, quæ à Sixto Pontifice acceperat; animatiſque inde Ducis Mainei copijs hoſtilem exercitum abſterritum à ſuburbijs longè ſubmouit; tum fiduciæ, ac ſpei bonæ plenos Pariſienſes palàm iuratos, nunquam ſe Principi Hæretico Gallici Regni poteſtatem facturos, miro inter ſe concordiæ nexu, ingentique alacritate firmauit. At non idem, qui Lutetiæ, per Galliam erat erga Fœdus, & Fœderatos animus: alijs in Caroli X., alijs in Henrici IV. nomina paſsim iurantibus, proque ſuo ſingulis Rege arma certatim expedientibus, feliciùs plerumque pro Henrico. Gliſce-

Eius opera in erigendis & cõfirmandis Pariſienſium animis, & in hoſtili exercitu à ſuburbijs ſubmouendo.

Gallia in duas factiones diſtrahitur.

ſcebat quippe illic in dies nobilitatis Catholicæ numerus ad partes accedentis; addiderantque animos auxilia, quæ de Anglia, Germania, Hollandia ad Nauarrum properare dicebantur. Itaque Legatus, Hiſpanique Regis adminiſtri (erant hi Bernardinus Mendozza Philippi Regis Orator, Ioannes Baptiſta Taſsius S. Iacobi eques Belgici exercitus inſpector, & Ioannes Moreus Hieroſolymitanorum Equitum Commendatarius) anteuertendum rati, Maineo Duci authores fuere, vt priuſquàm tantæ Hæreticorum vires conuenirent, maturaret proficiſci contra Regium exercitum, quantum à direptione ſuburbiorum gloriâ, & opibus auctum, alterum tantum numero, & viribus debilitatum, quoniam milites, alij aliò, ad reponendam in tuto prædam, fruendamque diſceſſerant. Nec abhorrebat à tentanda fortuna Mainei animus, dum Belgicus equitatus (vt Hiſpani promiſerant) Fœderatorum legionibus adiungeretur. Commodùm per eos dies Lutetiam aduenerat Camillus Capiſuchius Italicæ legionis Tribunus, quem Romanum patrium, tamquam notùm, gratumque, ad Caietanum ſalutandi causâ Parmenſis miſerat. Cum hoc de rerum Gallicarum ſtatu collocutus Car-

Augetur in partibus Nauarri Catholicæ nobilitatis numerus.

Addunt animos Regijs quæ in proximo erant exterorum auxilia.

Legatus Mendozza, alijque Regis Hiſpani adminiſtri Maineo ſuadēt vt Regiū exercitum aggrediatur nondū viribus auctū.

Camillus Capiſuchius Lutetiā venit ad ſalutandū Parmēſis nomine Caietanum.

dinalis diligenter egit, vt reuerſus, Pontificis nomine Farneſium vrgeret ad auxiliares copias (vti Regem Philippum mandaſſe audierat) in Galliam tranſmittendas. Eodem tenore conſcriptis literis idem à Parmenſi ſubſidium efflagitabant Hiſpani, quos memoraui, triumuiri. His enim ſtatuendi de Galliæ rebus poteſtatem peramplam Rex fecerat, atque ita cum Fœderatis agebant, vt ad Alexandrum referrent omnia, communicatiſque inde conſilijs communes ad Regem literas darent. Quæ nobis literæ ad intima conſiliorum pernoſcenda adiumento fuere. Igitur Alexander, quamquam Philippi Regis cum Fœderatis Gallis coniunctionem nunquam probauerat, propter ingentia inde diſpendia pecuniarum, & ſanguinis, commoda vel exilia vel nulla, ſtimulantibus tamen vndique literis, nuncijſque, permotus, auxilia quidem in præſentiā, Ductoreſque expeditioni Gallicæ deſignauit; certus interim opperiri reſponſum ab Hiſpania, quò Præſidem Richardotum allegauerat, vt accuratiùs moneret Regem; ſtatim atque, prælatis Catholicæ Maieſtatis vexillis, in Gallia comparuerint Hiſpana arma, protinus violatam Hiſpanam pacem, interpretaturos Gallos, inque finiti-

Agit cum eo Cardinalis, vt Farneſium vrgeat ad mittēdum Fœderatis auxiliū.

Idē efflagitant Hiſpani Proceres.

Cur non probauerit Farneſius cōiunctionem Philippi Regis cum Fœderatis Gallis.

Litteris nuncijſque permotus expeditioni Gallicæ deſignat Ducem, & milites.

mas

mas Belgij prouincias hoſtiliter incurſaturos. Quamobrem copias non exiguas equitum, peditumque ante parari oportere; Duceſque inſignes à Germania, Belgio, Italiaque conduci, ad conflandum exercitum, qui & ſuſtentare in Gallia rem Fœderis labentem, & obſiſtere irrumpentibus Britannis, inundantibus Gallis, Batauis exultantibus in Belgio poſſit. Reuerſus ab Hiſpania Richardotus Alexandro Regis mandata detulit: auxilia quamprimùm in Galliam ſubmitteret, nihil ſollicitus de pace interturbanda, quæ cum Henrico III. extincto iam expiraſſet: militum numerum ex præſentibus Fœderatorum neceſſitatibus definiret, vt ſecundus hoſtilium armorum curſus tamdiu inhiberetur in Gallia, quoad ipſe Farneſius cum lectiſſimo exercitu pro victoria dimicaturus accurreret. Alexander nil vltra moratus, cùm ſex cataphractorum turmas coëgiſſet ex equeſtri militia Belgicæ nobilitatis, lanceariorum tres ex Italis, Hiſpaniſque, ſclopetariorum ex Vuallonibus ferè binas, equites in vniuerſum mille octingentos; Ducem his imponit Philippum Egmontij Comitem Guiſijs affinem, nullo adiuncto peditatu; quippe admodum extenuato, præſidijſque Belgicarum arcium perneceſſario: &

Per Præſidem Richardotum Regi Philippo ſignificat, parandas eſſe militares copias, quæ & ſuſtentandis in Gallia Fœderis rebus & Belgio defendẽdo ſufficiant.

Iubetur à Rege quamprimum in Galliã ſubmittere auxilia.

Equitatus ab Alexãdro miſſus in Galliam ſub Egmontio Duce.

equitum ſubſidia Maineus vnicè depopoſcerat; Quos vbi ſuis copijs adiunxere Fœderati, prodire in campum aduerſus Nauarræ Regem non dubitarunt. Tum, poſt abſumptos aliquot dies varijs vtrinque diuerſa in parte tentamentis, denique Iurienſem ad vicum ſignis collatis certatum eſt. Erant exercitus numero magis, quàm viribus impares. Vndena millia peditum ſuper tria millia equitum Fœderati; Nauarræi bis mille, & quingentos equites, octo peditum millia numerabant, quibus adiunctæ pridie quàm pugnaretur aliquot cohortes, turmæque, virium quidem modicum, at multum animorum addidere. Plus veteranorum apud Regem, & ipſe inter arma natus, educatuſque, præliari ſcientia ſuos veteranos anteibat. Neque tamen Maineo deerant aut belli artes, aut experti Duces, quoſque Aumontio, Nuano, & Bironio magni nominis Ducibus opponeret, Tauanium, Vicecomitem, Ronæum, & Baſſompetram. Vti nec facilè poſthabendos putares Mompenſerio Duci, Franciæ Priori, Contioque, Ducem Nemoroſium, Aumalium equitem, Comitem Egmontium, & Branſuicenſium Ducem. Sex in agmina diſtribuit equitatum Rex (nam pugna, & victoria tota equi-

Iurienſe prælium inter Fœderatos, & Regios.

Vtriuſque exercitus vires, & numerus.

Aduerſarum partium Duces inuicem conferuntur.

Regij equitatus diſtributio & ordo.

tum fuit) quorum fortunæ appendix peditatus acceſsit. Quatuor ingentes ex Francis nobilibus turmas Aumontius, Mompenſerius, Biro filius, Rex ipſe ductabant, Raitrûm turmis Scombergius, extremo è Francis, externiſque conſtanti agmini Biro ſenior præerat. Hic tamen ſeiunctus à cæteris, iuſſuſque immoto veſtigio agere arbitrum pugnæ, quò incerta Martis, & occaſionum momenta vocarent aduolaturus. Haud abſimilis inſtruendi certaminis ratio apud Fœderatos. Ipſis quoque quina equitum agmina. Belgæ ab Egmontio, Franci grauis armaturæ, ac lancearij à Maineo, Nemoroſio, & Aumalio; Raitri à Branſuicenſi Duce, & Baſſompetra regebantur. Denique Summi Duces ad animandum militem ſpecioſas belli cauſas magnificè vtrinque iactabant. Alter tutelam præſeferebat Catholicæ Religionis occaſuræ in Gallia, ſi Hæreticus Princeps, opibus fultus Hæreticorum Chriſtianiſsimum ſolium inſcenderet. Alter iure nitebatur Borbonij ſanguinis, iam inde ab Hugone Magno, & Diuo Ludouico Regibus per tot Regum, & Principum ſtemmata deriuati. Quem vti legitimum Regem amplexa pars multo maior, ſplendidiorque Catholicæ nobilitatis, negabat,

Mareſchal de Biron.

Quomodo ſua inſtruxerint aciẽ Fœderati.

Specioſæ belli cauſæ magnificè à Ducibus vtrinque iactãtur ad milites animandos.

diſcrepantiam Religionis ei fraudi eſſe debere, qui ſe breui ad maiorum ſacra rediturum ſponſione publicâ recepiſſet. Ipſa Cœli oſtenta; & viſæ in nubibus geminæ veluti acies inter crebra, horrendaque tonitrua ſignis infeſtis concurrere, ad ſecundi ominis argumentum à partibus trahebantur, iactantiùs à Fœderatis. Quòd ijs in campis Dux Guiſius Mainei Pater inſignem de Hugonotis victoriam retuliſſet, capto Condæo Principe Nauarri patruo. Et verò feliciùs à principio Fœderati incohauere pugnam; lancearijs Belgis, quos hoſtilium tormentorum procella vexare cœperat, vt eam declinarent, adeo ferociter in aduerſum agmen inuectis, vt non ſuſtinentibus haſtarum incurſum Gallicis turmis leuiter armatis, & huc, illucue declinantibus, ipſi ad hoſtium vſque tormenta victoriam inclamantes penetrauerint, cum fuga, & clade vaſta cuſtodum, libratorumque. Qui tumultus ita propinquam Regiorum equitum aciem perterrefecit, vt Rex, & Bironius de victoria penè diffiderent. Sed parte aliâ Raitri, qui pro Fœderatis in fronte certabant, tormentorum pariter ictibus malè accepti, dum ad alteram globorum procellam euitandam retrocedere feſtinant, turbauere proximos

Viſa in Cælo portenta in præſagium felicis euentus trahuntur à partibus.

Fœderatorum proſpera pugnæ initia.

Lancearii Belgæ turbatis Gallorum turmis ad tormẽta hoſtium penetrant, inclamantes victoriam.

Raitri perterriti gradu pelluntur, & confundunt ordines.

ximos equitum ordines. Cùm autem illos Dux Mainei in gradum reſtituere, vel obuerſis haſtarum cuſpidibus conaretur, hærentes tamen, implicitoſque inter ſe Rex conſpicatus, à deſperatione rediit in ſpem maximam, occupandumque aditum ad victoriam inclamans, trepidantes inuadit. Initio pauci, vt in conſilio ſubito, Regem comitabantur; mox vniuerſum agmen, quòd Proceribus conſtabat fortiſsimiſque bellatoribus loricatis, eòdem incubuit. Neque Raitris maior ad equeſtrem hanc procellam, quàm ad illam globorum tempeſtatem ſuſtinendam animus fuit. Nam, exceptis paucis fortioribus, qui cæſi campum cadaueribus conſtrauere, reliqui auertuntur in fugam. At nihil inde deterritus Mainei Dux cum ſeptingentis lancearijs Gallis nobilibus certamen ingreditur; quamquam perturbatio Raitrûm, & inuehentis Regis feſtinatio ſuis equitibus excurrendi ſpatium ad haſtas infligendas præripuerat. Quare his abiectis, vt ſuperuacuis, gladios impigrè ſtringunt: iniqua ſanè conditione pugnaturi cùm Regijs, quos armatura grauior, geminique ſclopi, ſuperiores præſtabant. Obſtinatus tamen dimicantium ardor, & rumor falſus interfecti Regis dubiam aliquandiu victoriam

Rex à deſperatione in fiduciam verſus Raitros inter ſe implicatos & trepidantes inuadit.

Caier. l. 11. Tuan. l. 15. Infer. l. 32.

Raitrorũ cædes, & fuga.

Mainei vigor & virtus in redintegrando prælio.

Obſtinatus pugnantium Fœderatorum ardor, quamuis iniquiori pugnent conditione.

Thuan.

riam

riam fecit. Cùm enim Regius Vexillifer in capite ſaucius, ab effuſo inde ſanguine oculorum vſu orbatus, ad equi arbitrium extra ordines raptaretur, cùmque iuxta illum eques nobilis cecidiſſet, criſtæ geſtamine non diſsimili eius, quam è galeæ cono Rex præferebat, vterque procul viſentibus fugæ, ac mortis Regiæ ſpeciem præbuere. Inde Nauarræos exultantes cura repreſsit, ac mœror; Fœderatis verò ad inſtaurandam pugnam cum gaudio alacritas addita, donec errore comperto, Rex Henricus nudo capite media agmina interequitans, voce ſuis, hoſtibus manu, viuentem ſe prodidit, & victorem. Ergo lætiſsimis plauſibus, Viuat Rex, acies vniuerſa circumſonuit. Nec ſuſtineri diutiùs à Fœderatis armorum victricium impetus potuit. Tunc Maineus, vbi Raitros, partim in prælio cum Duce, qui nullus apparebat, extinctos videt, partim fugâ diſpalatos, Egmontium, poſt inſignem editam pugnam, latere pilâ traiecto procubuiſſe, lectiſsimos circa ſe equites, aut exanimes cecidiſſe, aut vulneribus graues abſcedere coactos è prælio, ipſe quoque cum Nemoroſio fratre, Ronæo, & Baſſompetra, pugnæ campo digreſsi, propinquo in tumulo capita conferunt deliberabundi: ſi quâ ope

Quid dubiam aliquandiu victoriam fecerit.

Falſus Regis interfecti rumor vnde manauerit.

Rex nudato capite prodit ſe viuum atque victorem.

Fauſtis vocibus acclamat illi vniuerſus exercitus.

Fœderati victricium armorum impetu pelluntur in fugam.

Maineus cum Nemoroſio fratre, Ronæo, & Baſſompetra propinquũ ſecedit in tumulum.

ope ruina tanti exercitus fulciri poſſet. Heluetiorum agmen, quatuor ferè bellatorum millia, illibatum animaduertunt (neque enim vlla pars peditum prælium inierat) & Raitrûm turmas non modicas è fuga collectas in veſtibulo propinqui nemoris conſidére. In mentem venit, per hos pedites, equiteſque poſſe certamen redintegrari, cum ſpe victoriæ aduersùs Nauarræos, in perſequendis ijs, qui fugerant, diſſipatos; aut ſaltem tormenta nondum capta ſubduci hoſtium manibus, atque in tutum vnà cum impedimentis deportari. Nec detrectabant Heluetij plenum gloriæ ſubire diſcrimen; modò aliquot adeſſent equitum alæ, queis dimicantium latera tegerentur. At Raitri (vt inde cladis exitus eſſet, vnde initium fuerat) nullis adduci precibus, aut promiſsis potuere, vt fortunam certaminis retentarent; ſiue tædio belli bis infelicitur geſti; ſiue Catholicarum partium odio, contra quas cùm Hæretici pro Hæreticis arma tuliſſent, in itinere Lotharingico, à Ducis turmis cum ſexcentis equitibus Belgis, & Legione Italica; queis Camillus Capiſucchius præerat, victi ſunt prælio, coactique per nouum ſacramentum in Fœderatorum caſtra tranſire. Quare improſperam hanc pugnam perfuncto-

De fulcienda exercitus ruina, & prælio redintegrando deliberant.

Heluetiorum virtus, & ad ſubeunda pericula prompta voluntas.

Cur fortunam belli retentare noluerint Raitri.

Prælio victi à Camillo Capiſucchio ad partes Fœderatorum inuitè tranſierant.

riè tantùm initam pro Federatis imputare parabant Nauarræ Regi ad veniam impetrandam; quaſi recentis perfidiæ merito prioris culpam eluiſſent. Sed homines fallaces, vt æquum erat, ſua ſpes falſos habuit. Nam, qui honeſtam mortem oppetere pugnando noluerant, partim, cùm ſe dederent Nauarræis, ignominiosè tamquam bis proditores trucidati ſunt, partim, cùm iterum fugam tentarent per ignota fluminis vada, violentus gurges abſorbuit. Longè melior extitit Heluetiorum conditio, in quos ad defenſionem, mortemque paratos cùm diſplodi tormenta Biro imperaſſet, Rex miſertus virorum fortium interceſsit. Quin vltro deditionis verecundiam temperauit hortatus, vt Franciæ Regi ſigna ſubmitterent, libertatem, & ſecurum ad ſuos reditum pactus. Quæ fide Regiâ mox præſtitit, cùm etiam ſigna reddi benignè iuſsiſſet. Parte aliâ Maineus, & Nemoroſius, quando ſpes nulla erigendæ aciei collapſæ ſupererat, ne funeſtiorem Fœderi cladem Ducum interitus faceret, alius aliò fugam intendunt. Meduntam Maineus, Autricum Carnutum Nemoroſius petiere. Plerique è Fœderatis in fuga intercepti, complures, dum fluuio ſe credunt imbribus aucto, ſubmerguntur. In acie non plu-

Bis proditores partim trucidantur à Regijs, partim gurgitibus hauriuntur.

Cater. l. 11.

Rex benignè cum Heluetijs agit.

Cater. l. 11.

Duces Fœderatorum in diuerſa loca profugiunt.

Mante.

Militum plerique, aut in fuga intercipiũtur, aut fluuio abſorbentur.

plures quadringentis interfectos, æquato ferè ex victis, & victoribus cæſorum numero, ſcribit Carolus Coloma; cùm tamen ſupra octingentos è victis dumtaxat cecidiſſe Thuanus narret. Regem in prælio ſeférociter periculis obiectantem ſauciatum nonnulli credidere, atque inde factum vt victoriâ vſus non fuerit. Nec defuit ex Comitis Boſuuij turmalibus, qui lethaliter à ſe vulneratum Parmenſi affirmauerit, miles cæterà ingenio minime vano, & facere magis fortia quàm loqui ſolitus, vti Dux in epiſtola ſcribit ad Regem. Sed hunc, vt alios, deceptum ſimilitudine Regiorum inſignium (quod olim Romano Scæuolæ contigit) pro Rege alterum nitentem cultu Regio appetijſſe credibile eſt. Addit Regi Farneſius, deſideratos ex auxiliaribus in Galliam miſsis (nullâ Gallorum factâ mentione) circiter trecentos, equos amiſſos ſupra quadringentos, capta ſigna militaria quatuor, & magnam impedimentorum partem: Sed præcipuam in Egmontio Comite perempto cladem, Principe viro inter Belgas, nec in cura, ſtudioque Regiarum partium cuiquam ſecundo. Trium hic filiorum Lamoralij, ab Duce Albano capite damnati, natu maximus paternæ laudis in bello appetentior fuit, quàm fe-

Cæſorum in acie numerus ex victis atque victoribus.

De Rege in eo prælio lethaliter vulnerato veriſimilis côiectura.

De Boſſi.

Sed falſa; quid anſam dederit huiuſmodi errori.

Auxiliares è Belgio copiæ quam iacturâ fecerint.

Comitis Egmontij clades Belgis luctuoſa.

Eius viri origo præclaræ animi dotes, & varia vitæ fortuna.

felicior. Quamuis eo triumphalis genitoris fortunam ſuperauerit, quod in acie inter hoſtium cædes gloriosè ceciderit, cùm Pater decoram multiplici lauro ceruicem carnificis gladio ſubiecerit. Redux è Germania, quò profugerat ab ira Albani ad auunculum Septemuirum Palatinum, dum paternæ mortis vltorem agit, in Antuerpienſi defenſione ab Hiſpanis vrbem depopulantibus captus eſt. Mox redemptus, cùm in Gemblacenſi prælio ab Auſtriaco victus eſſet, contra eumdem bellum reparauit apud Rimenantam. Sed multâ Parmenſis Gubernatoris arte reuocatus ad partes Regias, paulò poſt Niniuæ in Lanuæ inſidias cum fratre, atque vxore imprudens incidit; retentuſque apud Orangium non paucos annos, à Farneſio cum Lanua ipſo prolapſo in Regiorum manus, commutatus eſt. Inde in cauſa Catholicæ Religionis, & Regis propugnanda quotidie factus ardentior, ſpiritum pro ijs generosè profudit; Belgicorum auxiliorum in Galliam Ductor non exiguam laudem, vel hoſtium confeſsione promeritus; cùm in Iurienſe prælium ferociſſimè inuectus, ea fortitudinis documenta præbuerit, quæ magnum Henricum de fatali palma, ne ſibi eriperetur è manibus, dubitare coe-

Ninoue.

Ductor equitatus Belgici in Iurienſi prælio glorioſam oppetit mortem.

ge-

gerint. Tanti viri exitus Alexandrum mouit, vt in hiſce, quas dicebam, ad Philippum literis, Lamoralio fratri, qui poſt defenſas aliquandiu Ordinum partes, redire cum Rege in gratiam peroptabat, veniam, ac reconciliationem exoraret additâ inſuper Vuallonicæ legionis, quam frater adminiſtrauerat, Præfecturâ. In ijſdem porro literis cùm Regi enixè commendet Othonem Henricum Eſtenſem Branſuicenſium Ducem, è Iurienſi pugna reducem amiſſâ ſupellectili, & ferè ſeminudum, erroris arguuntur, qui in eo conflictu occiſum memorant; quamuis inuolutus occiſorum cumulo, cùm neque ab hoſtibus, neque ab amicis reperiretur, pro mortuo diutiùs habitus fuerit. Quantuſcumque perhibeatur numerus interemptorum Iurienſi pugnâ, illud vtique certum, per eam cladem rem Fœderis ad extremum veniſſe. Neque dubium, ſi Pariſios verſus nullâ morâ interpoſitâ victorem exercitum Henricus rapuiſſet; quin expugnanda proximè Lutetia fuerit. Adeo à militibus, ab armis, à commeatibus, à rebus omnibus imparati ciues; luctu inſuper, & pauore offuſo, defecerant animis. Ferunt huiuſce ſententiæ auctorem Henrico fuiſſe Nuanum, Hugonotum Ducem ſcientiſ-

Eius fratrem Lamoralium Rex Philippus Alexandri literis permotus in gratiam recipit, eique fraternâ Vvalonicæ legionis Præfecturam confert.

Quorundam opinio de Brãſuuicenſiũ Duce interfecto erroris arguitur, & quam cauſam error habuerit.

Res Fœderis quantum Iurienſi clade damnum acceperit.

Quam facile fuerit Henrico Regi poſt eam victoriam expugnare Lutetiam.

Incitatū fuiſſe ad eius vrbis excidium à Nuano Duce Hugonotorō nulli dixerunt, ſed reiectam à Bironio Duce Catholico Nuani ſententiam.

Priuatæ Bironij rationes in ſuadendo Regi, vt Lutetiā fame potius, quam bello ſubiugaret.

Veriſimilior cauſa cur ab expugnatione principis Galliæ ciuitatis Rex abſtinuerit.

tiſsimum belli; ſicut olim Annibali Maharbalem, vt è Cannenſi victoria Romam duceret. Sed reiectum Nuanum, Bironij ſenioris Ducis Catholici contra ſentientis authoritate; qui vrbem populoſam fame, non bello ſubigendam cenſebat. Bironium autem in conſilio dando ſuam magis, quam Regis vtilitatem ſecutum aliqui ferunt; ne videlicet ipſius miniſteria ceſſarent, ceſſante bello. Nam, corruente vnà cum Lutetia Sancto Gallorum Fœdere, nil erat Henrico ſuperfuturum, quod vinceret. Equidem haud facilè adducor, vt credam Regem à puero armis, & negotijs exercitum, aliunde ſuſpenſas rationes rerum gerendarum habuiſſe, tanti vtique momenti, quanti erat capiunda Lutetia, & finis bello ponendus. Illud vero propius: Bironio, alijſque Catholicis Ducibus, pro Lutetia conſiliantibus, aſſenſum fuiſſe Henricum, quatenus conducere non rebatur Franciæ Regi, in occulto fortaſſe iam tum Catholicum agenti, Religionis, & Regni principem vrbem clariſſimum Galliarum lumen extingui, cum gemitu Orbis Chriſtiani, vt immodicum daretur gaudium Hæreſi triumphaturæ. Ciuibus itaque qualitercumque erga ſe animatis vltimum excidium remiſit, pro certo habens Pariſienſes, in

abun-

abundantia rerum omnium viuere aſſuetos, interclusis commeatibus, breui ad voluntariam deditionem compulſum iri. Nec eiuſmodi iudicijs pro ſuo modulo vires hominum metientem Regem euentus fruſtratus eſſet, niſi Pariſienſium animos aſſiduæ preces, & nuncupata Lauretanæ Virgini vota ita de Cœlo firmaſſent, vt opibus humanis maiora præſtarent; quod infra ſuo loco memorabimus. Iam verò, ſi Fœderatos à Iurienſi infortunio trepidatio, & luctus inuaſerat, Regij exercitus lætitia ſincera, & defæcata non fuit. Cùm enim ex Hugonotis, Catholicisque conſtaret, vtroſque ſollicitos victoria fecerat. Hi verebantur, vt Regem ad ſuas partes attraherent, illi, ne amitterent. Et quidem Catholici orabant, vt ſpei ſuæ, quam ex eius promiſſo, voce, ſcriptiſque firmato conceperant, compotes redderet. Catholicam proinde Religionem tantò honeſtiùs in præſentia indueret, quanto per victoriam abruptis neceſsitatis vinculis, ſolutior, & liberior appareret. Neque Rex in ſpeciem abnuebat æqua poſcentibus Principibus Regij ſanguinis, proceribuſque Catholicis; vnde Hugonotis metus grauior, & cura. Iamque inuitari Turones iuſſerat Regni Antiſtites, vt coacto ea in vr-

Pro certo habet, fame deditionē à Pariſiēſibus breui extorquendam.

Spes Regis felicem exitum habitura niſi Pariſienſes ad pia vota, ſupplicationeſque conuerſos diuinum auxiliū roboraſſet.

Diuerſi animorum motus in exercitu Regio poſt victoriam Iurēſem.

Catholicorum conatus pro Rege ad Religionem Catholicam pertrahendo.

Hugonotorū metus, & cura.

be

Rex Catholicorum precibus in ſpeciem annuens in vrbem Turonum inuitari iubet Antiſtites Regni, quaſi ab ijs accepturus Catholicæ Fidei dogmata.

be conſilio, explicatis, quæ animo hærebant difficultatibus, orthodoxæ fidei præceptionibus inſtrueretur. In quo conſilio Rex illud nempe commodi reperiebat, vt per iſtas de Religione quæſtiones, quò promptiùs agitandas, eò tardiùs componendas, in aliud tempus promiſſa proferret: quæ ſi exequi maturaret, ſuberat metus, ne abalienarentur à ſe in Gallia Hugonotorum animi, extra Galliam Britanniæ Regina, & Proteſtantes Germaniæ Principes, quorum ſubſidijs conſtanter in bello vſus fuerat ad eam diem, vſuique adhuc ſibi fore in poſterum intelligebat. Et opportunè Regiam producendæ moræ voluntatem Caietani Legati, præter ipſius mentem, iuuit interceſsio. Is enim audito conuocari Gallicæ nationis Concilium, ſui muneris eſſe duxit, communi epiſtolâ (quam à Roberto Bellarmino compoſitam perhibent) Galliæ Antiſtites admonere, vt abſiſterent facto non inutili modò, ſed pernicioſo, & à Gallicanæ Religionis gloria maximè alieno. Quorſum enim Epiſcoporum conuenticula, tantumque Præſulum ſuis è ſedibus acciri, ſi Nauarrus breuem Catholicæ doctrinę explicationem deſideraret, quæ ab vno, alteroue Theologo Doctore tradi poſſet? Homini præſertim haud peregrino; nec

Quò ſpectauerit hoc Regis conſilium.

Interceſſio Caietani Regiæ voluntati, & cunctationi percommoda.

Summa epiſtolæ à Caietano miſſæ ad Antiſtites Galliæ, qua eos à cõuentu Turonico dehortatur, atque deterret.

nec hoſpiti in Eccleſiæ Romanæ Fide, quam aliquando coluerit, profeſſuſque ſit. Sin autem, non tam ad erudiendum Principem, quàm ad diſceptandum per eam occaſionem de controuerſijs inter Romanam Eccleſiam, & Caluinianam ſynagogam euocarentur; nihil hoc eſſe aliud, quàm ſuper ijs, quæ Tridentina Synodus conſenſu Chriſtiani Orbis definierit, ac proinde moueri prorſus, mutarique ſit nefas, velle arbitros agere, facta reddere infecta, & diuinitus conſtituta conuellere: in eam præſertim vrbem Patribus conuocatis, quam Nauarrus ob Hæreſim à piorum ſocietate ſeiunctus arbitrio ſuo moderaretur. Itaque hortari eos vehementer, ne ſe ad huiuſcemodi cœtus, neque legitimè indictos, neque citra noxiam celebrandos, quouis priuatæ rei ſtudio, ſiue metu, ſiue amore compelli ſinant. Secus denunciare Pontificias diras, periculumque ne à dignitatibus excidant, & à ſacris animarum Præfecturis amoueantur. Diſcuſſâ per huiuſmodi minas conuocatione Concilij, Nauarrus qualemcumque cauſam procraſtinandi nactus, ad arma reſpicere, & exercitum quindecim dierum otio recreatum adducere ad obſidendam Lutetiam, Regni caput, ac belli ſtatuit. Contra Maineus, & Nemoroſius,

His literis cõcilij conuocatioẽ irritam reddit.

Rex decernit quamprimum obſidere Luteтiam.

qui nequaquam ab accepto infortunio ceciderant animis, ad vrbem defendendam conſilia, vires, auxilia contrahunt. Præcipua ſpes in Belgio, ideoque Maineus illuc excurrit, commendatâ Lutetiâ fratri Nemoroſio, quem coniunctio ſanguinis fidum, capacem animi magnitudo faciebat, & maturum iudicium in iuuene, cuicumque conſilio ſiue ineundo, ſiue expediendo æquè promptum, ac par. Cameraci, cum amicarum ciuitatum Præfectis è Piccardia conuenientibus, poſtea Condæi cum Alexandro Duce de ratione continuandi belli multa contulit Maineus, communicatiſque cum eo (vt ſubſidia faciliùs impetraret) quæ perhonorifica, & glorioſa de Hiſpaniarum Rege in patronum Galliarum adoptando Fœderati meditarentur, oſtendit, in inuicta Farneſij & Belgici exercitus virtute ac felicitate, poſitam eſſe Lutetiæ ſalutem, ſummis Hugonotorum opibus impugnatam. Quo capite Regni ſeruato, non habiturum Nauarræ Regem, vnde vertici ſuo diadema Gallicum imponat: modò auxilia non modica, nec tarda Parmenſis, & ſemetipſum Ducem, potiſsimam auxiliorum partem afferret. Abſceſsit Maineus haud nimiùm lætus, Parmenſi aliquanto minora, quàm poſcebant

Maineus excurrit in Belgium ad auxilia comparanda.

Lutetiæ curam Nemoroſio fratri relinquit

Egregiæ Nemoroſij dotes.

Mainei cum Alexandro cõgreſſus, & de re communi colloquium.

Argumenta, quibus perſuadere conatur Farneſio, vt quamprimum ipſemet auxiliarem exercitum ducat in Galliam.

Alexãdri pollicitatione nõ admodum lætus abſcedit.

bant pericula tanta, pollicito. Nimirum vti Gallicani Fœderis Ducem res Gallica, ita Belgij Præfectum res Belgica tangebat. De ſeptemdecim inferioris Germaniæ prouincijs quindecim ferè iam pacatas imperio Hiſpano reſtituerat, alias armis inductas, alias ingenij dexteritate. Binæ Hollandia, Zelandiaque ſupererant, ad quas armis edomandas inuitabat anni tempeſtas præter ſolitum ſiccior, transferendo in inſulas bello peropportuna. Quamobrem, niſi peregrino marte auocaretur, ſperabat breui, tranquillam vniuerſi Belgij poſſeſsionem Regi auunculo ſe traditurum. Gallicam igitur expeditionem tantarum rerum curſus interpellantem vti ſuorum triumphorum ſcopulum auerſabatur, certam recuperati Belgij iacturam appellans. Quæ non modò moram & impedimentum ſalubriter deſtinatis obijceret, verùm etiam perderet ante parta, tanto irrito labore ſuo, militum ſanguine, atque Hiſpanici auri profuſionibus. Ex altera parte, curam rerum Gallicarum inſediſſe penitùs pectori Regis Hiſpaniarum intelligens (quin ipſemet aliquando excitus creſcente in dies gloriâ fortiſsimi Nauarræ Regis, eiuſmodi occaſionem experiundi ſuas cum Gallo vires ſperauerat, ti-

Cur auerſus adeo fuerit à Gallica expeditione Farneſius?

mueratque) imminentis belli curas anticipabat animo; quæ Nauarræorum opes, qui nerui? quales peditum, quales equitum acies? quas ipſe contra de Belgio copias veteranorum educeret in bellicoſum Regnum, aduersùs Regem præferocem, Britannicis, Germanicis, Helueticis legionibus, & inuictis Gallicæ nobilitatis turmis futuras pares? Iuſſo itaque Comite Iacobo Collalto; cum quatuor millibus equitum Germanorum ſub vndecim ſignis ad Galliæ fines contendere, ibique acceptis, quæ ſubmitterentur peditum copijs, ad Mainei Ducem properare; ſuſtentatis interim hoc qualicumque ſubſidio Fœderatorum partibus, magnis rationum momentis euictum Regem, aſsiduis certè literis, nuncijſque fatigatum, à propoſito Gallici belli remotum iri credebat. Et quidem vt remoueretur, nihil intentatum omiſit. Præſentes Belgij neceſsitates ob oculos poſuit, legiones morbis, prælijs, victorijs ipſis in noua militem loca ſpargentibus attenuatas, aliquas in ſeditionem palàm actas, alias proximè agendas; ſtipendijs non procedentibus omnes abalienatas, atque ad imperia ſegniores. Expoſuit Belgarum lamenta, queis, audito Regis conſilio de Gallico bello, deſeri ſe à Principe, poſt tan-

Subſidiũ equitum ſub Duce Collalto Fœderatis mittit in Galliam.

Sperat, Philippum Regem remoueri poſſe à propoſito Gallici belli.

Argumentorũ capita, quibus ab eo conſilio Regem conatur auertere.

Belgij neceſſitates exponit ex diuerſis infortunijs ortas

tum ſanguinis fuſum, nimis quàm acerbè querebantur. Adiunxit ipſa Gubernatorum reſponſa, qui, ſi (vti parabatur) præſidiarijs nudarentur arces, à ſe prouincias Hollandis finitimas, aduersùm Mauritium nouis de Britannia viribus fultum, poſſe retineri pernegabant. Inter alia, Verdugi Friſiæ Præfecti literas Regi legendas tranſmiſit, queis aſſerebat, complures Hiſpanorum cohortes inde in Brabantiam euocatas, niſi numerarentur ante ſtipendia, abnuiſſe imperium; exemplumque per alias prouincias inualeſcere tanto confidentiùs, quanto præſentiore ſui operâ opus eſſe milites intelligerent. Præterea & illud conſiderandum addebat, aduersùs Benearniæ Principem victricibus nobilitatis Gallicæ turmis, firmiſque nationum exterarum legionibus circumſeptum, bellum ſuſcipi ab ſe non poſſe, niſi parato ante exercitu, multitudine militum, ac virtute vel coæquando Nauarræis, vel anteponendo. Hunc autem (quando anguſtijs temporis premerentur) haud dubiè conflandum eſſe robore Belgicarum legionum; contracto ex arcium præſidijs milite veterano; in eiuſque locum tyrone ſubmiſſo: hoc eſt diſpoliato Belgio viribus ſuis; atque adeo Batauorum, Anglorumque diuerſis irrum-

Belgarum lamenta inique ferentium ſe à ſuo Principe deſeri.

Gubernatorũ reſponſa negãtium arces nudari poſſe præſidiis.

Hiſpanarum cohortium ſeditionem imperium detrectantium, niſi antea ſtipendia numerentur.

Regis Nauarri vires & copias, quibus par exercitus conflari non poſſit, niſi Belgium viribus & præſidiis ſpolietur.

Ita Nauarrum Hiſpani vocabãt.

pentium victorijs diſtrahendo. Quamquam, nec educi de præſidijs veterem militem, nec authorari nouitium poſſe ſine innumerabili auri (cuius inopiá ſummá laboretur) pondere: quando (vt de Italis, ac Vuallonibus ſileatur) Hiſpanis dumtaxat legionibus; ob ſtipendia iam emerita, quatercentena aureorum millia debeantur; cùm Germani ſub Arembergio, Barlamontio, & Ferrante Gonzaga Chiliarchis, adhuc centum millium ſummæ ſint creditores. Nec ignorare Catholicum exercitum nummariæ difficultatis cauſas, atque inde tanto vehementiùs angi, quanto videant effuſiùs congeſtis in Galliæ Dynaſtas opulentis Hiſpaniæ gazis, ſibi demum relinqui ſpes inanes, & longam egeſtatem. Permotus his literis Philippus, quamuis infixum eſſet animo propoſitum Gallici belli, ad Senatum tamen Regium diſcutiendam rem totam, quaſi de integro retulit: Siue ampliorem requirens conſilij lucem; ſiue authores, & patrocinium ſententiæ ſuæ, quos Alexandri rationibus, & querimonijs Belgarum opponeret. Nam deliberationes magni momenti ſpecie tenus ad Senatum referre ſolitus; ardua conſiliorum aut expediebat ipſe per ſe (aderat enim capacitas mentis cum experientia par mo-

Rei nummariæ difficultatem, & multam pecuniæ vim Hiſpanis, Germaniſque legionibus ſtipendiorum nomine debitá exponit.

Permotus literis Alexandri Philippus rem tanti momenti diſcutiendam reijcit ad Senatum Regium.

li rerum) aut diu, multumque verſabat cum intimis amicorum; duobus præcipuè Ioanne Idiaqueſio, & Chriſtophoro Moura, quos, alterum patriâ Cantabrum, alterum Luſitanum, Regiâ liberalitate ad ſummas opes euexerat. Ambo æqualem Regalis familiaritatis gradum tenebant, diuerſis virtutibus, munijſque. Idiaqueſium Italicæ rei præpoſitum prudens induſtria parta conſeruandi: fides Mouram & diligentia in Luſitanico Regno nuper ad Filippi imperium adiungendo, commendabant. Huic primario inter cubiculares frequentia Regalis alloquij gratiam auxerat, ille cùm ab Epiſtolis eſſet, aſsiduitate, ac magnitudine negotiorum, æſtimationem intenderat. Iudicium itaque alter, alter amorem Regis cùm vindicaret ſibi, neuter ex toto Philippi animum poſsidebat. Sed vti ambo ingenio, atque ætate infra Principem, ita authoritatis modici erant, & regebantur magis, quàm regerent. Idiaqueſius, propter collata in Alfonſum filium Hiſpanicæ legionis Tribunum à Parmenſi beneficia, vt in ipſum, ſic in ipſius ſententiam pronior, tumultibus Gallicanis Hiſpanorum conſilia, non arma intermiſcenda cenſebat. In hunc igitur modum locutus fertur;

„ Si grauiſsimæ huic deliberationi, de transferen-

Ioannis Idiaqueſii, & Chriſtophori Mouræ diuerſę virtutes & munia, ſed par apud Regem gradus honoris, auctoritatis, & gratiæ.

Idiaqueſij pro Alexandri ſententia adnitentis Oratio.

„ rendis è Belgio, non ſine maximo Europæ „ motu, Catholici Regis armis in Galliam, Parmenſis intereſſet deſtinatus in Gallicam expe„ditionem Imperator, neque mea, neque vl„lius fortaſſe alterius in Hiſpanico Senatu vox, „aut ſententia deſideraretur. Nam & Farne„ſius ipſe prudentiſsimus belli, qui præſens „amborum ſtatum, vireſque Regnorum æquâ „lance librauerit, conuenientia differeret mu„neri ſuo, & præiudicium ſummi Ducis in con„ſultatione bellica facilè ſuffragia togatorum ho„minum conciliaret. Sed quoniam, abſente Par„menſi, eius imaginem animi, ſententiæque ſi„gnificationes non obſcuras in literis habemus. „bellum Gallicum, vt inutile, periculoſum, ma„ximèque arduum deteſtantibus, e republica „facturus videor, ſi quæ prolixiùs ille diſputat, „ego exequar paucis, momenta rationum tam „valida, vt in hac diſceptatione minimum fu„turum ſit, quam plurimum valere decet, Ale„xandri authoritas. Primum omnium is negat, „Belgicum exercitum eâ magnitudine virium „eſſe, vt & Gallias aggredi, & defenſare Bel„gium queat. Si vtrumque conetur, neutrum „perfecturum; ſin alterutrum, molis fore ma„ioris, Gallico bello principium, quam Belgi-

Alexãdri præſentiam, optat vt rei bellicæ peritiſſimi, & ſtatũ vireſque Regnorũ callentis.

Ducis enim tãti ſi adeſſet auctoritatem & præiudicium in conſultatione bellica apud togatos maximum põdus habiturã.

Momenta rationum expẽdit ab Alexandro propoſita in epiſtolis.

Promouet Alexandri ſentẽtiam negantis Belgici exercitus vires ſatis eſſe ad agreſſionem Galliæ, & ad Belgii defenſionem.

» eo finem dare. Adeo iſtud expeditum, in medio curſu, bonæque ſpei plenum ad victoriam; arduum illud, obſeptum difficultatibus, & periculis circumuentum. Equidem, vt vera magis, quam dictu ſpecioſa cenſeãtur, etiamſi paria in expeditione vtraque cætera eſſent; vtilitas comperta, ius, faſque adhortari viderentur, vt Belgicum Gallico præferres bello: Nam proprium Auſtriacæ gentis patrimonium Belgium eſt, Imperatoris glorioſiſsimi parentis tui Caroli patria; illic auitæ Burgundiæ Ducum ædes, villæ, templa, viſuntur. Si ſtudio tuendæ Religionis duceris, hanc pietatem Belgis popularibus ante tuis, quàm Gallis exteris debes. Si cura proferendi imperij, rationi regnandi congruit, vt priùs tua recũperes Regna, poſtmodum alienis injicias manum. Subactum omne Belgium nutibus Catholicæ Maieſtatis pareat, tunc Galliæ, Regnis Auſtriacis vndique circumcluſæ, Belgica, Italica, Hiſpana, Germana inferantur arma. Niſi fortè falſa ſpe inducti, aliena noſtris, certis incerta præponimus. Præſtat (fateor) magnitudine regionis, opum, & potentiæ Gallia; ſed Belgium in manu eſt. Conſulimus inconſultè, ſi amplioris Regni ſequentes vmbram, Belgium

Probat ab vtili; & honeſto præferendũ eſſe bello Gallico Belgicum.

Incerta certis, aliena propriis præponenda non eſſe.

 amit-

Occupat, quod in contrarium adduci poſſet de Religione Catholica in Gallijs occaſura, niſi armis Hiſpanis fulciatur.

» amittimus, Galliam non adepturi. At ſi ceſ-
» ſarint Hiſpana ſubſidia, Catholica in Gallijs
» Religio peſſum ibit. Cur id Hiſpaniæ Re-
» gem magis mouet, quàm quod eadem Reli-
» gio in Oriente ſub Mahometanis Tyrannis

Negat, pertinere ad Regẽ Hiſpaniæ eũd Religionis in alienis Regnis tuendæ.

» oppreſſa iaceat? An non ſatis munere, ſuper-
» que fungeris tuo, dum Auſtriacis in Regnis
» inuiolatam præſtas? Quin eo nomine religio-
» ſiſſimus audis Regum, quoniam periclitari
» de Belgij Principatu, quàm Belgij à recta Fide

Romani Pontificis has eſſe partes docet; & tamen Sixtũ pecuniæ parũ, nihil armorum in Galliã ſubmiſiſſe, quamuis ad implorandum auxilium aliquot populi ſuas illi vrbes obtulerint.

» defectionem pati maluiſti. Summi, quidem
» Pontificis in omnes terras paterna ſollicitudo
» extenditur; at Sixtus Quintus ad hanc diem
» plurima monita in Gallias miſit, pecuniæ pa-
» rum, nihil armorum; quamuis aliquot popu-
» li Sedis Apoſtolicæ implorantes auxilia, ſua-
» rum vrbium regimen vltro detulerint. Sed
» hos reiecit Pontifex; magnificè profeſſus,
» Apoſtolicam Sedem beneficia non fœnerari.
» An diffiſus eſt obſequio gentis tumultuoſæ, ac
» refractariæ, ne indigenis quidem Regibus ci-

Addit, non eſſe dandũ Hæreticis locum calumniandi: Regem Hiſpanũ, quaſi noua imperia quærat Religionis obtẽtu.

» tra rebelliones crebras morigeræ? Si Pontifi-
» ciam charitatem ſedulitate ſuperuacuâ nos
» vincere voluerimus, valde vereor, ne locus
» Hugonotis calumniandi detur, Hiſpanos Re-
» ligionem loqui, dominationem quærere. At-

que

» que hæc ita diſſero, quaſi permulta, quæ Bel-
» gico bello faueant, Gallico non aduerſentur:
» Peregrinum, & inſolens ſolum, diuerſi à no-
» ſtris incolarum mores; nihilo minùs auerſi ani-
» mi, hoſtium potentes vires, imbecillæ ſocio-
» rum, & infidæ; vrbs amica Lutetia Fœderis
» caput in extremum adducta; ita vt exercitus
» noſtros ad ſociandum exitium, non ad portan-
» dum auxilium, inuocari putem. Poſſem ego
» commemorare Reges, & Imperatores non
» paucos ex omni antiquitate, qui tranſportato in
» alienas regiones bello, audaciæ pœnam cladi-
» bus luerint. Sed malo exemplis vti domeſticis,
» & recentibus. Sebaſtianus Luſitaniæ Rex con-
» ſobrinus tuus, nuper in Africam euocatus à
» diſſidentibus eius terræ Regulis, cum flore
» Luſitanicæ iuuentutis, nonne exercitu, Re-
» gno, ſpiritu exutus eſt? ne ſepulturâ quidem,
» niſi per auri pretium, Regio cadaueri reliquâ.
» Atque hæc vni Luſitaniæ luctuoſa expeditio;
» quanto lugubrior altera, quæ totas funeribus
» Hiſpanias merſit? Inuitus refrico vulnera non-
» dum obducta; ſed ſalubrius id fuerit, quàm
» tacendo pati, vt plagæ plagis imponantur. Hæ-
» ret adhuc impreſſa mentibus noſtris illa poſt
» hominum memoriam potentiſsima claſsis, quę

Docet multa obeſſe Gallico bello, quæ Belgico faueant.

Domeſticis exemplis oſtendit eſſe maximè periculoſū in alienas regiones arma, & exercitus tranſportare.

Sebaſtiani Luſitaniæ Regis luctuoſam in Africam expeditionē commemorat.

Item Hiſpanicæ claſſis in Britanniã nauigantis exitiũ

» ad eximendam ſeruitio impuriſsimæ fœminæ
» Britanniam nauigans, non ſine gemitu Oceani,
» & labore ventorum, iiſdem rebellantibus
» profligata, naufragio ſuo Borealis tractus operuit
» maria, littoraque. Verùm expeditones
» iſtas improſperè ceſsiſſe quiſpiam dicat, quod
» arma tranſtulerint in terras interfuſo mari diſcretas.
» Quid? duobus ante annis, quadraginta
» millium bellatorum aciem è proxima Germania
» ſubſidio Hugonotorum in Gallias immiſſam,
» cui Galliæ Regem occultò ſtudere fama
» erat, vt Guiſios hoſtes domeſticos, per externos
» opprimeret, quàm horribili ſtrage mulctatam
» fuiſſe conſtat à perexiguo numero Catholicorum?
» Ita vt prouerbium affirmauerit,
» quo indigenæ gloriantur, Gallicam terram alienigenarum
» ſepulchris inclytam eſſe. Ambobus
» Henricis in exitium infelicis exercitus conſpirantibus;
» præter ſpem repugnante Franco,
» Nauarro contra fidem deſerente; propterea
» quod vterque auxilia ſua, vt externa, & præualida
» formidaret. Niſi quod Hugonotis
» Gallis Germani, Hiſpani Catholicis militant,
» conſimiles expeditiones ne ſimilis conſequatur
» exitus, eſt prouidendum. Fauebit Belgicis
» copijs Galliam ingreſſuris Mainei Dux,

Cladem prætetea Germanici exercitus à Catholicis & Duce Guiſio in Gallia profligati.

& Be-

„ & Benearniæ Princeps Germanis ingredien-
„ tibus fauebat. Quid? ſi mutet Maineus, vti mu-
„ taſſe fertur, pro ſuſpicione nata, Nauarrus ani-
„ mum? Si magnitudine præmiorum, quæ cu-
„ mulata tempore tali hic deferet, ille concilie-
„ tur? ſi Gallus tandem cum Gallo, ſuper exter-
„ nis (communi ſcilicet hoſte) perdendis con-
„ ſentiat? atque ita Hiſpana arma Gallorum tu-
„ multibus intermiſta pacem illis, nobis bellum
„ ex inſperato conſciſcant? Sicut videmus mo-
„ loſſos inter ſe rixantes, vbi hoſtis externus, tau-
„ rus, aut aper comparuerit, in eum confeſtim
„ certamen, & iras vertere. A natura quippe in-
„ ſitum habent cum vnius generis animantes,
„ tum eiuſdem nationis, & linguæ homines, vt
„ aduersùs peregrinæ potentiæ terrorem prom-
„ ptiſsimè coëant, arcano quodam, & perpetuo
„ deuincti fœdere. Auxilijs modicis ad Fœde-
„ ratos miſsis, tentata nobis hactenus Gallia eſt.
„ Vbi iuſtum exercitum, & præfulgentia Ma-
„ ieſtatis Hiſpanæ ſigna conſpexerint; aut Gal-
„ lorum ingenia mobilia, & ſuſpicioſa me fal-
„ lunt; aut quale Germanis contigit (euentum
„ prohibeat Deus) par noſtris legionibus im-
„ minet fatum. Non ſuccurrit, quod Ioannes
„ Moreus recentibus è Lutetia litteris teſtificatus

Hoc nomine Nauarræ Rex ab Hiſpanis tunc appellabatur.

Eleuat ſociorũ fidem, & mala demonſtrat exercitui Regio euẽtura, ſi Maineus cum Nauarro conueniat.

Affert ſimilitudinem canum, qui ſolent in communẽ hoſtem ex mutua rixa conuerti.

Conſpiraturos populos Galliæ aduerſus Hiſpanos, vbi eorũ prægrandem exercitũ viderint arguit & oſtendit ex mobilibus Gallorũ ingeniis, & ex Morei teſtificatione de Tribunio, qui ſub mortem cõſilium aperuit ſuum de tranſitione facienda ad Nauarreos in ipſo ardore certaminis.

eſt?

» eſt? Tribunum Gallum ſub Duce Mayneo mo-
» rentem, cùm admotus extremis à morbo eſſet,
» nudauiſſe ſub mortem animum: & quo tempo-
» re nouæ ſpes, noui timores à conſuetis affectibus
» homines auocant, arcanum aperuiſſe conſilium
» de tranſitione ad Nauarræos in ardore certami-
» nis faciunda cum ſuis, vt momentum ad vin-
» cendum partibus adderet. Neque tacuiſſe cau-
» ſam: quoniam crederet Nauarro deberi legibus
» Galliæ Regnum: Ex aduerſo Hiſpanos, & Lo-
» tharingos ambitioni ſuæ Religionis nomen ob-
» tendere. Hæc patefacta voluntas vnius morien-
» tis de gente Regij ſanguinis amantiſsima, quan-
» ta multorum viuentium ſtudia indicat, adhuc
» latentia, vt per occaſionem, mercede magnâ ſe
» prodant? Equidem in tanto rerum cardine vi-
» dere videor Farneſium fluctuantem animi, in-
» certumque, vtrum, plus fiduciæ in Fœderato-
» rum armis, an in fide fluxa plus timoris ponen-
» dum cenſeat? Si cum viribus modicis bellum
» capeſſet, periculum cladis ab Hugonotis; ſin in-
» gentes adduxerit, ſociorum ſuſpiciones exti-
» meſcendæ ſunt. Ecquis enim dubitat, quin
» Mainei Dux, & Procerum quiſque ſe malit,
» quàm Benearniæ Principem, Benearniæ Prin-
» cipem, aut ciuem alium quemlibet, quàm

Ex patefacta vnius morientis voluntate coniecturā ſumit latentium in multis viuentibus ſtudiorum.

Dilemma oſtendit æquè periculoſum Hiſpanis bellū capeſſere in Gallia viribus magnis, ac paruis.

ex-

» externum Regem Gallijs imperitare? Niſi for-
» tè Maineum firmiùs animatum in rem, & am-
» plitudinem Hiſpanam eſſe credis, quàm fuerit
» Guiſius eius frater. Quem accepimus, in Ble-
» ſenſibus Comitijs, Henrico III. regnante, cùm
» nunciaretur Salutienſium Principatus à Sabau-
» diæ Duce interceptus, authorem fuiſſe decer-
» nendo, Ducemque obtuliſſe gerendo bello
» contra Sabaudum generum Catholici Regis, &
» Fœderatis addictum, cuiuſque miniſterio au-
» reorum quinquaginta millia per ſingulos men-
» ſes à Mediolani Gubernatore ipſi Guiſio tran-
» ſmittebantur. Et niſi eo tempore Galliæ Rex
» aliud clam coqueret bellum, quod paulò poſt
» in cædem Guiſiorum erupit, ſupremum Gal-
» licani Fœderis Ducem Hiſpanico ſtipendio
» authoratum, aduerſus Principem generum, &
» amicum Hiſpani Regis, exercitus ducentem
» horruiſſemus. An fidelem Hiſpano nomini ſpe-
» ras futurum, qui nihil Hiſpanis omnino fidat?
» qui militibus noſtris vſque ad hoc tempus Gal-
» lias ingreſsis aditum vrbium munitarum inter-
» dicat, de fide dubitans eorum, quorum ſanguine
» vti ad expugnandas Nauarræorum arces non
» dubitat. Quænam iſta tam iniquis comparata
» legibus amicitia eſt? Si hoc nomine digna ſo-
cie-

Maineum aſſerit non eſſe meliùs animatum in rem Hiſpanam, quàm eius frater Guiſius fuerit, qui Sabaudiæ Duci Regis Genero, & Fœderatis addicto ob interceptum ab eo Salutienſium Principatum bellum indicendum eſſe cenſuerit.

Eiuſdem Mainei fidem in dubium vocat, eo quod nihil fidat Hiſpanis, eoſque munitarum vrbium aditu, & hoſpitij iure prohibeat.

„cietas, quæ alterâ parte claudicat. Hiſpani Gal-
„lis manus, aurum, animas credimus; ij nobis
„ne iura quidem hoſpitij, & ſacra menſæ ſub iiſ-
„dem laribus credunt. Sed excluſos ciuitatibus
„amandant in campos, ceu peſtilentiæ afflatu
„noxios, aut quaſi prædones publicos generis
„humani. Iam verò, vt nihil noſtris legionibus
„in Gallia timendum ſit ab inſtabilitate, ac per-
„fidia ſociorum, num propterea deſponſam vi-
„ctoriam habemus, aduerſus hoſtem Regij ſan-
„guinis Principem, cum quadraginta bellato-
„rum millibus Lutetiam circumſidentem? quem
„poſt Iurienſe prælium in ſummam exiſtima-
„tionem, gloriamque veniſſe liquet; condupli-
„catos militibus animos, exercitum auctum
„concurſu popularium, & exterorum; ſuffe-
„ctam inſuper cum militibus ex Anglia pecu-
„niam, quadringenta millia aureorum, reno-
„uatoque fœdere ſpem feciſſe Reginam, ſi
„maioribus à Belgio viribus Gallia intraretur, ſe
„protinus Belgium equitum, peditumque mul-
„titudine inundaturam; ita vt, quandocumque
„vel vnum digitum in Gallia promoueret Hi-
„ſpanus, in Belgio, aliiſque Regnis prouincia-
„rum diſpendio lueret. Quod ſi hunc belli tur-
„binem, ſub quo gemunt cum Lutetia omnes

Exaggerat Nauarræ Regis æſtimationem & gloriam, adiuncta illi popularium, & exterorum auxilia.

Ca-

» Catholici ; ſuſcitauit (vti Britanniæ Regina
» profitetur) metus maximè Hiſpanorum ſe
» Galliæ rebus immiſcentium , quid futurum
» putamus , vbi Orbi terrarum innotuerit ; Gal-
» lias ingreſſum cum Hiſpani Regis exercitu
» fortiſsimum noſtræ ætatis Imperatorem? Quan-
» to animorum ardore , velut ad commune in-
» cendium ſanguinis fluminibus reſtinguen-
» dum accurrent eiuſdem ſuperſtitionis gen-
» tes , Hollandi , Angli , Germani , quidquid
» in Europa eſt Hæreticorum ? Quid ? num Ca-
» tholicos Italiæ , Germaniæque Regulos otioſè
» ſpectaturos credimus Regis Hiſpani manus ,
» qualicumque Religionis obtentu in Galliam
» extenſas ? An ipſos quoque , pro ſuo quem-
» que modulo , fœderibus agitandis , monitis ,
» pecunijs clam mittendis (quod iam fieri ſubo-
» dorati ſunt , qui apud eos verſantur Oratores
» noſtri) ad vltimum , ſi res exigat , vi , palam ad-
» uerſaturos ? ita vt Gallia futura videatur Mar-
» tis campus Europæ in Hiſpanos arma concien-
» tis . Quamobrem vtramque fortunam in hoc
» bello , & neſcio , an ſecundam magis , quàm ad-
» uerſam reformido . Nam aduerſa , quantâcum-
» que contractâ clade , eâ finietur . Secunda infi-
» nitam inuidiam generis humani contra Au-

A minori metu Hiſpanorū, qui adhuc abſentes ob ſocietatem Fœderis tantam belli procellā exciuerint, quid futurum ſit argumentatur, cum ingēs eorum exercitus, & Farneſius Imperator intrauerint Galliam.

Probat, plus metuendam Hiſpanis in Gallico bello victoriam eſſe, quam cladem.

» ſtriacam potentiam trahet. Eò quippe ſub tuis
» auſpicijs (ò Rex) Hiſpana magnitudo exceſſit,
» vt incrementa eius vlteriora, terrarum Princi-
» pes periculum ſuum interpretentur. Et ſuſti-
» nebit animus prouocare tantum conſenſum
» hoſtium, armorumque, in externa præſertim
» infida regione, cùm alias Europæ coniuratio-
» nes aduersùm nos initas, in proprio ſolo, val-
» lati vrbibus, arcibuſque vix ferre potuerimus?
» Quo conſilio tam peſtiferam Camarinam
» commouemus? quorſum pecuniarum pre-
» tijs, & ſanguinis perniciem conquirimus non
» neceſſariam? Cur nos interponimus Galliæ
» populis perire geſtientibus? vt ſcilicet ſeruati à
» nobis, pro ea gratia, poſteris noſtris exitium
» ſtruant. Quin ſinimus odiorum, quæ in Hi-
» ſpanos æterna gerunt, mutuis cladibus pœnas
» dare? Cùm præſertim neutra factionum ſit in-
» nocens, ambæ flagitioſæ; Hugonoti aduersùs
» Deum impij; rebelles Regibus Fœderati. Vtri
» pereant, noſtra res proſperatur; ambo ſi con-
» cidant, ſuis ruinis Hiſpanam potentiam ful-
» cient. Ecquod enim dubium? quin acciſis in-
» ternecino diutino bello Galliæ viribus, Hiſpa-
» nis contra florentibus, integriſque, Belgio recu-
» perato, ærario intacto, facile nobis futurum ſit,

Concludit, nõ eſſe prouocandum Hiſpanis tot hoſtium conſenſum, & concitandam in ſe totius Orbis inuidiã, ſed ſinendum, vt Galli mutuis certaminibus concidant & vacuã Hiſpano Regi relinquãt Gallię poſſeſſionẽ.

vtram-

„ vtramque factionem, confectos laſſitudine vi-
„ ctos, victoreſque obruere, quo debile Regnum,
„ & exangue potentioris, vti ſolet, præda fiat. „

Hæc Idiaqueſius. Ex aduerſo, æmulus Chriſtophorus de Moura, contraria ſentiens, an, quod altiùs in Regis animum introſpexiſſet, obſecundandi cupidus? ità diſſeruit. „

Cõtraria Oratio Chriſtophori Mouræ expeditionem Gallicam ſuadentis.

„ Vellem profectò, quod optare præſetulit
„ Idiaqueſius, hodiernæ deliberationi de ſuſci-
„ piendo pro Religionis defenſione Gallico bel-
„ lo Parmenſis vnà adeſſet, non vt Gubernator
„ Belgij prouinciarum, ſed vt Hiſpanienſis Aulæ
„ Conſiliarius, à ſingularis Præfecturæ ſtudio
„ ad communem huiuſce Imperij tutelam tradu-
„ cto animo, laxatoque peramplis, & conſenta-
„ neis Regiæ dignitati cogitationibus. Equidem,
„ qui viri prudentiam nouerim à militari laude
„ non diſcrepantem, minimè dubito, quin re-
„ miſsâ paululùm curâ Belgij ſui, conſuleret, non
„ vt Alexander, ſed vt Philippus, non vni tan-
„ tùm genti, ſed maximæ parti generis humani.
„ Intelligeret in præſentiâ non illud ambigi, præ-
„ ſtet ne Belgicum ante finire bellum, quàm
„ Gallicum inchoare: neque enim in dubium
„ quiſquam id vocaret, ſi Lutetiæ pericula pate-
„ rentur; ſed aliud conſultationis caput, & cau-

Optandam initio fatetur Alexãdri præſentiã; & orationem; non tamen vt Belgici Gubernatoris, ſed vt Hiſpanienſis Aulæ conſiliarij.

„ ſam eſſe; vtrum ſcilicet arma nunc transferre
„ de Belgio in Galliam expediat, ad Hæreti-
„ cum Principem abſtinendum Lutetiá, & Re-
„ gno; an mox vtroque eumdem potitum exci-
„ pere debeamus Hiſpaniæ prouincijs torren-
„ tis in morem ſuperfuſum, cum ſuis Hugono-
„ tis per victoriam, & licentiam connubiorum
„ immenſum auctis? Falleris enim (Idiaqueſi)
„ ſi, poſteaquàm Galliæ compos Henricus fue-
„ rit (vti breui erit, niſi armis inuictiſsimi Hiſpa-
„ niæ Regis interpelletur) eá mente acturum
„ putas, vt contentus Imperio Francico ſeneſcat.
„ Seriùs, citiùs, ab iſta nube tempeſtas Hiſpaniæ
„ impendet; cum hoc diſcrimine. Quod, ſi præ-
„ uertitur, in hoſtili bellabitur ſolo, contra Be-
„ nearnienſem vnius modò factionis Principem,
„ nec dum totius Regni opibus fultum; Gallo-
„ rum diripientur agri, excindentur vrbes, cum
„ ſpe amplificandi potiùs Hiſpani Imperij,
„ quàm deterendi. Sicut olim in Italiam aduo-
„ cati maiores noſtri ſubſidio contra Gallos, ijs
„ eiectis, hæſere ipſi, & patrocinium verterunt
„ in Imperium. Aderunt quidem nobis Fœde-
„ ratorum auxilia, ſed illorum fraudes in pere-
„ grina regione ne timeamus, prouidentiá Sum-
„ mi Imperatoris, & noſtris abunde armis prote-

Docet vitari bellū non poſſe cum Rege Nauarræ non quieturo. poſt occupatū Galliæ ſolium, ſed in Hiſpaniæ regiones irrupturo: præſtare igitur bellum inferre, quam propulſare.

Maiorum exēplum addocit, qui aduerſus Gallos in Italiam aduocati, ijs eiectis ibi cum imperio permanſerunt.

Oſtendit Hiſpanum poſſe à fraudibus ſociorum cauere.

„ cti erimus. Neque verò Germanorum exer„ citum Hugonotorum perfidia, ſed rectore carentem, ceu caſſum lumine immane animal, „ ſua vecordia, ſua temeritas perdidit. Sin ceſſa„ mus, patimurque per negligentiam noſtram „ Henricum creſcere, tardiùs quidem aliquan„ to bellum, ſed eò aſperius admittere cogemur „ intra viſcera Imperij, cum ijs malis, queis ob„ noxij ſunt non inferentes arma, ſed propulſan„ tes. Atque omnium primùm Gallica tempe„ ſtas in proximum Belgium detonabit. Quod „ incaſſum ad veterem dominationem reuoca„ tum fuerit, ſi poſt paulò ingruentibus Gallis, „ Britanniſque, de integrò amittendum erit. Bel„ gium idcirco commemoraui; quoniam Idia„ queſium pro eo laborare ſentio, vbi filius me„ retur Tribunus militum ſub Alexandro, qui „ Belgicam regionem magnis laboribus, pericu„ liſque ſuis recuperatam, tamquam filiolam dili„ git. Cæterum Hiſpaniæ quoque tuæ (o Rex) „ Italiæ, Germaniæque, ac patrueli Imperatori „ te conſulturum exiſtima, ſi totâ virium mole „ Benearnienſem Galliarum ſolio ſubmoueris. „ An Regiæ peregrinantur aures, nec ad illas „ Henrici minæ peruenerunt iactatæ poſt Iu„ rienſem victoriam in conuiuijs amicorum,

Obiectam Germanorum cladem ſu eorum temeritatem, & vecordiæ confert.

Demonſtrare conatur, admittẽdum eſſe bellum in viſcera imperii; atque actum iri de Belgio, ſi creſcere ſinatur Hẽricus.

Perſtringit Idiaqueſiũ, quaſi ea de cauſa pro Belgio laborantẽ, quod filium habeat ſub Alexandro Tribunum militum.

Gloriationem refert Regis Henrici iactãtis in cõuiuijs amicorum, eſſe ſibi propoſitũ regiũ Romanorum diadema præripere Auſtriacis, Hiſpanos Italia, & Pontificẽ Roma depellere, atque in Vaticano & Capitolio ſui ſedem Imperij cõſtituere.

„cùm adæquandam ſibi Caroli Magni gloriam, „& felicitatem ſumpſerit? Statim atque Galliæ „ſuæ potens extiterit, occupato per tranſcurſum „Belgio, ad Regium Romanorum diadema „porrecturum manus, offerentibus Palatino, Sa„xone, aliiſque Septemuiris de Auſtriaca ma„gnitudine, præter Ortum, Occaſumque, Sep„temtriones inumbrante, ſollicitis. Illinc deſcen„ſurum in Italiam, glorioſo prætextu, domina„tricis olim nationis ab Hiſpanico iugo vindi„candæ; Capitolium denique, ac Vaticanum vol„uentem animo, Romam aditurum veterem „Imperij ſedem, ac triumphorum, vt eiecto in„de Romano Pontifice, à quo ſe anathemate per„culſum indignatur, & Vaticani ſuggeſtu ſuis „concionatoribus patefacto, coronam Orbis ter„ræ, cum Imperatricis Vrbis fortuna ſibi induat. „Ampullas has eſſe ſcimus, & magniloquen„tiam militarem. At imaginem exhibent animi „ambitioſi, vaſtique, immoderata cupientis, & „ſi occaſio detur, auſuri. Neque abnueris, dif„ficilioris operæ futurum Galliam ſubigere, „quàm exinde viribus Regni prævalidi ſubni„xum, Hiſpaniæ, atque Europæ negocium fa„cere. Cùm præſertim iis virtutibus affluat, „quas in claris Imperiorum fundatoribus flo-

Auſurum tentare quæ dixerit Nauarræ Regem oſtendit enumeratis Imperatorijs eius animi dotibus.

ruiſſe

» ruiſſe narrant: cùm in Regio ſanguine altitu-
» dinem animi præferat planè Regalem, dignam
» Rege formam, dignam fortitudinem, huma-
» nitatem, cæteraſque laudes concentu tali, vt
» prœconium extorſerint Romani Pontificis
» irati, & collaudantis, vſurpantiſque de Henri-
» co illud à Lacone pro Epaminonda ſuſceptum
» votum: cùm talis ſis, vtinam noſter eſſes. At
» quorſum hoſtem Hiſpani nominis in Hiſpani
» Regis concilio laudibus tollis? Vt è medio tol-
» lere feſtinemus. Extinguatur flamma iam cre-
» ſcens, elidatur in cubili ſuo anguis, priuſquam
» vngues adoleſcant, vinclis, vulneribuſque do-
» mandus eſt leo. Opprimi potuit poſt Henri-
» ci III. obitum, intra paucos dies, dum Diep-
» pæ premebatur à Mainei Duce, vt hic in lite-
» ris ad Farneſium datis affirmauit; ſi Belgicæ le-
» giones ad Galliæ fines admotæ intuliſſent ma-
» gis arma, quàm oſtentaſſent. Dum cunctan-
» tur, dum in cauſa optima cauſam quærunt, non
» reſpirandi modò, ſed & vincendi ſpatium
» Henrico fuit. Nunc, ſi minùs euertere ge-
» minis confirmatum victorijs licet; at inhibere
» datur fortunæ curſum, ſpiritus compeſcere,
» vexare, frangere; intentiſque Auſtriacæ po-
» tentiæ neruis, aut omnino prohibere Regno,

Dictum Romani Pontificis refert hoſtem Hẽricum, collaudantis deque illo vſurpantis votum à Lacone pro Epaminonda ſuſceptum.

Ad cunctationem Hiſpanorum cauſam confert, cur Dieppæ non fuerit oppreſſus Henricus, & reſpirandi ſpatiũ habuerit, imò & vincendi.

Poſſe illum oſtendit ſi non penitus profligari poſt victorias geminas, at coërceri, vexarique diutius, & aut Regno prorſus excludi, aut in eas anguſtias

aut

tedigi, vt pro munere habeat, ſi precariũ ab Hiſpanis, & Romana ſede Regnũ accipiat.

„aut tot moras, armorumque obices opponere, „vt pro munere habendum intelligat, ſi eiuratâ „Hæreſi, impetrare quiuerit ab Roma veniam, „ab Hiſpania pacem. Hactenus de neceſſitate, „vſuque Gallici belli; de honeſtate quid dicam? „quæ tanta eſt, vt, quamuis plenior, quàm Idiaquefius cenſet periculorum alea eſſet, ſubeun„da tamen Hiſpaniæ Regi videretur, Catholi„ci cognominis ornamentum non aſpernanti. „Tua intereſt, o Rex, qui potentiſſimus es mor„talium, illibata tueri iura Numinis in terris; lon„gèque impenſiùs, quia Auſtriacus es. Propu„gnatio Religionis vbicunque terrarum, in alijs „gratuitum eſt officium, in Auſtriacis debitum. „Sub tanto auſpicio ortum, auctum, corrobo„ratum eſt hoc Imperium; cuius curam qui ſe„iungit à cura Religionis, errat. Hæc fideliter „cuſtodita illud cuſtodit; ſicut æquis profecti„bus in Orbe terrarum creuere ambo, ita vul„go increbuit, idem fore Catholicæ Religionis, „& Auſtriacæ potentiæ fatum. At non idcirco „abs te poſcimus, vt Religioni ſub Mahometa„nis in Oriente ſeruienti ſuccurras. Quam„quam & illuc porrigi curas tuas, & Chriſti Fi„dem ad vtramque ſolis domum Regijs in claſ„ſibus nauigare perſpicuum eſt. Gallia nos pro-

Suadet expeditionẽ ab honeſtate cauſæ, quę eſt Catholicæ Religionis defenſio.

Debitas Auſtriacis partes eſſe demõſtrat vbique terrarũ Religionis iura tueri, & errores excindere, ſed præſertim in Gallia, quæ velut vmbilicus Europę poſſit omnem Chriſtianã rempublicam, ac præcipuè finitimas regiones hæreſis contagione comprehendere.

pinqua

„ pinqua ſollicitat, ne adigatur perfidiæ iugo, „ quæ media Europæ, atque Auſtriacis Regnis „ contermina, eo loci poſita eſt, vt bona eius, & „ mala ad Chriſtianam Rempublicam perti„ neant. Si hæc deſciuerit à recta Fide, ecquæ „ circum regiones, quæ vrbes immunes agent „ ab Hæreſis labe, quam Galli cum armis inue„ hent? Conſociati Britannis iam perditis, Belgas „ nutantes, & Germanos, aliaſque gentes faciliùs „ impellent, quàm nos tenebimus. Nam homi„ nes in vitia ſponte naturæ præcipitant, ægrè „ trahuntur ad virtutem. Sin, miſſis è Belgio „ exercitibus, cauſam Gallicani Fœderis incli„ natam, ac titubantem erexeris, & ſuſtinue„ ris, in ſpe aliqua ſumus, tantorum opibus, au„ ctoritateque Regnorum priſtinam aliquando „ maieſtatem deformatæ Religioni reſtitutum „ iri. Vtramuis in partem, ſiue ad ſalutem gene„ ris humani, ſiue ad exitium, in conditione Gal„ liarum momentum erit. Quid, quod non Re„ ligionis modò, ſed iuris, & æqui tuendi causâ, „ Gallicum Hiſpaniæ bellum capeſſendum eſt? „ nec ſola pietas Catholico Regi; ſed conuenta „ pacta cum Catholicis Gallis, & fas gentium „ iuſta induit arma? Non vltra contendam, vt „ ſpecioſum Catholici titulum Principi noſtro

Addit cauſam iuris, & æqui ob ſocietatem cum Catholicis Gallis iureiurando firmatam.

„ affirmemus, nec vt Hiſpani exercitus, propu-
„ gnatores Religionis, liberatores Galliarum ſa-
„ lutentur. Inuidiam violatorum fœderum de-
„ precor, ne deſertores amicorum, ne fidei pro-
„ ditores audiamus. Annus agitur quartusdeci-
„ mus, ex quo primum cum Catholicis Gallis
„ icimus fœdus, quintus, ex quo illud iurati re-
„ nouauimus. Quanta iam inde in Hiſpanam
„ rem emolumenta deriuata fuerint, quis igno-
„ rat? An Antuerpia, aliæque inexpugnabiles
„ Belgij arces tam citò portas Farneſianis tor-
„ mentis aperuiſſent, niſi Sancto Gallorum Fœ-
„ dere pro Hiſpanis excubante, Hæreticis Hol-
„ landis adeſſe Hugonoti Galli prohiberentur?
„ num veſtigium Belgicæ glebæ ſupereſſet in
„ poteſtate noſtra, ſi, quam Henricus III. Rex
„ Gallorum iactabat oblatam ſibi à Batauis Bel-
„ gij dominationem accipere voluiſſet? Quid
„ aliud compulit, vt detrectaret, quàm metus
„ Fœderis Gallicani, bellum inteſtinum inten-
„ dentis in Henricum, quandocumque is exter-
„ num in Hiſpanos moliretur? Nunc, rerum hu-
„ manarum orbem voluente fortunâ, ſuam vi-
„ cem beneficium expectat. Si Gallicani Fœ-
„ deris operâ factum eſt, ne Belgium Hiſpaniæ
„ Regi periret, quidni Belgicus Hiſpanorum
exer-

Emolumenta recenſet ex eo Fœdere in Hiſpaniam deriuata.

Sancti Fœderis metum in cauſa fuiſſe contendit, ne Hugonoti Galli Hollandis adfuerint, neue Henricus III. ad oblatam à Batauis Belgij dominationẽ adiecerit animum.

Reponendam ait eſſe Fœderatis beneficii vicem, & pro eorum ſalute laborandum Hiſpanis, qui pro Hiſpanorum victoria laborarunt.

» exercitus Fœderatis opituletur, ne cùm Lu-
» tetia concidat omne Catholicum in Gallia
» nomen? Pro noſtra victoria tetenderunt Fœ-
» derati: quanto impenſiùs æquum eſt, pro il-
» lorum ſalute nos laborare? Quos quidem id
» temporis Princeps Benearnienſis non tam fer-
» ro, quàm vltimâ neceſſitatum humanarum
» adortus eò redegit, vt aut fame interituri ſint,
» quod miſerum viris fortibus, aut, quod pijs
» horribilius, in poteſtatem Hugonotorum ven-
» turi. Quod ſi tanto in diſcrimine Catholica-
» rum partium ceſſare videtur Romanus Pon-
» tifex, cui Religionis eſſe debet antiquiſſima
» cura, incitare cunctantem adhortationibus,
» exemploque tuum eſt (ò Rex) cui, præter
» communem Religionis, peculiaris adeſt Fœ-
» derum cauſa, opes inſuper, arma, virique ſupe-
» rant, inſtrumenta bellandi. At enim mouebi-
» tur Camarina, nec Hæretici tantùm; ſed &
» Catholici Principes, ob attentatam Hiſpanis
» exercitibus Galliam, in nos coniurabunt. Con-
» iurent, vt libet. Aequitas modò, & Religio
» comitentur Hiſpana arma, omnium gentium
» conſenſum non extimeſcimus. Ecquis neſcit,
» conſpirationes Principum, ob diuerſas, quas
» conſectantur ſinguli, vtilitatis rationes; quaſi

Ob cunctationé, inquit, Romani Pontificis non debere ſegnius agere Philippú Regem; quin potius Pôtificem eſſe incitandú ab eo, cui & peculiaris adſit Fœderum cauſa, & vires, atque exercitus ſuppetant.

Futuram, quæ opponebatur, Principum cóſpirationem vanum eſſe terriculum docet, vt quæ ob diſcordes animos diu conſiſtere nequeat, & parum valitura ſit contra vires Regis Hiſpani firmiſſimas, atque vno ſpiritu animatas.

» diſcordes vno in corpore formas, inutiles vt plu-
» rimùm eſſe, atque inſtar humani cadaueris ce-
» leriter diſſolui? Sed fac aliquantiſper conſiſtere:
» non opponet ex aduerſo (Maieſtas Tua) bene
» connexam, firmiterque cohęrentem, vno quip-
» pe animatam Regio ſpiritu, tot valentium Re-
» gnorum compagem? cum Hiſpanijs vtram-
» que Siciliam, Inſubriam, Belgium, venaſque
» prouentu metallorum, ac gemmarum opulen-
» tas duplicis Indiæ; præter Germanum Cæſa-
» rem, & Italiæ Regulos, qui ſanguine, aut bene-
» ficijs deuincti Auſtriacæ amplitudini cupiunt.
» Nulla non bella terroribus periculorum cir-
» cumſtrepunt, ſed facilia de difficillimis, ac tra-
» ctabilia ea redigit animi magnitudo. An, ſi æſti-
» matione digna Idiaqueſij terricula viſa eſſent,
» maiores tui tot regiones Hiſpano adiecissent
» Imperio? aut nuperrimè, tute ipſe, ò Rex, Lu-
» ſitanam hæreditatem, cum appendicibus ex-
» tra Orbem noſtrum poſitis tot marium, ter-
» rarumque? Denique vt ſummam ſententiæ
» meæ paucis conficiam; qualemcunque exitum
» Gallicæ expeditioni ſors dederit; non dubia
» laureæ ſpes Hiſpanis auxiliatoribus affulget. Si
» Catholicam Galliam ab Hugonotico iugo vin-
» dicauerint; ouantes triumphali fronde victo-

Concludit, certami Hiſpanis paratam eſſe gloriæ laureã ſiue vincant, ſiue vincantur.

» ria excipiet: ſi quid humanitùs accidet, ſydera cedent in coronam. Quamquam aduerſa reputare vix licet Religionis in cauſa, cui obſecundare ſolet Cœlum, & quidquid vſquam recti in Orbe terrarum. Nimirum, cùm in incerto viciſſitudinum Imperia mortalium omnia fluctuent, nullis conditio ſecuritatis eſt potior, quàm ijs, quæ Religionem propugnando, ſicut authorem periculi, ſic & conſortem quodammodo Deum habent. Quid hoc fieri tutius poteſt, quid fortunatius?

Corrigit ſententiam oſtendendo, diuinitus eos plerúmque reddi ſecuros, qui Religionem propugnant.

Hactenus Moura. Quibus auditis Philippus in ſua ſententia firmatus, literis Farneſij reſpondit. Perpenſa coram Regio Senatu, quæ pluribus inculcarat, Belgij calamitates, & lamenta prouinciarum. Pluris tamen apud ſe, ſuoſque Conſiliarios fuiſſe Fœdus iam olim initum cum Catholicis Gallis, Religionemque vna cum Lutetia Pariſiorum periclitantem; cuius ruina cùm finitimos Belgas, Germanoſque tractura videatur, properandum in Gallias Alexandro, vt Lutetiæ liberatione Orbem Chriſtianum defendat. Itaque faceſſere iuſſis parumper ab animo Hollandiâ, Zelandiâque, in quas curas martis intenderat, expeditionem Francicam toto pectore amplecteretur; àtque ſollicitè copias pares tam

Philippi Regis in ſuo iudicio confirmati reſponſio ad Farneſij literas.

Properare illũ in Galliam cũ exercitu iubet, & cauſam breuiter addit ſuæ voluntatis.

Hortatur, vt paratis copiis in expeditionem Gallicam totus incũbat.

piæ

piæ cauſæ comparans, quo ardore animi iuuenilem ætatem bello ſacro contra Turcas, deuotione non impari poſtremum vitę actum Sancto Fæderi, contra Hæreticos, dedicaret. Hanc illi prouinciam, reddita tempori valetudine, Deum, & Regem deſtinauiſſe, Farneſianâ virtute theatrum dignum, in quod vniuerſa Europa coniecerit oculos, animoſque. Et quoniam (inquit) „felices bellorum exitus à Ducibus potiſſimùm „pendent, & Galli Fœderati enixis precibus „iſtud à me impetrant, ita rem totam abs te ad„miniſtrari volo, vt ipſemet in Galliam meos „exercitus introducas. Duplicandas credimus „vires, quibus præfueris; & iſtam rei militaris „peritiam, conſilium, fortitudinem, gloriam de„nique belli, quâ circumfulges, vnde ingens „amicis fiducia, hoſtibus terror, pro maximis „copijs computamus.

Virtutes Viri commemorat, ob quas eum huic potiſſimũ bello ducem elegerit.

Ad hoc Regis imperium fluctuaſſe animo comperi Alexandrum ambiguum parendi, grauitatemque impoſiti oneris vitabundum. Neque enim Gallici belli molem, quæque inde ſpes, metuſque penderent, æſtimatione pari Rex Hiſpaniæ, atque ipſe Parmæ Dux metiebantur. Nam, præter quam quod Nauarræorum potentiam, imbecillaſque Fœderis vires hîc è pro-

Cur Farneſius ad hoc Regis imperium animo fluctuauerit.

proximo clariùs introſpexerat, Rex incerta caſuum humanorum, qualia Ducibus, exercitibuſque in alienas terras tranſgreſſis multa contingere ſolent, vti extra ictum vulneris poſitus, haud perinde reputabat. Quæ ſanè Alexander vt obnoxius, atque eodem fortunæ turbine, quo ſui pedites, equiteſque inuoluendus, aduerſæ ſæpius, quàm proſperæ fortunæ memor, attentiùs meditabatur. Quantò verò ſplendidius nomen ſibi fama rerum geſtarum circumdederat, tantò impenſiùs prouidendum rebatur, ne à vertice gloriæ ad imum (quæ ſummarum altitudinum eſt conditio) prolaberetur. Imperatoribus nouitijs eiuſmodi occaſiones auidè conſectandas: nomen ignotum commendare famæ, & ſpecioſis periculis inclareſcere Triumphali verò Duci, quàm formidandum eum diem, quo à victoria explorata Belgij, ac ſpe pacandarum Regi prouinciarum abſtraheretur in Galliam, difficillimi belli aleæ viginti annorum militiam, atque triumphos obiecturus? Peregrinum in Orbem, infidas inter gentes, inimicos certos, amicos incertos, vbi quid aduerſi increpuerit, omnes aduerſaturos. Equitatum numero, ac virtute generoſæ nobilitatis, Europâ, Aſiâque percelebrem, Heluetium peditem, aut Germanum,

num, diſciplinâ, & robore inuictos, Ducem à puero exercitum bellis, e Regio ſanguine, legibuſque Regni vocatum ad ſolium, & (ſi verum fateri de hoſte libeat) niſi Hæreſis vna innumeris laudibus obſtreperet, dignum, qui vel alienus accerſeretur. Contra hunc Principem æquè rei bellicæ ſcientem, ac fortem, Lutetiæ cum quadraginta millibus bellatorum imminentem, redactis in poteſtatem circumiacentibus oppidis, atque adeo intercluſo alimentorum ſubuectionibus aditu aquis, terriſque, quibus viribus, quo conſilio, quâ fiduciâ mandatum ab Hiſpania bellum adminiſtraturum? An ſibi, ſuiſque militibus alas adfore, quarum miniſterio commeatum inuehant vndique circumcluſæ ciuitati, quæ propediem hoſti, & cibo portas patefactura dicatur? At, quemadmodum de ventis, ac tempeſtatibus non perinde iudicant qui verſantur in litore, vt qui iactantur in pelago, ita, qui procul à caſtris, in Regio Senatu decernerent arma de Belgio in Gallias transferenda, non aduertere, Belgium amitti poſſe, Gallias aquiri non poſſe. Quod ſi, in altera parte, vel vtrobique clades accipiatur, Alexandrum ſcilicet peragendum reum, & quem terreſtrem Ducem inundare inuidiâ profligatæ in Oceano Hiſpanicæ

nicæ claſſis tentauerint, quanto clamore in crimen euerſæ rei Belgicæ ſimul, & Gallicæ vocaturos? Victoriam caſu partam, Imperatori vel imperito gloriæ verti, cladem, ex aduerſo, reſpergere ſemper infamiâ Ducem vel immerentem.

Præter allatas difficultates potentiæ hoſtiũ, imbecillitatis ſociorum, & Lutetiæ ſtatus extremi, metus inuidiæ Alex. ab expeditione Gallica retrahebat. Nam ſi eũ aſpergere infamia profligatæ Hiſp. claſſis tẽtauerant, quanto magis clades Belgicas & Gallicas erant imputaturi?

His rebus animo diu volutatis, in incerto Farneſius habuit, quid conſilij caperet. Vtrùm plenam periculi expeditionem, vel depoſitâ Belgij Præfecturâ, detrectaret; an quò grauiora imperabantur eò alacriore animo obſequeretur, ad ſupremum rerum omnium certamen, atque diſcrimen in Galliam tractus? In altera parte erant ſecura conſilia, ſatias belli, gloriæ quæſtus in tuto, & quies, illi ſi minùs ætati, certè valetudini tempeſtiua. In altera imperium auunculi Regis, cauſa Catholicæ Religionis, ſalus Belgij, Galliæque, quæ ignorare non poterat, ſuis vnius humeris innixa ſtare; tum neminem alium totâ Europâ eſſe, qui par Nauarræ Regi eâ tempeſtate Imperator deſignaretur. Vicit denique fas piumque; & incolumitas Regnorum, cum vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bono, ante priuatum commodum fuit. Aperiendam tamen cenſuit, in epiſtola Bruxellis ante profectionem data, fluctuationem animi ſui, eiuſque cauſas, dum Regem in hunc modum quàm dolenter alloquitur.

Rationes pro vna parte.

Rationes pro altera.

Æquitas & pietas præpollent.

Aperit Regi in epiſtola ſui animi fluctuationem.

„ Belgij, & Galliæ rebus abunde explicatis, „ neceſſe habeo Maieſtati tuæ animi quoque mei „ ſtatum exponere, quem ancipites curæ hinc, „ atque hinc diſtrahunt. Nam ex vna parte me „ exanimant Belgarum voces incuſantium pera- „ cerbè, quod neque Diuinæ, neque Regiæ Ma- „ ieſtatis à me cauſa agitur, dum Belgium credi- „ tum fidei meæ, per abitionem in Galliam ho- „ ſtibus prodo. Ex altera parte quotidianæ Gallo- „ rum querimoniæ perferuntur, meâ vnius culpâ „ fieri, vt Lutetiæ cum extrema fame depugnan- „ ti, & naufraganti in Gallijs Catholicæ Religioni „ opportuna de Belgio auxilia non porrigantur. „ Quid igitur conſilij mihi ſit capiundum igno- „ ro, dum gemina Regna, vno eodemque tem- „ pore, præſentiam noſtram vti neceſſariam ef- „ flagitant. Ad fulciendam rem Gallicam labo- „ rantem accurro? Res Belgica nutans, & peritu- „ ra me reuocat. Suſtinere hanc, ne præcipitet, „ perſeuerem? Sæuiſſimus vrget nuncius, de Lu- „ tetia, & Fœdere collabentibus. An vti curas „ vtròque diuidimus, ita Belgio, & Galliæ, vnum „ partiri poſſumus Alexandrum? Certè ad ſu- „ ſtentandas id temporis Belgij prouincias, vix „ meas præſentis vires ſufficere intelligo: his re- „ lictis, atque deperditis (vt prouideo fore) vtrùm

Proponens ex vna parte Belgarum lamenta dolētium ſe deſeri: ex altera querimonias Gallorum ſuccēſentium, quod Lutetiæ ad extremum redactæ ſubſidia non porrigantur.

Inopiam conſilij præſefert, cum Belgium Galliæque ſuā præſentiam vt neceſſariā exigāt, quaſi vnū Alex. partiri poſſint.

Periculū amittendi Belgij rurſus inſinuat abſque ſpe proficiendi in Gallia.

 Lu-

„ Lutetiam, & Gallias liberaturi ſimus, incertum habeo. Nam initia bellorum in voluntate „ noſtra; exitus, & victoria in manu fortunæ ſunt. „ Meliora quidem in meliori cauſa ſperare iuuat, at, ſi quid humanitus accidat, haud pœnitebit, pro Deo, pro Rege bellantem occubuiſſe. Catholicæ Religionis propugnatorem, „ perinde in clade, atque in victoriâ triumphare „ verum eſt.

Se ſperare quidem meliora, ſed quocumque res cadant, glorioſum putare pro Deo, pro Rege arma circumferentē occumbere.

Extremis his literis nihilo magis, quàm prioribus è ſententia Rex motus, Farneſio cætera, quæ poſcebat, annuit, tranſmiſsâque pecuniâ, de qua quinquaginta aureorum millia pro Fœderatis ſeponerentur in ſingulos menſes, imperat, vt, comparato firmiſſimo exercitu, quàm primùm in Gallias moueat. Si Lutetiæ neceſſitates aliquem ſpei locum reliquerint, ſe non dubitare, quin, vti dignum ſuâ priſtinâ gloriâ foret, relatas ante victorias cumulaturus conſeruatione ſit vrbis, quæ amplitudinis in Orbe terrarum celeberrimæ, caput Regni habeatur, & inſtar Regni. Sin ipſo in itinere deditam Lutetiam, vel expugnatam accipiat, ne ceſſandum ea propter exiſtimet; ſed aut fumantes vrbis ruinas reparaturus accedat; aut exultantes victoriâ Nauarræos prælio, & clade compreſſurus; quocumque pro-

Nil motus his literis Rex imperat Alex. vt quam primum in Gallias moueat.

Lutetiam obſeſſam liberet,

Aut captam recuperet reparetque.

Et Nauarræis clade cõpreſſis, fortunam S. Fœderis reſtituat.

ſtrata loco iaceat, fortunam partium erigat, confirmetque. Ad vltimum monet, Belgij periculis ne moueatur, quod Britanni, Hollandique ſtrepitu, quàm vi maiore inuaſuros minitentur, vt Alexandri cum inuicto exercitu profectionem diſtineant; ne videlicet per excidium Hæreſis Gallicanæ, Belgicæ perduellionis exitio proludat. Quin Imperator ſummus militiæ legibus pareat, vt, quod minimè factum hoſtis velit, id maximè in opus deducere contendat. Certum denique facit, Philippum Regem æquiori animo paſſurum perire Belgium ſibi, quàm Galliam Deo.

Monet denique ne ſit ſolicitus pro Belgio, quod Heretici Batavi oppugnent vt Alex. auertant ab inuadendis ipſorum ſocijs Hugonotis in Gallia.

Quin obſequatur militari effato, quod minimè factum vellet hoſtis, id faciendû præcipienti.

Hæc licèt Hiſpanus affirmatè perſcriberet, vulgaretque; fidem tamen omnibus non faciebat, ineſſe tantam Hiſpaniæ Regi curam Gallicæ Religionis, ac Regni, vt alienis propria tam liberaliter poſthaberet. Suſpicabantur potiùs, eò conſilia tendere, vt miſcendo ſe Gallorum armis, alendoque turbas, aditum aperiret ad occupandam partem aliquam Regni mutuis cladibus debilitati. Præſertim quod Iſabellæ filiæ, præter Burgundiæ Ducatum, deberi Britanniæ prouinciam, vti genitæ de Iſabella Valeſia Henrici Tertij ſorore natu maxima palàm affirmaret. Nec deerant, qui in eo Regis co-

conatu, tantâque auxiliarium copiarum liberalitate, tamquam in equo Troiano, latere inſidias, cauendumque Gallis Hiſpanum, vel dona ferentem, admonerent. Verùm hæc, aliaque ſimilia, ad alienandos ab Hiſpanis Fœderatorum animos, iactare ſolitos in vulgus Nauarræos manifeſtum eſt.

FINIS PRIMI LIBRI.

DE

DE REBVS IN GALLIA GESTIS

LIBER SECVNDVS.

ALEXANDRO ex Hiſpani Regis imperio Gallicum bellum molienti, vt impedimentum, & moras in Belgio ſtruerent, non ſolùm hoſtilia arma Britanni, & Bataui commouebant, ſed ipſa quoque, per domeſticas vel ſeceſsiones militum, vel incuriam Ducum intercedere viſa fortuna. Principium quippe anni fœdauit ſeditio Hiſpanicæ legionis cladis inſtar triſtis Imperatori. Quæ orta hyeme exeunte, verno tempore continuata, niſi ſub æſtatis ingreſſum, ſtipendijs numeratis omnibus placari non potuit. Quam ſanè miror, cur Hiſtoricus prænobilis Belgicarum ſeditionum ſub Alexandri Præfectura primam affirmet, cùm Germanorum commotiones non contemnendæ ad Traiectum, Namurcum, Aldenardam præ-

Seditio legionis Manriquianæ.

præceſſerint, Vvallonum ad Calloum, & ad Antuerpiam, Leuianæ ad vltimum legionis in Bomelia Inſula, cunctæ à Famiano Strada prolixiùs in ſecunda Decade memoratæ. Hæc verò poſtrema cùm anno præcedente contigerit, fueritque, præter ſumptas de authoribus pœnas, ipſius legionis diſsipatione, & interitu notabiliter vindicata, ſcriptorem Belgicæ Hiſtoriæ profectò latere non debuit. Et quidem ad Leuianum tumultum compeſcendum contulerat plurimum legio Manriquiana; quis crederet fore, vt paulo poſt eumdem furorem fureret, rea criminis, quod vlta fuerat? Nam pridem ad conſpirandum à perduellibus inuitata precibus primùm, dein violentiá, miniſque, obuerſis in ſubeuntes fortiter haſtis tubiſque, fraternum pro fide bellum ſubire non detrectauit. Certatumque eſſet pluſquam hoſtiliter inter populares, niſi obſtantia armis arma, & æquæ vires in cauſa æquiore Manriquianorum, abſterruiſſent Leuianos. Vnde factum vt, cadentibus in præſens animis, poſtmodum ſeditio relangueſceret. Manriquianæ igitur legioni gratificandi cupidus Alexander, Cortracum, aliaque ſplendida Flandriæ oppida ad hyemandum attribuit, iuſsis curatoribus pecuniæ Regiæ ſtipendij partem exoluere. Eodem

Quæ cõtinuerat in officio Leuianos.

Fam. Strada lib. 10.

Parata ſuſcipere certamen pro fide ſeruanda.

Ex quo factũ vt ſeditio poſtea ceſſauerit.

Manriquianis hyberna percommoda Alexander concedit in Flandria, partem ſtipendij ſolui iubet, & octo cohortes Leuianas immiſceri.

dem ire cohortes octo Léuianas reliquias imperat; vt pauci pluribus immiſti, veluti pelago confuſa flumina, exoſæ legionis nomen amitterent.

Manriquianæ legionis defectio propter extremã inopiam.

Verùm hæc Alexandri lætitia de fide Manriquianorum diuturna non fuit: ſeu neceſsitas extrema viris fortibus patientiam extorſerit, ſeu vitio infirmitatis humanæ, de virtutis culmine per præcipitia deſcenderint. Certè Manriquianis in recenti beneficio obſequium ſoluentibus, Leuianorum cohortes, quæ malè multatæ fuerant, in fide manſerunt. His videlicet reddente mentem infortunio, quam felicitas illis abſtulerat.

Pet. de Caſt. in Comẽt. a. 1590 Thuan. lib. C.

Leuianis quidẽ cohortibus in fide permanẽtibus.

Anton. Carnero lib. 9. de bello ciuili Belg. & Car. Coloma l. 3 Card. Bentiu. l. 5. par. III 2.

Occaſio ſeditioni præbetur ab vno è Quæſtoribus.

Inſignis Queſtorum vel imprudentia, vel auaritia occaſionem ſeditioni præbuit. Cortraci Didacus Auila Tribunus cum ſexdecim cohortibus; Menenis Pazius cum octo conſederant. Vtrique communi leuandæ neceſſitati, quoniam frumenta de publico dabantur nulla, Regios Quæſtores allaturos promiſſa pecuniæ ſubſidia oppeziebantur. Sub illorum aduentum à Tribuno luſtratio militum indicta eſt, cum ingenti gaudio. Quandoquidem recepto militiæ more, luſtrationem erogatio ſtipendij ſequebatur. Magno igitur concurſu, plauſuque celebratum Quæſtorum aduentum vnius inconſulta vox, triſtem legioni, pernicioſum reipublicæ fecit. Mili-

tum nonnulli (vti fit) per officij ſpeciem ad ſcrutandas acceſſerant Quæſtorum bulgas, cùm è iumentis deponerentur. Inter librandum, quidam cùm in earum grauitatem iocaretur, tamquam ex auri copia plurimum ponderis facerent, vnus è Quæſtoribus (intererat enim expectationem minui, ne modicum pecuniæ, præ voto, ac ſpe nilum videretur) vtinam, inquit, ære ſaltèm prægraues eſſent ſarcinulæ noſtræ! huic veſtræ gratulationi vtcunque, milites, reſponderent. Prolatum ab vno temerè dictum ſerpit in ora omnium, & ſingulis de ſuo addentibus, ex libidine triſtia exaggerandi, totam legionem turbauit. Fremere paſsim manipulares, conglobatique per vias, mutuis querelis dolorem incendere: Hæccine reddi tot laboribus præmia, vt fortium bellatorum miſeriæ, ne miſeratione quidem, ſed ludibrijs, & irriſu excipiantur? Pudendá inopiá conflictatis, cùm neque cibi tolerandæ vitæ ſuppetant, neque tegendis honeſtis cicatricibus veſtimenta, verborum floſculos inanes, & promiſſa vacua deferri à Quæſtoribus, quaſi puerorum ſimplicitati illudentibus. At ſi non annona militibus, non pecunia ſuggererentur, cur à Ducibus diſciplinam & certamina, pretia ſanguinis exigi? Quaſi non ſufficerent exi-

Dū imminuere conatur ſpē militum, ne propter expectationem parum pecuniæ pro nihilo eſſet.

Seditioſorum querelæ.

exitio perdendis Belgicæ terræ, in Galliam propediem abſtrahendos, vt, ſi quos ferro ſupereſſe contigerit, his in exilio, ærumnis, atque egeſtate pereundum ſit. An idcirco bella bellis, pericula periculis continuari, vt in lucro deputentur tam clades, quam victoriæ? Cùm per victoriam hoſtes, clade milites abſumantur, magis fortaſſe, quàm hoſtes inuiſi, quia creditores? Neque in paterna Parmenſis erga commilitones charitate, ſpem vllam reliquam. Quem ob Aulæ Hiſpanicæ inuidiam, penè deſertum à Rege, maior animi, quàm corporis ægritudo lectulo affixerit. Quin igitur, comploratis aliunde ſubſidijs, in ſuis, & commilitonum armis vnuſquiſque fiduciam poneret, atque Cortracum occupantes pignoris loco tamdiu retinerent, donec ad vnum ſtipendia de Hiſpanijs omnia ſoluerentur. Non aduersùs Philippum Regem, non in Alexandrum Ducem, ſed contra fures, & compilatores ærarij Regij conſurrecturos, vt debitam tot laborum, vigiliarum, vulnerum mercedem extorqueant. Quod ſi ex neceſſitate vltima auſuris aliquid ſiniſtrum impendeat; metuere grauiora mala vix poſſe, qui iam extrema patiantur.

His dictis inuicem ad exuendum obſequium incitati, primùm vrbis portas occupare aggre-

Cortracũ occupatur a turbulentis, qui portas vrbis cuſtodiendas ſuſcipiunt dimiſſis ciuibus.

diuntur. Stationem ibi agentes ciues domum dimittunt: ſe in poſterum acturos excubias, ne inſueti militaribus incommodis vltra fatigarentur: darent modò operam, ne ſuos vicarios, & cuſtodes inedia conficeret. De Centurionibus, & Signiferis, qui annuerant nouo conſilio, retinent, ſcelus aſpernatos ciuitate eijciunt; & ſeueriores, quoniam de diſciplina bene meruerant, malè multatos. Deinde cùm Tribunum Didacum Auilam Calderonem, & Inſtructorem legionis Didacum Ortizium ad necem fruſtra quæſijſſent, Auilæ coniugem honeſtiſſimam fœminam nomine Thereſiam ſummo obſequio venerantur, officij memores in flagitio. At Iunium ſigniferum Tribuni contubernalem, qui ſub ampla togæ matronalis cyclade latitabat, deprehenſum, conuicijs primùm, mox & pugnis onerant, tamquam mancipium, cuius conſcientiam ingentium criminum ream, latebra inſolenter quæſita redargueret. Accepto ſeditionis nuncio, cohortes octo, quæ Menenis in proximo oppido conſederant, ipſæ quoque Signiferis, & Ducibus eiectis conſpirant, alteráque luce Cortracum profectæ tumultuantibus aggregantur.

Eijciunt ſigniferos, & cẽturiones ſeueriores.

Tribunum & inſtructorem legionis ad necem quærunt.

Cohortes etiã, quæ manebãt in proximo oppido Cortracum petũt.

Menin.

Interim cohortes Leuianæ, queis imperatum fuerat, vt Manriquianæ legioni ſe adiungerent, audi-

At cohortes Leuianæ ſuſpendunt iter, quid agendũ deliberantes.

auditâ in itinere defectione ſubſiſtunt, quid agendum incertæ. Præter communes deſciſcendi cauſas, ciborum, veſtium, & pecuniæ inopiam, propria ira, ob inflictas grauiores, quàm ſibi quiſque meruiſſe videbatur pœnas, ad rebellandum incitabant. Retinebat obſequij amor, qui per caſtigationes redierat, contumacia infelix experta iam ſemel, odium, & vltio parata in Manriquianos punitores olim ſuos, nunc paria delinquentes, abolendæ demum veteris noxæ, demerendique recenti officio Imperatoris oblata opportunitas. Cùm fides, & fas prævaluiſſent, mittunt ad Alexandrum, qui moneat, ſuperſediſſe itineri Cortracenſi Leuianos, ne conſortio perfidiæ polluantur. Opperituros Ducis imperium, & ſi vis intentaretur, auxilium. Nec ſuperuacua hæc fidelium militum diligentia fuit: Nam, cùm audiſſent Manriquiani cœptum ab ijs iter ſimul, & omiſſum, ſuam contumeliam interpretantes tali tempore, illorum fidem, omni ope, quà precibus, quà minis ad ſe pertrahere conati ſunt. Cùm verò reijcerentur, perſequi bello conſtituunt, armiſque arreptis, aduersùs obfirmatos in fide pergunt, commilitonum virtutem vlturi ferro. Verùm, vbi directâ in occurſum acie, paratos ad certamen, & mortem animaduer-

Cauſæ quæ impellunt ad deſciſcendum.

Cauſę quę ſuadent retinendum obſequiũ

Secundæ vincunt.

Alexandrum Leuiani conſulunt.

Manriquiani eos inuitant Cortracum, & ſocietatẽ perfidorum abnuentibus bellum minãtur.

Sed conſpicati paratos ad defenſionẽ, certamine abſtinent.

maduertunt (faciebat animos in tanta iniquitate virium, æquitas cauſæ, ac rumor aduentantis auxilij ab Alexandro) ijſdem rebus exterriti aggreſſores, haud tentato virium periculo, reuertuntur. Tres circiter menſes Cortraci ſubſtiterunt contumaces, nullo litterarum, aut legatorum cum Præfecto Belgij interueniente commercio. Iram præſeferebant, quod poſt victorias complures Regi ſanguine ſuo partas, arces, obſidijs, aut aſſultibus expugnatas, egeſtate, ac fame hoſtiliter accepti, ſaluti conſulere per fas, per nefas, compulſi eſſent. Alexander pariter indignatione commotus, nolle ingratorum militum nomen ad aures, nolle vultus ad oculos peruenire; quoniam beneficijs à ſe maximis, ornamentiſque collatis, eam mercedem rependerent, vt facinora Leuianorum, in quorum vltionem conſenſerant, imitàrentur. Hæc in ore Ducis plena dignitatis querela erat. Cæterùm occultâ arte perfecerat, vt Centuriones, & Signiferi ſanæ mentis, qui à ſocietate tumultuantium abſceſſerant, quaſi pœnitentiâ ducti eòdem regrederentur. Quod ſanè conſilium in bonum reipublicæ vertit. Siquidem authoritate, ſuaſuque meliorum temperata contumacia legionis intra modeſtiæ fines ita ſe tenuit, vt indigni viderentur, qui deſciuiſſent. Dum

Tres menſes contumaces Cortraci ſubſiſtunt.

Alexandri artes ad illos cōponendos.

Dum Hiſpanorum ſedandis commotionibus Farneſius intendit, nouum repentè malum hoſtili partim aſtu, partim domeſticâ negligentiâ ſubortum eſt. Odoardus Lanzauecchia Dux vetus, natione Italus, Bredam gubernabat; vnâque Sanctæ Gertrudis arcem, tribus inde leucis diſtantem, quam anno ſuperiore prodiderat Alexandro Dux Anglus, grandi auri pondere per ipſum Lanzauecchiam conciliatus. Arcium vicinitas, Odoardi perſpecta induſtria, cum recenti merito, ad hæc filius iuuenis, & ipſe Dux equitum, Parmenſem perpulere, vt occupatam nuperrimè arcem eius fidei committeret, cuius operâ venerat in poteſtatem. Gnara hæc Hollandorum Duci Mauritio Comiti, Orangij Principis filio; qui cladis fraude acceptæ reponendæ per fraudem auidus, Bredam intercipere belli furto conſtituit. Vt inde Lanzauecchiam ſeniorem expertum, & vigilantem ducem eliciat, ſanctam Gertrudem inuaſurum ſe ſimulat, coactis in proximo magnis peditum copijs, cum ſcalis, alijſque oppugnandarum arcium inſtrumentis. De his rebus admonitus Odoardus, relicto Bredæ adminiſtrationi filio, cum ſuorum lectiſſimis, ad Sanctam Gertrudem accurrit; & refectis munimentis, auctoque præſidio, defenſionem

Breda hoſtium fraude, atque ignauia cuſtodũ amittitur.

Mauritij Comitis dolus quo Odoardũ Lanzauecchiã Breda elicit.

ſionem comparat. Per idem tempus Bonfiliacius vetus Centurio, cui quinque peditum cohortes Bredæ præſidio impoſitæ parebant, rogatu Gubernatoris, & militum ad exigenda ſtipendia ſe Bruxellas contulerat. Vbi non modò difficultatibus exigendæ pecuniæ, ſed morbo quoque ſuperueniente, diutiùs moram trahere coactus eſt, quàm ſuo muneri, reique publicæ conduceret. Abſentibus in hunc modum alijs, alia de cauſa Ducum primoribus, vſus opportunitate Mauritius, huiuſmodi dolum adornauit. Bredam adire conſueuerant Hollandicæ naues onuſtæ cæſpitibus, quorum apud Belgas in nutriendis ignibus vſus eſt, turbam appellant. Per fluuium deferebantur nomine Mecchiam qui mediam vrbem interſecat, & caſtellum nobile domicilium quondam Principum Orangiorum. Ad hoc genus commercij cum Hoſte à Belgij moderatoribus interdictum, propter imminentia inde pericula, cuſtodes arcium, & gubernatores ingentia propter commoda conniuebant; exploratis tamen antequam admitterentur, diligenter nauigijs, ne quem dolum vnà ſecum inimicæ merces inueherent. Lanzauecchiam ſenem ab ætate, atque peritia artium bellicarum maximè attentum, & coram inquiſitioni na-

Bonfiliacius vetus Cēturio Bredani præſidij dux Bruxellā proficiſcitur ad exigenda militū ſtipendia.

Abſentię ducū occaſione vtitur Mauritius ad vrbem intercipiendam.

Naues Hollādicæ turba onuſtæ Bredam adire & in vrbem admitti ſolebant.

Conniuētibus præfectis vetito mercimonio propter vtilitatem.

Sed nauigijs prius exploratis diligenter.

Hoc præſtitū accurratè à Lanzauecchia ſeniore.

ni nauium adeſſe ſolitum, haud quaquam imitabatur filius iuuenis, & inexpertus; qui per abſentiam patris Bredæ præpoſitus, rem tanti momenti gregarijs militibus demandabat. Hi, recepto à nautis pretio, dum in eo toti erant, vt exactores portorij fallerent, parte mercium occultatâ, minimè cauebant, ne ipſi ab hoſtibus fallerentur. Inde fiducia maior Hollandis, & propemodum ſecuritas in facinore attentando. Nauis turbâ, & occultis turbatoribus grauis (bellatores delecti ſeptuaginta cum Arauguerio inſigni duce ſub tabulato ceſpitibus referto latitabant) aduecta Bredam in vrbem, & in caſtrum de more recipitur. Admonitus Progubernator arcis Paulus Lanzauecchia, binos ad inuiſendum nauigium milites mittit. Hi perfuncti munere ſummi momenti in ſpeciem tantùm, quo tempore hoſtilem exercitum in proximo ad Sanctam Gertrudem tribus inde leucis adeſſe conſtabat, haud perfunctoriè inuitationem accipiunt, vbi eos nauta doloſus, exprompto aureo nummo (tanti Bredanam vrbem, & arcem eſt licitatus) ad propinandum in tabernam prouocauit. Nequè ſuperuacua iſtæc ſedulitas fuit. Siquidem vnus ex Hollandis militibus abditis in carinæ fundo, ſiuè à loci graueolentia, ſiuè à frigore contracto

Sed omiſſam à filio iuuene.

Quare Hollādi onerariam immittūt turba refertam, in qua ſub tabulato latebant milites armati ſeptuaginta.

Harauguer.

Compeer.

Gertruydēberg

Inquiſitio habetur in ſpeciē tantum, & perfunctoriè haud perfunctoriè initur cōpotatio à preſidiarijs, quibus tuſſis vnius ex hoſtibus cum & ſocios prodidiſſet, ſi perquiſitioni inſtitiſſent.

ex aqua ſentinæ vſquè ad talos pertingente, tuſſi tam vehementi concuti cæpit, vt inquiſitoribus, ſi adeſſent, ſeque, & ſocios proditurus fuerit, de quo illud traditur ſilentio non inuoluendum: cùm tuſſis violentiam omni adhibito conatu ſedare non poſſet, commilitones hortatum: vt compreſſo ſibi gutture vitam eriperent, quàm ipſe vltro ſociorum incolumitati, & victoriæ deuouiſſet. Dignum profectò qui meliori pro cauſa ſtaret, & vinceretur. Interim nauta multam in noctem compotationem extraxit, donec oculis temeti, noctiſque caligo offunderentur. Mox raptim attollunt pontem arcis, & incluſá intus fatali peſte, ſopori ſe dedunt. Tum ſeptuaginta, quos dixi, milites è nauigij latebra, velut ex equo Troiano, ſilenti agmine egreſſi, ſtationem portæ ſemiſomnem inuadunt, ac vix arma, & prælium inferre auſam, obtruncant. Cum reliquis arcis præſidiarijs non tàm expedita res fuit. Nam exciti præliari tumultu, Paulus Antonius, promptiſſimique militum in Hollandos bis dato impetu, dubiam aliquantiſper certaminis aleam fecere. Cùm Italos ira, & deſperatio, ſpes, & victoria in manibus Hollandos incitaret. Verùm his armorum diſcrimen tandem palmam adiudicauit. Nàm Itali, vt in re ſubita, raptim gla-

Digna preconiò virtus Militis Bataui, qui cum tùſſim ſedare non poſſet hortatus eſt ſocios, vt ſe occiderent, atque vnius nece cunctos redimeret.

Sera iam nocte præſidiarij attollunt pontem & incluſo hoſtili nauigio ſomno temulenti ſe dedũt.

Poſt paulò 70. milites egreſſi tacitè de naui ſtationem portæ ſemiſomnẽ inuadunt, & obtruncant.

Experrecti præſidiarij armis in aggreſſores impetum faciunt dubio aliquantiſper certamine.

gladijs, haſtiſque correptis, exermia capita, & pectora detulerant ad certamen contrà hoſtes, armis à capite ad pedes obtectos. Quare cùm loricas, & galeas Batauorum per ictus irritos, inani ſonitu percuterent, ipſi ex aduerſo pilarum grandine eminus, cominus mucronibus tranſfixi viribus, & animis imminuebantur. Ad turrim itaque in caſtro editam paulatim ſe recipiunt cum Paulo Antonio tribus vulneribus affecto, tamquam anguſtijs irrumpentem hoſtem propulſaturi. Nequaquam Batauis curæ fuit premere recedentes, aut expugnare ſua iam ſponte concluſos, captiuoſque. Nam rebantur facilem prædam fore, vbi cætera potirentur. Ad portam igitur ſubſidij accurrunt; cuius clauſtra ferrea dolabris, & ſecuribus in id comportatis cùm refregiſſent, intromittunt ſocia agmina, bina peditum millia cum Comite Holachio, quæ negotio facili arcem vniuerſam redigunt in poteſtatem; Paulo Antonio cum ſuis turris deditionem facientibus. Inter hæc abſumptâ nocte, non minor belli ſupererat moles, oppugnatio videlicet vrbis Hiſpano Regi fidæ, quinque Italorum cohortibus defenſæ; non tenebris, & aſtu, ſed luce palàm, & aperto marte tentanda. Quod ſi lentior aggreſſio procederet, vicinarum arcium

Sed præualent Batau i vt armati contra inermes.

Qui ad turrim caſtri ſe recipiunt Batauis haud quaquã perſequẽtibus quos facilem prædam putabãt futuros.

Sed portam ſubſidij refringũt ſecuribus, & intromiſſis duobus millibus militum cum Comite Hollachio arcem totam in poteſtatem redigunt.

præſidia cum ſtrenuis ducibus accurſura timebantur, quæ victoriam Hollandis in cladem verterent. Et ſanè primus Italicorum militum conatus eam ſollicitudinem adauxit. Inſtigatione quippe ciuium metuentium, ne per occaſionem vrbs diriperetur, Itali ſub auroram acie inſtructâ, pontem, qui arcem vrbi iungebat, adoriuntur, iniectiſque repentè ignibus incendunt, audaciâ, & celeritate tantâ, vt ſpatium hoſtibus, & fiduciam ad prohibendum præripuerint. Exinde, quaſi hoc in facto omnem fortitudinem conſumpſiſſent, transfuſus à maiorum triumphis in poſteros bellicoſæ nationis vigor elanguit. Eoque deſcenſum flagitij, vt non à progenitoribus modò ſuis, ſed à ſemetipſis, & à reliquis anteactæ laudabiliter vitæ facinoribus degenerauerint. Certatum ignauiâ, & dedecore inter milites, Duceſque; his detrectantibus regimen copiarum, cùm alteri ab altero deferretur, illis fugam, ſi quando pugna iuberetur, apertè minitantibus. Cùm ex aduerſo ciues interriti negarent, erepto Batauis ponte cauſas tanti timoris veras apparere. Quod ſi aggerem ſubitarium, collaturis ipſis operam, contra arcem excitarent, ab aggreſſione vrbis hoſtes facilè arceri poſſe. Sin tantum animi robur non conciperent pro tuenda vr-

Sed Italicæ cohortes vrbis defenſionem ſuſcipere abnuunt.

Ciuibus incaſſum nitẽtibus animos addere.

be tota, quin ſuſciperent pro parte ſaltem defenſanda? Ad propugnaculum portæ, quæ Antuerpiam aſpicit, receptum habituros tutum; vbi ſi octo, vel decem horas ſuſtentarent, ſubſidia de finitimis locis adceleratura. Et ſanè intra breue ſpatium milites quadringentos Roſentaliæ Gubernator, ducentos, & quinquaginta Odoardus Lanzauecchia, ex Sancta Gertrude, trecentos Hiſpanos pedites, cum binis equitum alis, ex Antuerpia Mondragonius, ſubmittebant. Cum his, Iacobus Bonfiliacius recuperatâ iam valetudine Bruxellis redux, & cum viginti lancearijs equitibus impetratis à Marchione Malaſpina properabat; quem ſi anteuertere pauculis horis contigiſſet, à Bredana vrbe vis Batauica procul dubio propulſata eſſet. Hocſtratam venerat, cum de fœda Italicarum cohortium fuga, ſub aduentum inita Comitis Mauritij, deque facta Bredæ à ciuibus deditione cognoſcit. Comploratâ itaque gerendæ rei ſpe, ſubſidiariæ cohortes ad ſuas arces ſingulæ ſe recipiunt.

Ex Antuerpia videlicet S. Gertrude Roſentalis.

Roſendal.

Bonfiliacius dux Bredani præſidij, Bruxellis redux in itinere Bredam deditam accipit.

Hocſtrat.

Bredæ iactura eo grauiori mæſtitiâ Farneſij animum perfudit, quò minus excuſationis, aut ſolatij habere infortunium videbatur. Grande flagitium à ſuis Ducibus, militibuſque admiſſum; cuius licèt extra culpam Itali cæteri eſſent, extra

Amiſſio Bredæ Alexandrũ vehementer angit.

Propter culpã Italorum.

pœ-

pœnam tamen, ſenſumque doloris non erant, naturali lege ſocietatis humanæ; quemadmodum ab vnius membri ęgritudine, in vniuerſi corporis partes dolor redundat. Ad augendum Parmenſis mœrorem illud acceſſit, quod Lanzauechiæ inuidiá ſe onerari ſentiebat, ſuam in eo beneuolentiam, ſuam ex grato animo liberalitatem culpari, & euentus infelicitatem haberi pro crimine. Geminas magni momenti arces vni ſeni concreditas, qui aliàs dux impiger (neque enim prioribus benefactis poſtremi errores officiunt) duo manifeſtè peccauerat; primum, cùm à Breda ſe elici, circumagique paſſus eſt aſtu Mauritij, proximam arcem inuaſurum ſimulantis; alterum, quod vicarium ad Bredam cuſtodiendam filium adoleſcentem octodecim annorum ſubſtituerit, qua tempeſtate finitimam regionem hoſtiles acies percurſabant. Nequè deerant, qui Ducis Octauij patris prudentiam in filio requirerent. Ille etenim, quoad vixit, author perpetuò Parmenſi fuerat, vt Italicos milites procul à ſuis ſignis haberet, veritus videlicet, ne propter charitatem in populares, odia conciliaret exterorum, & inuidiam præcipuè dominatricis Hiſpanorum nationis. Equidem, vti prolixam Parmenſis in Lanzauechiam indulgentiam, quam

Et Lanzauechiæ inuidiam in ſe redundãtem.

Obtrectationes inuidorum in Alex. patrẽ laudantium in contumeliam filij.

fortu-

fortuna damnauit, defendere minimè auſim, ità non dubitauerim, paternis Octauij conſilijs longè præponere bellicam filij ſolertiam, cui Duces pares tam noſtra, quam ſuperior ætas per paucos tulerit. Hanc prudentiæ laudem cum ſingulari iuſtitia, munificentiaque coniungens Farneſius cuiuslibet gentis milites modò fideles, ac fortes, nullo diſcrimine Itali externique charos æqualiter ſub ſignis habuit; ſicut ille omni militari nationi ex æquo acceptiſſimus fuit. Pro vt verò fortiſſimus quiſque à grege bellatorum ſuâ ſe virtute ſecreuerat, hos donis, & laudibus imperatorijs ornatos iuniorum obſequijs, & imitationi celebrandos dabat. Neque ſecus exempla interdum auſteritatis edebat, quoties diſciplinæ militaris intererat, vindicari delicta belli eò ſeueriùs, quò rariùs peccabatur in caſtris Farneſianis. Cùm itaque Bredanos cuſtodes Italos Duces, non amor, non verecundia Italici Imperatoris cohibuiſſet, quò minùs creditam fidei ſuæ Bredam fugâ hoſtibus proderent, reos conſtitui iuſſit, cognitâque de more cauſâ, legibus in ſontes animaduerti; ſimul ad conſeruandas proximas arces adijcit ſtudium, atque ad ipſam Bredam, ſi quam vírtus viam panderet, retentandam. Supplemento militum, & pecuniâ, quam

Quæ reijciuntur Hiſtoricorum narrationibus, ex quibusliquet, cuiuſuis gentis milites Alex. charos ex æquo fuiſſe, ſicut ipſe omni militari nationi charus æqualiter fuit.

Quippe qui bellatorũ virtutes laudibus & præmijs ornaret, flagitia (quæ tamen rara in eius exercitu) grauiter puniret, ſicut puniuit fugam Bredanorum cuſtodum, quos citari iuſſit ad dicendam cauſam.

Simul animũ adiecit ad ſeruandas alias arces, & ad Bredam recuperandam.

oppi-

oppignerato argenteo inſtrumento ab Antuerpienſibus acceperat, Herentaliam, S. Gertrudem, Hocſtratam firmandas curat, mox Carolo Manſfeldio imperat, vt propugnaculum ad Merchij fluminis oſtia poſitum expugnet, quo capto ſubſidia belli, & annonæ Bredam commeare prohibebantur. Chariorem habebat Mauritius Bredam, vbi ſplendidæ Naſſauiorum ædes, & antiquiſſima monumenta viſuntur, quàm vt ſemel captam elabi tam citò pateretur è manibus. Eò igitur cum exercitu protinus aduolat, commiſſiſque leuibus certaminibus, ab expugnando Merchij propugnaculo abducere Mansfeldium nititur. Verùm accidit, vt cùm pedeſtres vtrinque copiæ velitari pugnâ congrederentur, certamen eò vſque pertraherent Regij, quoad ſuperueniens Belgicus equitatus Hollandis peditibus circumfunderetur, promptiſſimiſque cæſis ad trecentos, reliquos in fugam conijceret. Perculſus eâ clade Mauritius, vt hoſtium audaciam auſu grauiore conterreat, Nouiomagum copias adducit ad vrbem Bredâ maiorem, in qua ciues nonnullos opinionibus nouis adſperſos, in ſuas partes inclinare compererat. Statim obſidionem circumdat, oppugnationem inſtruit. Pertractus eò confeſtim Mansfeldius, ne, dum ſpem Bre-

Pet de Caſt. Herental.

Merck.

Obſiſtit Comes Mauritius.

Nõ ſine damno, trecentis militibus amiſſis.

Vt Carolum Breda auertat, Neomago obſidionẽ circumdat.

Nimmeghẽ.

Bredæ dubiam ſequitur, certam Nouiomagi iacturam faciat. Cùmque vrbem periculo, ſe metu per immiſſum Hiſpanorum ſubſidium liberauiſſet, quo minùs in oppoſita fluminis ripa propugnaculum erigeretur ab Hollandis Nouiomago perincommodum, prohibere non potuit. Quippe ad id euincendum, opus erat ſummæ rei adire diſcrimen; quod ab Alexandro diſertè vetitum, robur Belgicarum virium expeditioni Gallicæ reſeruante, quam vt ſuſciperet quamprimùm Philippus Rex recentibus litteris imperauerat. Dum hunc modum inimici exercitus ad inuicem ſe variâ bellandi arte ludificabantur in campis, Bruxellis tribunalia otioſa non erant. Ad quæſtionem illic poſtulati ſunt Italici præſidij Duces, quorum culpâ Breda hoſtibus ceſſerat. A Iudice primùm legionis, deinde à Generali militarium cauſarum Quæſitore, ſententiâ mortis damnati, ſuper ferale pegma pullâ veſte conſtratum, ante oculos ciuium militumque ſecuri capita ſubiecerunt, gaudentibus Italis, tamquam tetro noxiorum ſanguine macula inuſta gentis gloriæ deleretur; Hiſpanis verò, cum nationibus cœteris ingemiſcentibus imbecillitatem humani ingenij, viceſque fortunæ. Quoniam in multis aliàs opportunitatibus,

Quam vt diſſoluat Carolus Mansf. Bredâ omittit.

Supplicium ſumptum de Bredæ deſertoribus.

Cum gaudio Italorum, miſeratione verò aliarũ gẽtium.

operam bello egregiam eos ipſos poſuiſſe conſtabat, qui ad vltimum facinore vnico relatas antea palmas, cum vita perdidiſſent, præreptâ in perpetuum facultate (quod morte triſtius viris generoſis) abolendi dedecus per virtutem. Vniuerſos autem milites peruaſit terror, altiùſque infixum eſt animis, quantò ſatiùs pugnando ſtrenuè pericula ſubire cum gloria, quàm ignauiter ceſſando perire cum probro.

Ac terrore vniuerſorum militum.

Poſtremum Regis imperium, quo Lutetiæ Pariſiorum laboranti ſuppetias ferre, nullâ interpoſitâ morâ, Parmenſis iubebatur; Eliſabethæ Anglorum Reginæ ſuboluerat. Præmonendum cenſuit Nauarræ Regem, vt maturaret obſeſſam vrbem vi, aut conditionibus ingredi, priuſquàm accurrens (vt aiebat) Belgicus Leo, ſemeſam prædam è faucibus abriperet. Crederet Britannorum Reginæ non imperitæ Hiſpani in Belgio belli ſub Alexandro. Vbi primùm in Gallijs Farneſiana ſigna conſpecta fuerint, anteactam Henrico viginti annorum militiam, bellum vmbratile viſum iri, & meditamentum veræ pugnæ. Parta retro decora, Cortracenſem, Iurienſem laureas aſpernaturum, nunc arma de integro, nunc ſeriò cœpturum bella. Neque enim cum Ioyeuſa, aut Maineo, fortibus quidem, ſed

Angliæ Regina impendẽtis è Belgio belli admonet Nauarræ Regem.

inexper-

inexperti, vel temerarij militis ducibus,ſed cum experientiſſimo exercitu ſub inuictoImperatore, rem fore. Qui non audaciá modò, & impetu, quo Galli potiſſimum valent, ſed ipſá cunctatione, & morá Hoſtem frangeret, inque ſubſidium armatæ dexteræ, rerum naturam aduocaret, terram aggeribus, cuniculis ignem, ſcrobibus aquam, foſſiſque, vt ingenio multiplicante vires, commilitonibus elementis ad victoriam nitatur. His artibus Traiectum cum ſuo Moſa, cumScaldi Antuerpiam,Eſcluſam cum toto mari obſiſtere nequiuiſſe; frementibus incaſſum Britannis ſub Lainceſtrio, ſub Alençonio Gallis, Germanis ſub Caſimiro. Tantum momenti, tum in vnius hominis virtute, tum in inſtitutione bellica eſſe; per quam milites in Duces migrent, Duces in Alexandros. Huic armorum moli contra ſe aduentanti fluctuaturum Regem animi anxium, quantas ne opponere copias paret, an quales belli artes, & diſciplinam? Illud vtique pro comperto: Britanniæ Reginam ſocietatis memorem, in tali rerum cardine non ceſſaturam. Quin vltro,confirmatis recenti ſubſidio Batauis, acres moloſſos in immanem feram concitauiſſe, ne impunè, aut ſine Belgij ſui clade aliena irrumpat. Ad Franciæ Regem ſpectare,

re, feſtinatâ expugnatione Lutetiæ, tam opportuno receptaculo belluam excludere: ne parem ei, quam in Belgio dedit, nouæ Religioni vaſtitatem in Gallia faciat.

Qui tamen nihil metuens è Belgio breui Lutetiam caſuram ſperat.

His Anglæ monitis, plus ineſſe ſollicitudinis ex amore, quàm veritatis ex recta rerum æſtimatione, Henrico viſum. Quippe qui à Pariſienſibus amicis moneretur, Lutetiam vltra menſis dimidium durare non poſſe. Quin fore, vt vt maturiùs caderet, ſi, quæ intùs politici moliebantur, turbamenta procederent. De Belgio autem ex litteris Mauritij cognorat, neque vires in pręſentia validas, ad aggrediendam Galliam, neque voluntatem adeſſe Parmenſi, iacturâ Bredæ, atque Hiſpanarum legionum ſeceſſione confuſo. Quantâcumque verò diligentiâ colligere properaret copias, has in tempore Lutetiæ neceſſitatibus non adfuturas. Reginæ itaque Eliſabethæ reuerenter reſpondit, pro egregia in ſe voluntate, ac benefactis ingentibus, animum gratum teſtatus, & memorem. Quod ad terrorem Belgici Leonis attineret, contemptim, & magnificè diſſeruit, vt ſecurus. Longè alium Farneſio habitum Galliæ, quàm Belgij, viſum iri, aliam militum, Ducumque indolem, & bellandi mores. Neque enim mœnibus, aut aggeribus

ribus tectos, inſtar pauentium, occurſaturos nobiles Gallos; verùm apertis in campis inſtando, laceſſendo, fatigando, dies, noctesque neque victo, neque victori reſpirandi ſpatium daturos.

Mayneus pariter, comperto, bellum Gallicum ab Rege mandari Alexandro, miſſo priùs Ioanne Moreo, poſt paulo & ipſe in Picardiam cum trecentis equitibus accurrit, inſidijs declinatis, quas Nauarræ Rex per tria peditum millia, & quingentos equites in itinere tetenderat.

Laon. Cùm Laudunum veniſſet, Portij Dominum ad Farneſium deſtinat, oratum ſubſidia militum, & copiam colloquendi. Alexander Portium, & Moreum ad Mainei Ducem redire iubet cum mandatis, vt ingreſſuris multifariam Picardiæ fines Belgicis copijs commeatus cum amicarum cohortium præſidio præſto ſint. Se propediem cum reliqua exercitus mole ſubſecuturum: colloquio ſedem, Condæum ad Meldas deſignaſſe. Opperiebatur reditum Aſculani Principis, quem Cortracum ad contumaces Hiſpanos allegauerat, hortaturum, vt in magnis difficultatibus ærarij Regij, parte ſtipendiorum contenti, Gallicam expeditionem cum ſuo Imperatore ſuſciperent. Verùm illi, quò liberaliùs pro Rege, ac pro Duce ſe periculis deuouebant,

Alexander legionem tumultuantē ad munia militiæ reuocare conſtituit ſtipendijs perſolutis.

uebant, eò tenaciores mercedis, pernegarunt, ſe priùs ad conſueta militiæ munia redituros, quàm ſtipendia ad vnum omnia ſoluerentur, pretium videlicet effuſi ſanguinis, fundendique. Durum id, maliquemoris exemplum in militia videbatur Alexandro, qui ſuperiore anno Leuianorum ſeditionem, ipſius legionis extinctione puniuerat. Sed multò durius, bellum grauiſsimum capeſſere, ſine robore, ac neruis Hiſpanarum legionum, quarum præcipua fortitudine Manriquiana ferebatur. Quanto ſapientius facturum, ſi ſe in Belgio vinci ſineret à militibus ſuis, vt ipſorum ope Hugonotos Religionis, & Regis hoſtes in Gallia vinceret? Prudentes igitur nautas imitatus, qui pro Cœli habitu, ac pelagi, velificationem mutare non dubitant, temporibus aptare conſilia ſtatuit, quibuſque delictis olim, cùm ſolutiſſima ſibi omnia eſſent, ſeueritatem impertiuerat, iiſdem rurſus, aliud aliàs neceſſitate ſuadente, clementiam commodare.

Propter neceſſitatẽ Gallici belli.

Antonium Carnerum cum Quæſtoribus regiis Cortracum mittit, qui aureorum ducenta millia ſtipendii nomine Hiſpanis erogent. Inter ſoluendum nodus incidit non diſſoluendus niſi à Deo, haud fabuloſè per machinam, ſed verè verâ præſentiâ inducto.

Inexactione ſtipendii diſſencio orta inter legionarios.

Cùm

Cùm enim dimidia pars legionis ſtipendium exigeret in pecunia quæſtuoſiore, quam regalem vocant, pars altera priuatum lucellum poſt grande Regalis ærarij ponebat commodum, quod decies centena millia in communi erogatione confecturum Quæſtores affirmabant. Diuiſis itaque in binas factiones legionarijs, controuerſia inter armatos, ab altercatione ad certamen ſpectabat, cùm Petrus Almeriquez Hiſpanus S. Andreæ Abbas, animaduerſo periculo, ad proximum templum accurrit. Inde auguſtiſſimum Chriſti corpus in argentea pixide efferens, cum facibus, & miniſtris linteatus in forum venit; vbi iam geminæ acies inſtructæ prælium incæptabant, per fortuitam tubi diſploſionem vno militum exanimato. Tunc Abbas ordinibus intermedium ſe inferens, nunc hos, nunc illos cum lacrimis obſecrare: abſtinerent à nefario certamine cognatas manus, prò eius reuerentia, Numinis, cuius Hiſpani fidem ante omnes gentes altiſſimè cordibus impreſſam gererent, promulgarent voce, ſanguine propugnarent. His viſis, auditiſque, excidére militum pectoribus iræ; ſclopi haſtæque de manibus deiectæ ſunt ſuperbos bellatores inermis maieſtas corporatæ Diuinitatis exarmauit. Ex turbidis in tranquillos, in ſup-

Ad certamen tractura geminas factiones, niſi S. Andreæ Abbas intercederet.

Qui cum auguſtiſſima Euchariſtia ſe pugnam inchoantibus interpoſuit, exitu ſanè felici.

Quippe armis abiectis milites in genua prouoluti iuramēto ſe obſtringunt ad obſequium Numinis & Regis.

ſupplices è minabundis immutatos pœnitentia ſubijt, & dolor: cùm ſe mortalium deterrimos incuſarent, ad quos compacandos ipſum Cœli, terræque Regem interuenire opus fuerit. Mox in genua prouoluti, iure iurando ſe obſtringunt, in quo Regi collibuerit monetæ genere, ſtipendium accepturos. Exindè Deum, & pacificatorem ſuum in mediam legionem receptum, cum feſto ſcloporum, tubarum, ac timpanorum ſonitu, triumphantis in morem ad ſacram ædem reuexerunt.

Primū agmen exercitus in Galliam præmittitur.

Pet. de Caſtro in comēt. an. 1590.

Poſtrema hæc pietatis ergà Diuinam & Regiam maieſtatem ab Hiſpanis edita documenta Farneſium æquiorem legionis poſtulatis fecerunt. Præter condonationem præteritorum vt legionarij ad quæ quiſque vellet ſigna ſe aggregarent, indulſit; quo milites Ducibus fidi, & Duces chari militibus forent in bello, quod amborum ſtrenuam operam exigebat. Exinde Galliam versùs proficiſci Manriquianos iubet, ſub Tribuno Antonio Zuniga Hiſpano Sancti Iacobi equite, vnàque legionem Italicam, quæ ſub Camillo Capiſucchio Romano, cum aliquot equitum alis, in finibus Belgij ſubſtiterat. Eòdem diuerſos adire Blaſium Capiſucchium, cum tribus equitum turmis, quarum vnam Blaſius ipſe,

alte-

alteram Petrus Franciſcus Nicellus, tertiam Caluanus Anguiſciola ducebant, & Petrum Caietanum Sermonetæ Ducis filium, Tribunum Neapolitanorum peditum,qui ad Nouiomagum ſedebat Comitis Mauritij tentamentis imminens; vt latiùs verò tenderent vniuerſis præcepit, quò annonæ laxitati conſulerent, ſimulque vt exercitus Catholici fama in maius acciperetur. Comitis quoque Octauij Mansfeldij, & Balanzonij legiones moueri iuſſæ, tum Appius de Comitibus, Rugerius Caietanus, Nicolaus Cæſius, Hippolitus Bentiuolus, alijque ductores equitum nobiles cum ſuis ingredi turmis, ab omni Belgij parte Hiſpana arma Galliæ oſtentantes, quò Catholicis vbique fiducia, terror Hæreticis creſceret. Poſtquam verò Laudunum inter, & Fanum Sancti Quintini (*S.Quētin.*) ſeptemdecim equitum alas conueniſſe nunciatum, eò Marchionem Ranthiacum Præfectum omnibus deſtinat; dum interim ipſe peditatum, equitem grauis armaturæ, & præſertim tormentorum apparatum inſtrui curat.

Pet. de Caſtro in com. a.1590

Nam ad cœteras difficultates Gallici belli, defectus acceſſit, nec opinatus rei tormentariæ. Huic maturiùs adornandæ Præfectum tormentorum Generalem Carolum Comitem Manſfel-

Hom. Turt.

ſfeldium ad Belgij fines multò ante præmiſerat. Qui, eâ curatione miniſterij ſui, ſocordiâne, an dolo? neglectâ, cùm iam tempus profectionis appeteret, Alexandrum Valentianæ in iter ſe accingentem, conuenit. Cauſatuſque diditum rumorem: pro Comite Erneſto patre, qui ab Rege in Alexandri locum ſuffectus manere iubebatur in Belgio, Valentinum Pardæum Mottæ Dominum, Caſtrorum Præfectum in Gallicum bellum deſtinari, vti pridem fuerat deſignatus pro exercitu in Angliam deportando, ne ſubeſſe æmulo cogeretur, Gallicam profectionem cum Præfecti tormentorum munere detrectauit. Negante verò factum Parmenſi, aſſeueranteque: Mottæum, vt alios pleroſque Duces, nullâ iniunctâ certâ prouinciâ, in Gallicum bellum adduci: Caſtrorum verò Præfecti munia per ſemetipſum obiturum, vt Mansfeldij Senis honori ſimul, & iuuenis æmulationi obſecundaret; cùm ad hæc nihil quod contra hiſceret, animus, aut ratio ſuggererent, ſilentio Carolus abſceſſit, ſpecie imperata facturi. Paulò poſt, miſſâ per certum hominem epiſtolâ, Præfecti tormentorum munus abdicauit.

Carolus Manſfeldius rei tormentariæ procuratione neglecta mox præfecturam vult abdicare.

Valentianæ: Valencenes.

Cauſas Alexãdro exponit.

Qui eas refutat.

Carolus tamen præfecturam abdicat per epiſtolam varia ſuper his iudicia militum.

Nonnulli benigniùs interpretati, excuſauere iuuenilem æmulationem, ægrè ferentis, in Præfectu-

ſectura caſtrorum, multos per annos à Patre laudabiliter exercità, ſucceſſorem alium, quàm filium aſpici. Quin & pium æquumque ducebant, ſi ſubſiſteret; ſiue vt paterno honore frueretur: ſiue vt iuuentâ ſuâ emeritâ ſenis ætatem ingraueſcentem fulciret. Veniam quoque dabant, quod inter manendi conſilia, quæ ſuæ curationis fuerat, tormentariam ſupellectilem ſegniùs apparauiſſet. Humani quippe ingenij eſſe, incurioſiùs adminiſtrare tamquam non ſua, quæ breui alieni muneris futura crederet. Contra cœteri diſſerebant (vt erat Carolus Mansfeldius vulgo militum inuiſus, præſertim Hiſpanorum) ſub æmulationis, & pietatis obtentu ambitionem, & liuorem graſſari. Hebetem eſſe qui ſuſpicetur, hominem non hebetem, citra malitiam tam grauia, reique publicæ pernicioſa deliquiſſe. Quantò propius vero, callidâ hac negligentiâ priuatis familiæ commodis accuratiùs, quàm æquiùs à Mansfeldio conſultum? Quo videlicet paternæ gubernationi diuturnitas, & decus, ex Farneſij infortunio, ac probro accederet. Hinc illa excidiſſe dicta, quæ occulti cupidinem animi indicarent: Parmæ Ducem cum exercitu ad Pariſienſium ducendas ne, an ſociandas exequias tendere? magnificentiùs in Gallia, quàm

Alij laudant aut excuſant.

Alij vituperant aut calumniātur.

Ee 2 in

in Belgio ſepulchrum quærere. Quæ ſanè hoſtilia amico pluſquam prænuntiaſſe, prætermiſſus id temporis tam neceſſarius apparatus belli argueret. Aemulationem hanc, an inuidiam? pietatem in Patrem, an contumaciam in Imperatorem? Sed neque Comitem Erneſtum candidiſſimæ animæ virum, filij impiè pij vota comprobare, ſperata ex amici calamitate, rei, famæ compendia, vt detrimentum, & dedecus auerſantem.

Alex. beneuolentia in Manſfeldios conſtans.

His calumnijs potiùs quam querimonijs, inuidiam in Mansfeldium iuſto plus incendentibus æmulis, immotum ſe Alexander præbuit. Seu memor, quæ pro Rege pater ſemper, ſæpe filius benè meruerant: ſiue, quorum fidei Belgium concredere parabat, illorum voluntates abalienandas tali tempore non putauit. Pardęum tamen inſignem Ducem, vtrique Præfecturæ parem, parentis, ac filij ſpolijs ornare voluit, quò liuidi Mansfeldij oculi vrerentur: id citra diſſimulationem. An in eo quoque reipublicæ ratio conſtitit, vt in epiſtolis ad Regem affirmauit? Ne videlicet à bello fortium Ducum miniſterijs egente vel maximè, poſt alienatum Mansfeldium, Mottæus etiam auerteret animum, ſi fraudaretur honore, quem vltro illi præiudicia militum,

Mottæ Domino vtraque Præfectura caſtrorum, & tormentorum defertur ab Alex.

litum, atque ipſius æmuli detuliſſent.

Sed qualemcumque iuuenilem hanc noxiam, Comes Carolus Mansfeldius, magnis poſtea in ſuos Principes, & Chriſtianam Rempublicam meritis obliterauit. Cùm, è viuis erepto Alexandro; Dux in Gallijs arma Belgica Hugonotis fortiter oppoſuerit, & poſt coalitam inter Reges pacem, ſupremus in Pannonijs Cæſarei exercitus Imperator, exultantes audaciâ Turcas ingenti clade compreſſerit. Vbi maturo ſanè ſuæ gloriæ, ſed acerbo Germaniæ rebus exitu, in curſu victoriarum extinctus eſt, Imperatorum, qui ex Alexandri ſchola complures prodierunt, nulli ſecundus.

Caroli Mãsfeldij virtus & merita pro defẽſa Religione in Gallia contra Hereticos, in Pannonijs contra Turcas.

Vbi poſt victoriam moritur.

Dum hæc in Belgio feſtinantur, in Gallia Belgicæ copiæ, quinque circiter peditum millia, octingenti equites Guiſiæ conuenerant decimo quarto Kalendas Auguſti, ſub Tribunis Capiſucchio, & Zunica; ſed Capiſucchio cœteris imperante. Inde poſterâ luce digreſſis, vt Maineo Duci ſe coniungerent, reuerſi ſpeculatores hoſtem, ac prælium denuntiant. Bartholomæus Toralua legionis Hiſpanicæ inſtructor, præmiſſus ad laceſſendos aduerſarios, amicos comperit. Erant Fœderatæ Gallorum turmæ cum Duce Maineo in occurſum externorum adequitantes.

Legionibus Belgicis occurrunt turmæ equitum Fœderatorum.

tes. Eò igitur maiori ſignificatione amoris exceptæ, quò propiùs ad pugnam hoſtiles animos attulerant Hiſpani. Neque minori gaudio ſuſcepere Fœderati auxiliatores ſuos, vna ex parte de vniuerſo virium corpore coniectantes. Nam præter ſolida decora roboris, & diſciplinæ, dignitatem addebant peregrinis bellatoribus inania quoque, veſtium nitor, armorumque, quibus præcipuè legio Manriquiana fulgebat; in ornamenta corporum collato tot ſtipendiorum ære (vt eſt magnifica militum natio, præſertim Hiſpanorum) inauratis loricis, enſibus, torquibuſque gemmatis, baltheis, & criſtis non ſine tuentium voluptate terribilis; ita vt cultum Gallicæ circa Maineum nobilitatis adæquaret. Vnde ioco inditum illis adhæſit nomen, legio Dominorum. Quod ſanè nomen ſeriò magnificis facinoribus approbauit; cùm contractam ſeditione Cortracenſi maculam ſudore, ac ſanguine glorioſo diluerit, in ingreſſu Galliæ, ac periculorum prima, in digreſſu poſtrema. Conſociatis agminibus ad Condęum ſedem belli deſtinatam contendunt, vt Lutetiam Pariſiorum monſtrato comminus auxilio recreent.

Hiſpanę legionis ornatus ſumptuoſus.

Illic octo dierum ſpatio ſubſiſtentibus, Mainei Ducis aures per nuncios, litteraſque perpetuis

Pari-

Pariſienſium querelis, & obteſtationibus fatigabantur. Quibus cùm aduentum Parmenſium Ducis opperiendum ſubijceret: vt ſubſidia citrà periculum rerum ſummæ portarentur: quamuis vera rectè æſtimantibus diceret, fabula ſurdis canebatur, latratu vacui ventris obſtrepente. Nam, ſi opem non ferendam laborantibus cenſebat, num ad ſpectandum interitum veniſſe? Ecquod inſtare perniciofius malum, quàm moram, ciuitati fame extabeſcenti? An periclitari vlterius poſſe certò pereuntes? In horas enim, in momenta ſingula, de vita dimicari, neque minùs, quàm mille funeribus quotidie Solem comitatum occumbere. Si diutiùs cunctetur, incertum, vtrum laturus cibi ſubſidia ſit malè viuis, an extinctis ſolatia lachrymarum? At non perinde ceſſare cum ſuis Hugonotis Nauarræ Regem, terris vſquequaque, ac fluminibus interclusis. Dum abdicato gentis ingenio, tardigradus Gallus, cum Italo cunctatore, ad ſeruanda tecta vrbis inanima, tam operoſum exercitum commouent. Sed hunc, vt cœtera, fruſtra fore. Nudata quippe omnia defenſoribus, aut peremptis inediâ, aut debilitatis, propediem hoſti ceſſura. Quàre, ſi fortibus viris, ſi Catholicis, & amiciſſimis ſibi ſubuentum viuentibus vellet,

Pariſienſes obſeſſi inſtant, vt ſuppetiæ non differantur.

Ciuium querelæ.

vellet, in irruptionem ſe accingeret. Neque ſineret, velociorem eſſe perfidiam Hæreticorum, & rabiem in opprimenda Lutetia, quàm Mainei fidem, & miſericordiam in liberanda.

Nullo interim fructu.

Tam flebilibus literis nihil habebat ille, quod reſponſi referret, præter lachrymas, recenti malo ſuo, & publico doctus, ad rumores in bello non circumagi. Certaminis tamen ſtudium præſeferebat, vt charitatem retineret tam ciuium miſerabilium in vrbe, quàm miſerantium in caſtris. Quorum pars magna, ſpe propinquæ pugnæ pro liberanda Lutetia exciti (læta certaminibus gens, charitate inſuper neceſſitudinum, ac Religione ſtimulabatur) tamquam ad nuptias prouolauerant. Neque Duces externorum, intellectâ Mainei arte, detrectati certaminis inuidiam in ſe reſidere paſſi ſunt. In Farneſium abſentem referebant.

Capiſucchius & Zun. rogati à Maineo vt irruptionem tentent, recuſant & cauſam afferunt.

Rogati quippe à Maineo, vt bis mille equitibus Gallis, promptiſſimum quemque ex Hiſpanis, Italiſque peditibus adiungerent in equis, qui onuſti ſacculo farinæ ſinguli nocturnam irruptionem tentarent: negauerunt licere ſibi, per Alexandrum, alieno magis arbitratu, quàm iudicio ſuo, in diſcrimen offerre commiſſas legiones. Neque ſuadere id temporis rationes belli.

Vt vt

Vt vt enim non difficilis in vrbem aditus per medias hoſtium ſtationes futurus eſſet, laborioſum certè reditum, aut veriùs nullum fore. Accurſuro ad famam ingreſſi ſubſidij cum tota virium mole Nauarræ Rege, murumque armorum ferreum redeuntibus oppoſituro. Ecquod igitur dignum ob pretium, multum egregij ſanguinis prodigi, nimio plus famæ? cuius, initijs bellorum, iactura quæuis modica, pro immodicâ ſit. Neque eſſe tanti, annonæ ſubſidium per tenue obſeſſæ vrbi inferendum ne, an oſtendendum? quod ſanè cumulatiſſimum intra paucos dies aucti copijs, animiſque de Belgio, citra periculum laturi ſint?

Hæc differentibus inter ſe Ducibus, Condæi ſedebat Fœderatorum exercitus Lutetiæ calamitatum ſpectator veriùs, quàm propulſator. Interim in vrbe concluſi ciues, externique famis horrendæ malis conflictabantur. Iam frumenta primùm defecerant, cœteraque frugum meliorum pabula, deinde auena quoque tenuis tenuiorum cibus; cuius modios mille quingentos ad vltimæ neceſſitatis vſum ſepoſuerant. Hæc partim in panem atrum improbi alimenti coagmentata, partim in ollis ingentibus pulticulæ ad modum decocta; cum inopem plebem infelici

Lutetia difficultate annonę ſumma laborat, cõſumptis varij generis frugibus, a plebe vrbana & a triginta millibus ruſticorũ quos vrbe expellere ad certam mortem religio fuerat.

victu diù ſuſtentaſſet, exhauſta ad vltimum erat. Nam, præter vrbanam egentium multitudinem, triginta millia ruſticorum à Nauarræis in vrbem vi compulſa de publico alere oportuit; quoniam illos foras extrudere ad certam necem pijs ciuibus piaculum videbatur. Coria iumentorum, & pelles feruidâ maceratas aquâ mandere aggreſſi, non ſolum tenerrima frondium vrbanis in hortis, verùm etiam herbarum, radicumque germina ſaxis vrbis, & aggeribus internata conſumpſerant. Quoniam iumenta grandiora, equi, mulique ad victum familiarum principum carò veníbant, pauperiores feles, mures, putria id genus animalia, pro delicatis epulis conſectabantur. Quæ tamen aſſiduus venatus, atque ipſa penuria cibi tandem extinxerat: viua famis remedia fame perimente. Qui equo merebant milites, ad pedes venerant, aut mactatis in alimoniam equis, aut macie adeò ſtrigoſis, & emunctis, vt neque viuentes ad vſum, neque mortui ad eſum ſufficerent. Vt annonæ de publico ſatis frugaliter appendi ſolitæ obſonium adderent, cuſtodes domorum canes blanditijs eliciebant, & iniectis in ceruices repente collaribus, ſtrangulabant. Sed contigit aliquandò, vt miles necdum à morbo ſatis validus, cum valentiore cane congreſſus, ab eo

ab eo rabioſè inſiliente reſupinaretur, iam iam morſu auido depaſcendus, niſi contubernalis intercurrens à belluæ faucibus hominem ſemeſum abſtraxiſſet.

Quin eò ſæuitiæ veniſſe proditum, vt ſemiuiuos præ inedia puellos, quos inopia cibi domibus expulerat, furtim arreptos, iugulatoſque, in alimentum verterent fame crudelius. A fœminis etiam eodem furore percitis, infantes in materna regeſti viſcera, tragœdiæ Hieroſolymitanæ imitamento feruntur. Tamque immanium parricidiorum numerum vltra viginti nonnulli ſcriptores extendunt. Vtcumque id habuerit, (nam alij ex aduerſo inficias eunt) illud certis authoribus liquet, multò plures ex matribus eò ſobolis charitate progreſſas, vt areſcentibus propter inopiam cibi lactis fontibus in mamillis, noua ferro vbera in venis aperuerint, perque ea labris eſurientium admota, natorum vitam, materno ſanguine, ac cæde protulerint. Quæ horrenda ſimul, & miſeranda ne in vulgus emanarent, labefactarentque conſtantiam populi, Præſides Vrbis, imperio famam ſupprimentes, augebant. Dum enim conſcius quiſque, ex innata cupidine vetita proloquendi, arcanum vnius familiariſſimi auribus inſuſurrat, paulatim, quod erat

Extrema famis remedia tentata.

Miſeranda & horrenda.

Petrus Corneus de obſid. Pariſ. Georgius Critonius et à Philippo Pigafetta de obſid. Pariſ.

Generoſa matrum charitas in filios.

Farina confecta ex oſſibus mortuorum paſcuntur.

paucorum ſecretum, euaſit rumor populi. Ad vltimum, audito edulij genere, quo Turcæ à Perſis obſeſſi tolerauerant, e contuſis exhumatorum cadauerum oſſibus, fariná confectá: tam horridi, & fœdi victus exempla renouare, mortis horror, & fœditas maior compulit. Ad tumulos igitur, & ſepulchreta, tamquam ad horrea ventitantes, inde prodibant cadaueribus paſtis concolores, graueſque mortibus alienis, & ſuis. Miſerabile ſpectaculum, quocumque ſe verterent! niſi à magnitudine propriæ miſeriæ occaluiſſent ad alienæ commiſerationem animi. Solitudo alibi triſtis, & ſilentium, in inſepultorum cadauerum frequentiá. Alibi murmur, & gemitus omni ſolitudine triſtior; partim eorum, quos malignè paſtos ventris inanitas malè habebat, partim, quos peiùs impletos diſtenta noxio victu viſcera cruciabant. Neque tamen illuuies tot malorum ſuadere poterat Lutetiæ ciuibus, vt de aperiendis Hæretico Regi portis cogitarent. quin omnem eius rei mentionem in tantum auerſabantur, vt authores non in carcerem ad dicendam cauſam, ſed in Sequanam ad luendam pœnam ſtatim abriperent. Adeò (quod rarum totâ antiquitate legitur) in vrbe illa vrbibus populiſque referta, pars maior eadem, & melior fuit.

Solitudo vaſta & ſilentium in populoſa ciuitate præ multitudine mortuorum.

Murmur incertum & gemitus, tam eorum qui malignè paſti, quam aliorum, qui peius impleti fuerant.

Pariſienſium conſtantia mirabilis in ferenda obſidione tam ſæua.

Nec

Nec id temere factum, caſuque (neque enim virtus fortunâ gignitur) ſed multarum, magnarumque conſpiratione cauſarum. Quemadmodum naturæ partus eximios, non terræ tantum, ſed & Cœlo, cæteriſque propitijs elementis debemus. Et primò quidem Pariſienſium animi tum inſtitutione domeſticâ, tum recordatione veteris gloriæ perquàm tenaces Catholicæ Religionis erant. Iam inde ab Apoſtolorum ætate per Areopagitam Dioniſium inuectam, ad ſua vſque tempora ſeruaſſe inuiolatam gloriabantur. Quodque eius gratiâ gratiam Regum, ſuas fortunas, & ſanguinem poſthabuiſſent non ſemel, impendio chariorem habebant. Hanc pietatis flammam in pectoribus immenſæ multitudinis conceptam igne cœleſti, cum ſacri Oratores vehementium concionum flabris ventilarent, ea ſuſcitabant incendia irarum, inuidiæ, odiorum in Hæreſim, & Hugonotos, in Catholicę Fidei propugnatores gratiæ, miſerationis, & amorum, vt horum ſtudio, contra illos audere quidlibet ac pati parati eſſent. Nam, æquitate cauſæ, quanta quanta erat, animis obuerſante, ſapere ſe rectè arbitrabantur, cùm in tuenda Religione acriter furerent. Itaque populus ille, pro vbertate patriæ glebæ, atque affluentia rerum, quæ inuehuntur,

Cauſæ eius cōſtantiæ

1. amor & ſtudium à maioribus inditum Catholicæ Religionis.

2. Concionatorum adhortationes.

in

in delicijs enutritus, obſidionis aſperrimæ mala, non modò fortiter, ſed & libenter, ſtudio Religionis, ferebat. Centuriatis quinquaginta hominum millibus, dies, noctesque in armis agere, adſilientes muris Nauarræos propellere, cædere, fugare peruicaciâ tantâ, vt hoſtes expugnationi diffiſi, ad lentioris victoriæ ſpem conuerterentur. Quod ſi prodeuntes in aciem ciues, eadem quæ patriæ mœnia protegentes, audacia comitaretur: profectò duodena peditum, terna equitum millia circumcludere refertam viris armatis vrbem auſa minimè forent. Sed meticuloſa etiam animalia ad obſiſtendum pro foueis, & cubilibus incitat paruorum pignorum charitas, atque ex inopiâ fugæ, deſperatio.

Imbecillæ quoque plebis animos ad omnem malorum tolerantiam animabant exempla ſexus imbecillioris, Principum matronarum. Quas indulgentiæ fortunæ principalis aſſuetas, non ſolùm parco, & illiberali victu tolerare mirabantur, ſed oblatas vltro à Nauarræ Rege lautiſſimas dapes faſtidiosè deſpicere. Cùm enim Rex Henricus, viduæ Ducis Monpenſerij ſorori, & Nemoroſij Guiſijque Ducum matribus quotidie fercula ſumptuoſa ſubmitteret: hæ donum propter donatorem auerſatæ, ſanctèque obte-

Exempla principum fœminarum, quę recuſabant veſci dapibus à Rege ſubmiſſis.

ſtan-

ſtantes, nullum admiſſum velle cum Hæretico Rege commercium, eſcariam ſupellectilem prorſus illibatam, ad publicum valetudinarium amandabant. Totoque obſidionis tempore, & Rex execrata fercula obtrudere, & matronæ inculcata abominari perſeuerarunt, conſtantiæ tenore pari, nec impari laude. Cùm neque iſtæ pium rigorem emolliri beneficio ſinerent, neque ille Regiæ liberalitatis fontem obſtrui contumeliâ. Quamquam Hugonoti amici Regis, matronarum pietatem cauillabantur, vt callidam; quæ munera Hæreticorum ſic abominaretur, vt acciperet. Catholici contra extollebant ad ſydera; quòd calamitoſis acciperent non ſibi, neque priùs, quàm execratione ſolemni, vt merces à peſtilentiæ ſuſpicione ritè purgarentur.

Subſidia Principum virorũ, Gubernatoris vrbis, Oratoris Hiſpani & Cardinalis Legati.

Nec exemplis modò, & hortatu, vt nobiles matronæ, ſed opibus, ſudore, ſanguine principes viri Lutetiam ſuſtentauere; Carolus præſertim à Sabaudia Nemoroſij Dux Lutetiæ Gubernator, & Bernardinus Mendozza Orator Regis Hiſpani, alijque. Sed eminuit Henrici Caietani Cardinalis, & Summi Pontificis à latere Legati dignitati par virtus, initio, proceſſu, exitu obſidionis, vno tenore mirabilis. Poſt Iurienſem victoriam, Nauarræ Rege propediem

Lute-

Lutetiam exercitum adducturo, cum domeſtici ſub honeſti ſpecie timorem velarent, monerentque vt: Subduceret manifeſto diſcrimini Sedis Apoſtolicæ Maieſtatem, in Pontificij adminiſtri capite periclitantem: Negauit ille ſuæ dignitatis eſſe, fugâ indecorâ hoſtibus prodere commiſſam fidei ſuæ Catholicam Galliam, cuius incolumitas eodem cardine, quo Lutetiæ ſalus verteretur. Proinde, ſi Lutetiæ ciues vnà ſecum ſalui eſſe, vnà perire non abnuerent, ecquando honeſtiores cauſas vitæ, mortiſque Pontificium legatum habiturum? Qua propoſitione animi tam excelſa, Romanoque Præſule, ac Principe dignâ Pariſienſibus nunciatâ, paremque ijs referentibus pietatis ardorem, gratiæ ſunt actæ inuicem, & receptæ. Tum comparatis per eos, quorum hæ partes erant, humanis vrbi ſubſidijs, annonæ, militum, & armorum, Caietanus dedit operam, vt intentiori cura cœleſtia implorarentur; quibus amotis, nulla præſidia ſatis, & firmamenta mortales tegunt.

Qui ſe vltra obtulit ad obſidionem ferẽdam cum ciuibus.

Mutuâ inde contractâ beneuolentiâ.

Veniâ criminum propoſitâ, ſupplicationes frequentes indictæ: e quibus duæ ſingularem ob nouitatem magna commotione animorum ſpectatæ ſunt. In altera puellorum, Virginumque millia aliquot, flores illibati innocentis ætatulæ, nec-

Caietanus implorat cælitum ſubſidia per indulgentiã criminum, & ſolemnes ſupplicationes; ex quibus duę notabiles.

Altera puellorũ, virginumque.

necdum ſextum annum egreſsi, nudis pedibus, paſsis comis, in ſaccis, & cilicijs crimina luentes quæ non admiſerant, ab Aede Diuorum Innocentium ad S. Genoueſæ templum continenti agmine iere. Vbi lachrymas inter, & ſingultus precatione peracta, ad extremum virgineis vocibus miſericordiam inclamantibus Cœlum expugnabatur. Alteram obibant religioſi ordines, & ſacerdotes vrbis, togato ſimul, ac militari ornatu, Lugdunenſi, & Syluanectenſi Epiſcopis præeuntibus, ac ſiniſtra manu Chriſti effigiem è Cruce pendentis, haſtas dextera piè, ferociterque geſtantibus. Eodem habitu, cultuque religioſa agmina ſequebantur Capucini, Foliaceni, Carmelitæ, Minorum, Minimorum, Prædicatorum familiæ, ſqualidas inter tunicas, & cucullos æreis galeis, loricisque fulgentibus: cum pro bellicis cantionibus pſalmos, hymnoſque modularentur, ad tibiarum ſonitum, ac timpanorum. Expreſſam in his Eccleſiæ militantis imaginem agnoſcentibus pleriſque, laudatos in canticis caſtrorum choros; precibus, votiſque in præſens; mox armis, & obiectu pectorum pro Catholica fide propugnaturos: Pietate mixtas, & ferocia ſupplicationes extrema bellicoſior, & ex toto martialis eſt

Altera antiſtitum & religioſorum ordinũ.

Tertia Ducum ac militum. conſecuta. Dux Nemoroſius Gubernator, eques Aumalius, cœterique Ductores, militeſque omnes armati, vrbe luſtrata, in templo Principe coniurauerunt; cum ſolio inſidens tapetibus magnificè inſtrato, ſub vmbella ex holoſerico purpureo, Pontificius legatus, adſidentibus Præſulibus, Magiſtratibus, & Senatu, militare Sacramentum exciperet. Summa eius erat: Hæ-

Qui iure iurādo ſe obſtringunt pro Catholica Religione propugnanda. reticum Principem in Regno Chriſtianiſsimo regnare non paſſuros, quoad vita, vireſque ſuppeterent; eniſuroſque, vt idem Lutetiæ, ac Religioni Catholicæ dies extremus in Gallijs eſſet. Deinde ineuntibus de pace conſilia, non modò ſuam interponere auctoritatem renuit Cardinalis legatus, ſed electis ad Regem Oratoribus Cardinali Gondio, & Archiepiſcopo Lugdunenſi auctor fuit, vt ſi neceſsitas deditionem ſuaderet, nequaquam in Nauarræ Regis poteſtatem, ſed in Catholicæ apud eum militantis nobilitatis fidem, vrbs permitteretur. Mox occaſione vſus irritatæ per irritam legationem ciuitatis, productis in tempore literis, ex Belgio properantis auxilij nuncijs, omnem in poſterum

Caietani Cardinalis laus. pacis mentionem opportunè diſcuſsit. Vir planè dignus maioribus ſuis; cuiuſque purpurata imago Gallica legatione præfulgens, Pontificia

Bo-

Bonifacij VIII. claritudine non inumbretur. Celebratæ virtutis apud Hiſpanos, quorum in partes pronior habebatur, fratre Duce, ac fratris filio, ſub Philippi Regis auſpicio merentibus; at venerabilioris multò, ſanctioriſque memoriæ apud Gallos, quorum Religionem eâ tempeſtate in extremo Lutetiæ periculo laborántem, ſuâ vigilantiâ, induſtriâ, liberalitate, haud dubiè fulſit, conſeruauitque.

Crefcente fame initur tractatio pacis publico conſilio, ne priuatim vſurpetur à politicis.

Sed quamuis tot adminicula nutantem Lutetiam fulcirent, creſcente tamen intolerandum in modum fame, ſuperabantur. Cùm diem de die auxilium differrent Fœderati, ægros corporibus, animiſque refocillabat vna mentio pacis, vt finem malis allaturæ. Palàm abiectiſsimus quiſque paupertate ſecurus pacèm depoſcere, occultò ſuadere politici. Si quis ad Hæreſim, aut ad Nauarræ Regis partes propenſior erat, hoc nomine notabatur. Politicorum conſilio regebatur furor ieiunæ plebis, vt cum ratione inſaniret, in varijs vrbis regionibus ex compoſito panem, aut pacem flagitando. Quæ vulgi turbamenta cùm in dies gliſcerent, Senatus Pariſienſis, vniuerſi populi coniurationem veritus, admittendam cenſuit publico conſilio tractationem pacis, ne priuatim à ſeditioſis vſurparetur.

Legati duo mittuntur acturi de pace ad Nauarræ Regem.

In aula maxima, cui à Diuo Ludouico eſt nomen, magiſtratu, & proceribus conuocatis, placuit Petrum Cardinalem Gondium, & Petrum Eſpinacum Lutetiæ, ac Lugduni Antiſtites, Nauarræ Regem adire de pace acturos cum mandatis, vt deinde in Mainei Ducis caſtra ſe conferant.

Qui ad cœnobium S. Antonij ſe conueniendum exhibet.

Perlatá ad hoſtes decretæ legationis famá, Henricus delibandæ victoriæ per quàm auidus, ad cœnobium Sancti Antonij, quingentos à Lutetia paſſus, vltro conueniendum ſe offert. Receptis fide publicá Oratoribus militariter Senatus eſt datus à Rege loricato ſub vmbella purpurea conſidente, cum proximis Regij ſanguinis Principibus, aſtante in armis cum Ducum primoribus Catholicá, & Hugonoticá nobilitate. Et donec purpuratus Orator ciuilium diſsidiorum detrimenta, publicas, priuataſque clades, & deformatam belli malis Regni olim florentiſſimi maieſtatem facundo ſermone conquerebatur, attentis omnium auribus, oculis multorum fletu madentibus, eſt auditus. Cùm ad commemorandam Pariſienſium conſtantiam flecteret, animos nullis fortunæ aſperitatibus fractos, pro tuenda Religione, ſi quid vltra extrema ferendum ſupereſſet, id pati obſtinatos, orationis fidu-

Vnius ex Legatis oratio audita initio cũ approbatione, ac miſericordia.

duciam cum approbatione Catholici, Hugonoti cum patientia excepere. Vbi verò ad rei ſummam caputque deſcendit: a Senatu Lutetiæ ſe miſſos, vt inter Nauarræ Regem ex vna parte, & ex altera Mainei Ducem, Fœderatoſque ſancitâ æquis conditionibus pace Galliæ malis finem imponant: enim verò vniuerſi ſtrepere ſibilis, fremitu, irriſu, pro vario contemnentium, indignantium, & illudentium habitu: nonnulli enſibus ad loricas concrepantes minitari; non magnitudinem animi, ſed tumorem, non fiduciam, ſed inſaniam interpretari; quod ſuam, quod hoſtium vicem ignorare viderentur, & pro ſubditis, victiſque tamquam liberi agerent, & victores.

In fine excepta contemptu, ira, ludibrio.

Nec defuere de prudentioribus, quorum mos veteribus noua componere, qui memorarent legationis Rhodiæ vanitatem non abſimili ſtomacho à Romanis olim exploſam. Quando videlicet Græcus Orator in Curia Patribus conſcriptis denunciauit, per quos ſtetiſſet, quò minùs belli finis inter Romanos, & Macedonas fieret, aduerſus eos, quid ſibi faciundum eſſet, Rhodios conſideraturos. Quamuis in eo tantùm Rhodios peccauiſſe, quod circumſcribere auſi eſſent principem gentium populum, tanto inferior viribus ciuitas; cœterùm ſui iuris, Ro-

Comparatur orationi Legati Rhodiorum in Romano Senatu arroganter locuti.

Quamuis Rhodiorum Reſp. libera, & ſuis legibus viueret, non Pariſieſes, qui ſubiecti Regibus Galliæ.

ma-

manæque dominationi inuiolata. Quanto importuniorem Senatus Pariſienſis arrogantiam? qui ſequeſtrum ſe pacis inter legitimum Regem, ac perduelles, ipſe perduellis, & victus interponat? Eâ verò magniloquentiâ, quæ vix Regiam Venetorum Rempublicam ab antiquo diſsidentium Regum conciliatricem deceret?

Neque omiſit Nauarræ Rex, intellectâ publicâ inuidiâ, tumorem orationis acri reſponſo caſtigare. Si pacem (inquit) æquis conditionibus à me auferre cupiebatis Lutetiæ Ciues, quantum cauſa inferiores eratis, tantum fortitudine, ac belli fortunâ præſtare oportuit. Nunc armis incertum iniquiùs ne à vobis, an infeliciùs tractatis, cùm in acie ferro, in vrbe fame iam domitis accipiundum propediem ceruicibus iugum ſit, ecquæ diſceptatio, tamquam ex æquo, inter nos inſtitui poteſt? Niſi fortè illud agitis, vt victoris miſericordiam, quam victis miſeria conciliauit, ſuperbia extinguat. An, quia ſilentio premuntur à vobis, inexplorata nobis creditis Lutetiæ mala? Quanta cibi egeſtas, quanta morborum copia vos premat? quæ fœditas victus? quis horror? exhumatarum mortium ferales epulas, & parricidijs graues maternos vteros?

Rex acri oratione propriæ ipſorum conditionis Pariſienſes admonet.

Sibi exploratas eſſe teſtatus Lutetię calamitates, egeſtatem ciborum & fœditatem.

Has

Has pœnas, hæc ſupplicia vltrò ſubire perſuaſum eſt, ne ad legitimi Regis imperium, veſtram, & Galliæ felicitatem redeatis? Sed videte, quàm diſsimiles veſtrorum animorum peruicaciæ ſpiritus geram. Vos ad perdendam patriam, & cariſsima pignora inſanus præcipitat furor. Nos partæ ciuilis concordiæ, quàm victoriæ de ciuibus gloriam malumus. Fuit olim, eritque, cùm externa bella mihi, & poſteris Regibus abunde ſuggerent triumphorum. Nunc pro templis, ceremonijs, omnibuſque Catholicæ Religionis ritibus in Vrbe veſtra inuiolatè ſeruandis, non recuſamus leges accipere, qui dare poſſumus. Vnum Rex deprecor, quod priuato vix denegandum, vt liberum conſcientiæ arbitrium tantiſper, dum arma gerimus, relinquatis. Tranquillitate opus eſt, vt bona mens iudicet, neque lux veri fulget in turbido præliorum. Veniam petimus, quam vltrò damus: liceat frui Principi, quam ſubditis non adimit, libertate.

Offert amplas cõditiones pacis.

Libertatẽ conſcientiæ ſibi tantum depoſcit.

Aſperiùs appellatos, per hæc dicta, in publico concilio Vrbis Oratores Rex Henricus in priuato perhumaniter excepit: tamquam alterum Regiæ perſonæ tribuiſſet, alterum naturæ ſuæ daret. Sed quamuis communibus partium

Vrbis Legatos priuatim Rex multa humanitate excipit.

votis

Concordiæ tamen tractatio non procedit.

Quia Rex cum vnis Pariſienſibus de pace agere volebat.

votis concordia expeteretur, in ſummas tamen & inſuperabiles ipſo initio difficultates incurrit. Siquidem Nauarræ Rex, oblatis conditionibus quàm commodiſsimis, paciſci cum vnis Pariſienſibus malebat, reliquis Fœderatis excluſis; propterea quod omnes vnicâ tractatione complecti, immenſi operis, ac temporis res foret. At Lutetiæ Legati pernegabant, licere ſibi, Mainco non conſulto, quidquam de Vrbis ditione ſtatuere. Quapropter & liberum in caſtra Fœderatorum commeatum pro eodem adeundo petebant. Iſtud porrò Pariſienſibus indulgere, Rex, Regiſque conſiliarij pro eodem interpretabantur, ac moram, ſpatiumque largiri Parmenſi, vt inſtructo, quem diligentiſſimè cogebat, exercitu, ad ſoluendam obſidionem aduentaret; atque ita, vnde concordia ſperaretur, inde bellum ſæuiſſimum recrudeſceret.

Pariſienſes recuſant pacem ſancire Mainei Duce conditionibus non comprehenſo. Quòd Rex & Regium concilium aſſentiendum non cenſet.

Dum Oratores togati finem Lutetiæ malis per pacem afferre nituntur, arma Maineus, armatoſque vndique ad opem ferendam contrahit. Iam legio Germanica tria peditum millia ſub Comite Collalto, ſeptingenti equites ſub Iattreo, aliæ ſub alijs ductoribus cohortes, & alæ ſe adiunxerant; ita vt decem peditum, tria equitum millia ſumma conficeret. Creſcente

Mainei Dux exercitũ cogit, x. peditum 3. equitũ millia.

nume-

Querelæ Hiſpanorum ob furta facta à Gallorum calonibus.

Pd. de Caſtro in cóm. 1590.

numero, turbarum quoque cauſæ gliſcebant, inter æmulas nationes, moribuſque diſcordes. Querebantur Hiſpani, nihil obſeratum ſibi ſatis, nihil tutum à ſeruitijs Gallicis eſſe. Neque ſe vmquam in acie Gallorum manus tam pugnaces, quàm rapaces in caſtris vngues exhorruiſſe. Non arma, non veſtem in tentorijs impunè linqui, non equos foris, quos clara luce adaquatum ductos, auſu, aſtuque nequiſſimo pueri Gallorum ſurripuerint. Neque paria (quod miraculo ſit) in Italos, aut Germanos audere. Num eam gratiam referri benemeritæ nationi, quam Galliæ patronam ſalutauerint, vt pro ſanguine largiter commodato, fortunas alterum ſanguinem ereptum eant? Hæc Hiſpani ad Maineũ, Maineus ad Gallorum Duces, & Centuriones detulit. Qui ſæpe famulis fruſtra increpitis, excuſauere licentiam militaris plebeculæ aſſuetæ rapto viuere more Spartano, idque genus furta intra vrbanitatem ducentis. Num iuncei eſſent, aut plumbei calones Hiſpanici, qui ſe compilandos tàm otioſè præberent, nec ipſi quoque, vti linguam in queritando, ſic & manus, digitoſque, ſi minùs in alienis auferendis, ſaltem in retinendis ſuis exererent? Quod verò Galli liberaliùs ex Hiſpanis, quàm ex alijs gen-

Qui excuſantur.

tibus prædam petant, hanc Hiſpanorum opulentiæ culpam eſſe; plus enim iacturæ patere, qui plus habent. Niſi fortè confidentiæ quoque ſit genus, quos vt patronos parentum habent loco, ſuffurari, ne ablata reſtituere, filiorum priuilegio, cogantur. Ita factis malè habiti, verbis inſuper iocoſis excipiebantur. Quare omiſſis in poſterum inutilibus querimonijs, & ipſi diligenter ſeruando, & raptores caſtigatione pluſquam paterna cohibendo, non minus egregiè ab amicis, quam ab hoſtibus Gallis, Hiſpani ſeque & ſua contutati ſunt. Acceſſit opportunè præceptum à Maineo, quo ſe faciliùs milites internoſcerent, vt aſſutam præferrent galero crucem, ſignum Religionis ab antiquo Lotharingis propugnatæ, externi rubram, atram Galli, ob ſublatos cum Guiſijs Principibus Galliæ amores, monumentum luctus, irritamentum vltionis.

Auctum in hunc modum, ordinatumque exercitum promoueri placuit Condæum ad Meldas, quod triginta paſſuum millibus Lutetiâ diſtabat. In medio itinere erant, cum tumultuoſo nuncio terrentur: Nauarræ Regem comperto auxiliarij militis aduentu, in occurſum cum equitatu Gallico properare. Conſilium eſſe:

binas

binas fœderatorum legiones ab vniuerſo virium corpore ſeiunctas opprimere, vt mox Belgicus exercitus in ſocijs ex parte iam victus de facili debellaretur. Quod facere hoſtis intererat, id eſſe facturum, haud dubia nuncio fides fuit. Statim Farneſiani pedites, ne in patentibus campis ab equitum multitudine circumueniantur, ab arte præſidium, ritu Belgicæ militiæ petunt. Sarculis terram fodere, ducere foſſas, ceſpites moliri, circumquaque cæſis virgultis, & arboribus obſtruere iter. Sic aditum ab omni parte arduum, abſciſſumque pediti, nedum equiti, atque imperuium reddere. Initio Galli equites inſolentem agricolationem mirabantur. Vbi verò, quo ſpectabat labor, liquere munimentis inſurgentibus cœpit: equitum primi, Roneus Caſtrorum præfectus, eques Aumalius, Salinius, Maineus ipſe, tum horum exemplo cætera nobilitas arreptis ligonibus, certatim manus in opus conferunt; breuique itinera vndequaque ita concluſa ſunt, ac diſpoſitis tormentis, & ſclopetario milite obſeſſa, vt niſi labore ſummo, & periculo maximo, eò adſpirare Nauarræ Regis equitatus non poſſet. Qui cum elicere ſuis è munimentis Hiſpanos in apertos campos fruſtra tentaſſet, difficultate iniquæ oppugnationis ter-

Maineus Condeum promouet copias.

In itinere Rex Henricus occurrere nunciatur cum equitatu.

Legiones Farneſianæ munitiones excitāt, quibus imperuium aditum Regis equitibus reddunt.

Mirātibus initió Gallis fœderatis, deinde manū in opus conferentibus.

Cum fruſtra è munimentis fœderatos elicere Rex tentaſſet Lutetiam reuertitur veritus ne id ipſum quod accidit accideret

territus, metuenſque, ne interim abſentiam ſuam Fœderati occaſionem leuandæ Parſienſium famis facerent, redire maluit ad obſidionem vrbis, in qua ſumma belli vertebatur. Neque ſecus ac ſuſpicatus fuerat euenturum, eueniſſe Rex comperit. Siquidem per eos dies egregius Ductor San Paulus nomine, qui cum octingentis equitibns à Duce Maineo ſe abiunxerat, magnam vim cibariorum è Campania in vrbem Meldarum contraxit; atque inde ſecundum Matronæ ripam diu noctuque continuato itinere, Nauarreorum cuſtodijs aut eluſis, aut obſiſtere non auſis abſente Rege cum flore Gallici equitatus, Lutetiam feliciter inuexit. Idem leuatæ annonæ gratiam gratiore nuncio cumulauit: Parmæ Ducem a ſe conuentum in itinere eſſe: Conterminas Belgico limiti Galliæ prouincias agminibus armatorum feruere: antecedere magnas copias, maiores ſequi: ipſum Belgij Præfectum Lutetiæ periculo anxium cum acie media, lectiſſimo peditum equitumque comitatu properare: lentiorem tormentorum apparatum in poſtremo agmine, cum equite grauis armaturæ, ac binis Vvallonum legionibus, per Motteum caſtrorum præfectum, & Georgium Baſtam equitum Commiſſarium trahere.

Nam per occaſionem abſentiæ Regis fœderati cibaria Lutetiam inferunt cum læto nūcio appropinquantis Alex.

Iam

Exercitus Cath. Condeum pergit.

Iam verò auxiliariæ legiones Hiſpani Italique vbi nihil moueri à Nauarræ Rege intelligunt, eum execrati, quod ceſſando, irritum ſibi pulcherrimum opus feciſſet, inſtitutum iter ad Condæum peragunt. Tum contra dignitatem ſuam facturos rati, ſi obtineri hoſtium præſidio arcem vllam paterentur in via, qua Parmenſis è Belgio venturus ferebatur, ad expugnandam continuò Feritatem Miloniam conuertuntur.

Nulla patitur hoſtium arce intercludi Belgicum iter Luteciam verſus.

Feritatem Miloniam aggreditur.

Caſtrum erat modicum in ima valle, quam interfluebat amnis, geminam ripam lapideo ponte iungens. Cuſtodiæ imminebat arx cum propugnaculo. Sub aduentum fœderatorum, præſidiarij, qui pontem interſcindere parabant, accurſu primi agminis prohibiti ſunt. Præibant geminæ cohortes, Hiſpani Italique fiſtulatores, qui, cum deditionem fruſtra imperaſſent, celeriter ſubuectis, libratiſque duobus tormentis, propugnaculum quatere cœperunt. Editâ ſtrage muri, quanta oppugnationi ſufficeret, iam ruinam ſuperuadebant fœderati cum Galli, ſeu quod receptus interior nullus eſſet, an quia ſubſidia non ſperabantur? Maineo Duci ſe permittunt. Indita cunctis vincula, præterquam tribus in ſuſpendium actis, qui præcipui de quadraginta corporis cuſtodibus Henrico III. Regi manus

Tormentis quatit.

Poſt editā muri ſtragem deſperato ſubſidio milites Regij ſe dedunt.

ad

Omnes coniecti in vincula præter tres actos in ſuſpendium, propter operam commodatam neci Guiſiæ Ducis.

ad necem Guiſiæ Ducis commodaſſe arguebantur; Reos ingentium facinorum, vel claudis pedibus aſſequente pœna. Ad expediendum autem, non ab hoſtium modò, ſed à locorum quoque difficultatibus Belgicum iter, alium pontem ad Condeum prope Meldas erigere viſum; ne qua mora Hiſpani Regis exercitum detineret, quo minùs è Belgio recta Lutetiam Pariſiorum tenderet. Medium geminos interfluuios Condeum iacet; horum alteri à Meldis procul mille circiter paſſibus fluenti, pontem ſuper imponunt, additoque caſtello communiunt; idque Hiſpano militi cuſtodiendum tradunt. Per hunc pontem tertiâ noctis vigiliâ traductis binis lectorum equitum millibus, & Hiſpanâ, Italicâque legionibus, Dux Maineus cum Roneo caſtrorum Præfecto, Iattræo, Capiſucchio, & Zuniga, ad Gallorum caſtra contendunt. Prægreſſus cum ſeptingentis equitibus Iattreus nihil remiſſum in cuſtodijs, nihil incuriosè adminiſtratum reperit. Farneſij quippe appropinquantis fama diſciplinam Nauarreorum intenderat. Cum igitur locum ſpeculatus vero vulneri, nullum inueniret, ſtatuit (vti conuenerat) inferre terrorem pro vulnere. Edito maiore, quam pro numero militum tu-

Fœderati pontem fabricantur & muniunt prope Códeũ.

Per quem traducti nocturnã irruptionem tentant in Nauarræos.

Vigilantes deprehendunt ob famam aduectantis Alexandri.

tubarum, ac timpanorum ſonitu, concurſatione equeſtri, & clamoribus tumultum quàm maximum excitauit. Neque ſegniter, excubijs monentibus, Nauarræi arma capere, ad munitiones, qui deſtinati fuerant, prouolare, reliqui ad ſigna concurrere, pari timpanorum, ac tubarum clangore, minis, ac fremitu, prouocantibus reſpondere. Quin ferociſſimi iuuenum conglobati eruptionem poſcebant, laruas iſtas nocturnas ferro abigendas, dictitantes. Compeſcuit ardentes Bironius, aliquid inſidiarum ſubeſſe veritus, cæco marte pugnaturis. Non auferre ſe pugnam, ſed differre, vel in proximam lucem, vt virtutis cuiuſque, ſic & fraudium hoſtilium teſtem futuram; vel, donec emiſſi exploratores certiora renuncient. Rem eſſe cum nouis hoſtibus, non aſtu minùs valentibus, quàm manu, cum Farneſiano milite Farneſianis artibus belligerandum. Dum hi de eruptione deliberant, Iattreus ad ſuos iam redierat, vnàque omnes Condeum repetunt, pro victoria ducentes, propinquam ſpem ſubſidij monſtratam Lutetiæ, ac ſi minùs pernicie, ludibrio, ac terriculis affectum hoſtem.

Terrorem tamen pro clade inferunt.

Erumpere geſtientes Gallos Bironius retinet metu inſidiarum.

Redeũtibus in caſtra fœderatis pro operæ pretio fuit Lutetia ſpe proximi auxilij recreata.

Sed eadem ſpei lux multò lætior Ciuitati affulſit à Mainei literis, Parmenſem Gallias intro greſ-

greſſum Guiſiam perueniſſe nunciantibus.

Alex. Bruxellis profectus B. Virginem Halleſem inuiſit.

Et Alexander quidem Bruxellis ad Virginem Hallenſem profectus, Magnæ matri nouam pro honore Filij militiam commendauerat. Inde Montes primùm, dein Valentianam venit. Vbi triduum colligendis copijs immoratus, Oratores ad ſe miſſos Pariſienſes conſules excepit; qui pro ſuſcepta expeditione gratias agentes referebant: Henricum Regem grandioribus tormentis mœnia ſuburbiorum quatere cœpiſſe ſtrepitu, quàm damno horribiliore. Idque à ciuibus pro indicio fauſto habitum auxilij de Belgio appropinquantis. Propterea quod ſpe vrbis expugnandæ depoſita, Nauarræi ad inania oppugnationum terriculamenta confugerent.

Deinde Valentianæ cogendis copijs triduum inſumit, & Lutetię oratores excipit gratias agentes pro ſuſcepta Lutetiæ defenſione.

Vti prædixerat Alexander decimo tertio Kalendas Septembres ipſo peruigilio Aſſumptæ in Cœlum Virginis, primam Galliæ arcem Guiſiam intrauit, maiori ſanè fama, quàm viribus. Neque enim plures quàm viginti peditum cohortes, octo equitum alæ comitabantur. Præuertendum duxerat, vt nutantes in Lutetiæ diſcrimine fœderatorum partes firmaret haud ignarus, quantum omnibus bellis momenti ad victoriam ſummorum Imperatorum aduentus tulerit. Sic à Iulio Cæſare, cum quatuor equitum

13. kal. Septēbris ipſo peruigilio aſſumptæ Virg. Galliam intrat, vt in epiſtola ſe facturum promiſerat.

Cauſa feſtinādi, vt animos Catholicis adderet, & adimeret Hugonotis, Iulium Cæſarē & Carolum V. imitatus.

tum millibus Ariminum tranſgreſſo Magnum Pompeium, Senatum Romanum, Romam, & Italiam ſedibus ſuis pulſam. Sic Auum maternum Carolum V coniurationem Germaniæ populorum, accurſu ex Hiſpania ſubito, obiectuque Imperatoriæ præſentiæ diſieciſſe. Neque minor euentus magnitudine conceptæ de Alexandro expectationis fuit. Nam ingreſſi primùm, dein ſenſim appropinquantis nomen, deficientibus in dies alimentis, exhauſtam Lutetiam, magis, magiſque ſuſtentauit; vt non ineptè quidam prodiderint, magnam eam famem, hac magnâ famâ tolerauiſſe; Quemadmodum ſcilicet odore ciborum corpora aliquandiù ſuſtentari feruntur. Quin eadem fama, multiplicando rumoribus copias, contra Nauarræos inſtar iuſti exercitus habuit. Nam, neque vllæ hoſtium turmæ ad iter (vti fit) interpellandum ſe oſtendere, neque Nauarræ Rex è Pariſienſibus campis quidquam mouit. Quamuis, dimidia exercitus parte ad obſidionem relictâ, dimidiam alteram rapere in occurſum venientis potuerit, priuſquàm fultam Hiſpaniæ ac Belgij viribus aciem conflaret. Sed nomen idem tanti Ducis, quod amicorum ſpes vltra modum erexerat, inimicoſ æquo plus terruit; cùm audax

Rumor aduectantis Alex. Lutetiam ſuſtentat, alimentis deficientibus.

Exiguæ Alex. copię pro magnis habitæ à Nauarræis, ita vt illas aggredi auſi non fuerint.

Quamuis numero militum præſertim equitũ abundarent.

Nomen Alex. confirmat fœderatos, Regios exterret.

ex neceſſitate conſilium, fiduciam virium interpretarentur; quod Alexander ipſe in epiſtola ad amicum, non glorioſiùs, quàm veriùs teſtatus eſt. An, quantumuis modicas Farneſij copias, non tamen obnoxias fore multitudini ſuorum ſperauit Henricus, ob celebratum robur, & diſciplinam? compenſaturâ paucitatem virtute militum, & ſcientiâ belli: In quo ſanè non fallebatur.

Paucitas militum, diſciplina & fortitudine compenſatur.

Guiſiæ biduum Alexander ſubſtitit, colligendis militibus, animoque. Quod enim facere, dedicatis Deiparæ diebus, in more ſemper habuerat, raro in ſummis Ducibus exemplo, id accuratiori tunc pietate vſurpandum cenſuit; vt expiatis pœnitentiâ culpis, refectiſque pane fortium animi viribus, par eſſet magnitudini rerum, quas moliebatur. Illic agentem Valentinus Pardæus Mottæ Dominus Caſtrorum Præfectus adit cum ingrato nuncio: omne tormentariæ ſupellectilis inſtrumentum, quod Carolo Mansfeldio Præfecto generali tormentorum, vti transferret Montes ad Galliæ fines mandauerat, adhuc Lelegis immotum hærere, futurum Gallico bello prorſus inutile. Quippe habita ratione dierum, ante confligendum in Gallia eſſet pro ſoluenda obſidione Lutetiæ, quam illuc inde

Guiſiæ biduû ſubſiſtit, vt exercitum colligat, obeatque Confeſſ. & Euchar. Sacramenta, vt ſolitus erat feſtis diebus.

Illic admonetur de rei tormentariæ difficultate.

de tormentarius apparatus aduehi poſſet. Non dubitauit Alexander, medentium more, grauioribus malis per minora ſuccurrere. Imperat, vt ex arcibus ab hoſte Batauo auerſis, Galliæque amicæ finitimis, exprompta tormentaria ſupellex omnis carris imponatur; eam mox lacunam apparatu Lelegenſi expleturo. Cùm hanc, aliaſque ſurgentes à mole belli moras abrupiſſet, Laudunum proficiſcitur; quò vt eâdem luce coirent diuerſis è locis, octodecim equitum turmis, cum Marchione Ranthiaco, condixerat. In itinere, nobilium Gallorum equitum alæ, honoris ergo, ſub eximijs ducibus occurrunt. Portij Dominus Mainei gratia, Baſſompetra bellicis titulis, Salinij comes, ob ſororem Aloyſiam olim Henrico III. Regi nuptam, inſignes erant. His medium deducentibus Præfectum Belgij Summum, & Sancti Gallorum Fœderis Imperatorem, ad portas vrbis effuſis omnis generis, & ætatis ordinibus, cum arcis cuſtodibus, Gubernator occurrit, Lauduni claues in argenteo ferculo porrigens; quas ille, gratijs actis (idem antea Guiſiæ fecerat) modeſtè recuſauit. Rectâ progreſſum ad maximum templum, pro foribus Laudunenſis Antiſtes vnus ex Galliæ Paribus, Pontificali amiculo decorus excepit, cum co-

Cui Alex. occurrit imperãs expromi ab arcibus Galliæ finitimis, & auehi omnem ſupellectilem torment. eam verò lacunam Lelegẽſi apparatu ſuppleri.

Laon.

De Portes. Balsõpier. Saligny.

Obuiam Farn. veniunt Gallorũ turmæ ſub claris Ducibus

Ad portas Lauduni Gubernator occurrit vrbis claues offerens, quas Alex. recuſat.

Pro foribus templi maximi excipitur ab Antiſtite cũ põpa ſolemnẽ gratiarũ hymnum Symphoniacis concinentibus.

horte miniſtrorum, niuea in veſte reſulgentium. Adductoque ad aram principem, atque ibi in preces affuſo Parmæ Duce ſolemnem Deo gratiarum hymnum concinuere.

Eo finito Alex. iureiurãdo affirmat, ſe vnica defendendæ Religionis cauſa, Gallias intraſſe cum exercitu Catholici Regis; qui priuato dominationis Hiſp. commodo ſalutẽ Chriſtianæ reſp. anteponat.

Quo finito, Alexander, quamuis Hugonotos calumniantes, Hiſpanum exercitum ad occupandas Gallias ingreſſum, facto magis, quàm dicto refellendos putaret, ne qua tamen cuipiam fides adhæreſceret, ipſo in Regni limine, ſanctiſſimum ad aras iuſiurandum interponens, affirmauit: Tanti fuiſſe apud religioſiſſimam Philippi Regis Catholici mentem, ne Fides Orthodoxa cum Lutetia Pariſiorum in Francia concideret, vt eò translatis Hiſpanis exercitibus, theſauriſque, victoriarum in Belgio curſum ſuſtineri maluerit. Nimirum ante priuata dominationis Auſtriacæ commoda, communem Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem ponere; cuius maximè interſit, à Gallijs nobiliſſimo Europæ Regno exigi Caluinianam luem, in reliqua inde membra cum irreparabili Eccleſiæ pernicie dimanaturam. Qui tam ſancto propoſito Galliæ populi, vrbeſque conſenſerint, ad ipſorum tutelam diſtricta eſſe intelligant Hiſpana arma. At eadem nemini aduerſatura, niſi qui Deo, veræque Religioni aduerſetur. Securi proinde ſuos

agros,

agros, & ciuitates Galli habeant; præter aſſertæ Religionis gloriam, nullam impenſarum, & ſanguinis mercedem Hiſpanos requiſituros. Pro dignitate ſummi Regis, & ſummi Ducis oratio viſa, vera Catholicis, politicis prudens, retulitque etiam à non credentibus plauſum. Deinde ad paratum in Pontificijs ædibus hoſpitium deducitur, inter feſtos hinc æris campani ſonitus, ac tormentorum fragores, hinc ciuium, & militum vociferantium plauſus, irrigatus è feneſtris omnigeni floris nimbo, à pueris, virginibuſque. Eodem cultu in vrbibus alijs, inter confluentium populorum gratulationes, laudeſque, tamquam ſalutare Galliæ ſydus exceptus ibat. Cùm ipſe non minorem famâ ſe ferens, tum oris formâ, & virtutibus Imperatorijs, tum Aulâ prænobili, & comitatu regio, qui priuatim eum aſſectabatur, ingentem aduerſariam expectationem vinceret. Sed ſpectatorum, & ſpectaculi frequentia maior ad oppidum Liſiaci fuit, vbi vt luſtraretur Fœderatorum exercitus, primi & ſecundi agminis copiæ (nam poſtremum agmen cum tormentis militaribus in itinere erat) inter Farneſium, & Maineum, per Ioannem Baptiſtam Taſſium internuncium conuenerat. Illic præter cohortes, & alas

Alex. oratio vt pia & prudens laudatur.

Ipſe cum lætitia, & plauſu à Cath. vrbibus excipitur tamquam ſidus Galliæ ſalutare.

Expectationẽ vincit non ſolùm aſpectu, & virtutibus Imperatorijs, verum etiã Aula & comitatu regio.

Luſtratio Catholici exercitus.

alas Gallorum; quæ cum Duce Maineo Alexandrum opperiebantur, famâ externorum excita pleraque Lutetiæ, ac vicinarum ciuitatum iuuentus nobilis, ad hæc ſenum, & matronarum imbellis turba interfuere ſpectaculo magnifico, vel in oculis Galliæ, huiuſmodi pomparum non inſolentibus.

Antecedebant exercitum tubicines, ac timpaniſtæ canentes bellicum, quos veteranæ legiones inſequebantur, ſedecim peditum millia, ex varijs conflata gentibus Hiſpanis, Italis, Vvallonibus, & Germanis, veſtitu pro ritu patriæ diuerſo. Hiſpanis breuis erat, & circumciſus, laxior Italis, at Vvallonibus, atque Germanis laxiſſimus. Munimenta ſingulis capitum, & pectorum æreæ galeæ, loricæque, cum alij tubos grandiores in humeris, alij haſtas oblongas cuſpidibus præacutis in ſummo, geſtarent. Per multis Germanorum cohortibus armabant dexteras diuerſi generis haſtæ, præfixæ latis quadratis ſecuribus, gentile telum, patriâ voce alabardam appellant, quo ambabus manibus tractari ſolito, propelli modò, modò retrahi, modò in orbem circumagi, comminus, eminus proturbant hoſtem, aut incurrentem immaniter mulctant, truncantes brachijs corpora, capitibus

bus colla, fœdumque in modum viſcera haurientes.

Exinde compoſitæ ijſdem ferè de nationibus turmæ ingrediebantur, terna circiter millia, alij equites leuiter armati, pars maior Hiſpani, atque Itali, alij grauis armaturæ, qui à capite ad pedes ferro rigebant; partim nobiles Belgæ, ſub Marchione Ranthiaco, partim Galli qui ſub Duce Maineo, Hiſpanico ſtipendio merebant.

Ad vltimum proprius ipſius Alexandri Parmæ, ac Placentiæ Ducis Regalis comitatus apparuit dignus amplitudine veteri & Romanâ magnificentiâ Farneſiorum, dignus Præfecturâ Belgicâ, quâ fulgebat, & maieſtate Sancti Gallorum Fœderis, Pontifices Regeſque complexi, cuius renunciatus fuerat ſupremus Imperator.

Præibat Prætoria Ducis turma, centum, & viginti leuis armaturæ equites, induti ſaga coccinea ex holoſerico raſo, plectis aureis diſcriminata. Præpilatas gerebant haſtas, faſciolis in ſummo hyacinthini, roſei, candidi coloris ad aurarum illapſum fluitantibus; cùm in politis ære læui galeis rubentes auium plumæ volitarent. Conſimili corporum, diuerſo armorum ornatu, ducenti ſequebantur equites, quos priſco nomi-

mine, non vſu retento, ſagittarios vocant, pro arcu, ſagittiſque, coruſca ſpicula dexteris criſpantes. Hos totidem numero ſclopetarij equis pariter vehentes excipiebant; quorum rubicunda ſagula cruces è textili argento illuminauerant. Equitum veſtigijs inſtitit Prætoria Ducis cohors, corporis cuſtodes centum viginti Germani, pedeſtre agmen proceritate corporum equitibus par. Femoralia his, ac thoraces è lana purpurea, auro illuſi, & Phrygio opere variati. Pro habitu corporum, gladij ad latera ingentes, vt ingentes in dexteris alabardæ. Poſt hos, viginti numero honorarij Ephebi, generoſis orti natalibus, Itala, & Belgica iuuentus, Hiſpanis, ac Neapolitanis equis vehebantur. Tibialia illis oblonga purpureo è ſerico, braccæ breues, & farctæ, argento è textili, quod aureis bracteis per interualla modica diſtinctum erat. In capitibus galericuli, tam puniceis in ſummo plumulis, quàm cinctibus in imo gemmeis fulgurabant. Proximè bis duodeni circumpedes, eidem veſtis, & coloris generi, gladios enſibus inauratis, & gauſapinas coccineas addiderant. Inter hos medius ibat ſignifer Alexandri, Satrapis circumfuſus, Dynaſtis, Principibuſque. Præfulgebat ex Hiſpaniæ magnatibus Antonius Le-

ua

ua Aſculi Princeps, ex Italis Princeps Caſtri Beltrami, Appius de Comitibus Polorum Ducis frater, Petrus Caietanus Sermonetæ Ducis filius, de Germanis, Iacobus à Collealto, de Belgis Chimacij Princeps, Marchio Ranthiacus, Barlamontij, & Arembergij Comites eminebant.

At omnium oculos, atque ora Gallorum, in ſe vnus verterat Alexander Parmæ, ac Placentiæ Dux, triumphali ſedecim annorum militiâ in proximo Belgio clarus, tot expugnatis arcibus, tot recuperatis Hiſpano Regi prouincijs, vſurpatum toties in Gallia nomen. Imperatorem Carolum V. auum iiſdem in terris viſum, ſeniores recordabantur. Si Regales tituli adeſſent, nihilo minùs inclytum nepotem magnitudine ſiue animi, ſiue gloriæ. Sed illum Galliæ hoſtem, hunc vindicem, hunc Fidei Catholicæ clypeum, gladiumque perfidiæ iugulo ſemper fatalem. Imbutum ab adoleſcentia Turcarum cladibus ad Orientem. Primâ iuuentâ in Septemtrione à Belgarum ceruicibus Hæreſim depuliſſe. Dein Septemuiri Colonienſis inſaniam vltum, teterrimo prophani Antiſtitis exemplo, abſoluiſſe Germanias. Nunc virum annis ac victorijs maturum, in Occidentem ad Gallias ab Hugonotis vindicandas accurrere. Si duo præterea

Omnium ad ſe oculos atque ora rapuit Alex. Parmæ ac Placẽtiæ Dux.

Quem ſeniores Carolo V. auo æquabant ſi minùs potẽtiæ, animi certè, & gloriæ magnitudine.

eiuſdem præſtantiæ Duces, Chriſtianam rem tuendam ſuſcipiant; alter Ethnicos, Mahometanos alter excidio petat, breui Orbem terræ, ſublatis errorum monſtris, pacatum iri. In vota igitur effuſi, fauſta omnia tam piæ fortitudini apprecabantur: ſecurum iter, proſperum martem, victoriam incruentam, vt, eâdem virtute nitenti, eadem, quæ alibi fortúna, in Gallijs foret.

Illi omnia fauſta comprecãtes.

Inter huiuſmodi voces, Alexander ſublimis, Hiſpanienſi equo coloris phœnicei ferebatur. Loricâ auro virgatâ pectus armabat, quam faſcia tranſuerſa de coccino à ſiniſtro humero in dexterum latus obibat, Cæſareæ factionis inſigne; purpurea deſuper chlamys thoracem tegebat, cùm de anteriore ephippio, thecæ geminæ ſclopulis binis grauidæ penderent. Læuâ in manu, cum equi loro, virga Imperatoria: pileus in dextera aſſiduò inerat; cùm plauſum circumfuſæ multitudinis, & ſalutem Gallicæ nobilitatis acciperet, redderetque. Poſtquam eò venit, vbi Maineus cum globo nobilium equitum præſtolabatur, ambo Duces in mutuæ gratulationis officia iunctis dexteris coeunt. Peractà vtrinque inter nationes quoque conſalutatione, ad dexterum latus Farneſium Lotharingus ex-

Qui toto corpore præter caput armato, equo phœnicei coloris inſidebat.

Cum eò veniſſet, vbi Maineus cum proceribus opperiebatur, vnà coequitarunt; Lotharingo primas Parmenſi deferente.

ce-

cepit, vt ſummum Gallicani Fœderis Imperatorem; vnàque duo eminentiſſima Catholicæ Religionis, atque illuſtrium Regnorum capita coequitarunt. Affectabantur ſuos Principes domeſtica miniſteria, Proceres vtriuſque Aulæ ſplendidiſſimis variarum nationum equitibus immiſti. Inter Farneſianos inſignis præ cæteris erat Petrus de Caſtro, familiæ vetus, armorum Cuſtos, è cuius oculati teſtis commentarijs, Hiſpanica lingua conſcriptis, pleraque nos in hiſtoriam, cum hac ipſa narratione, tranſtulimus. Hos excipiebat numeroſior ex varijs gentibus turma, vt linguis diſſona, & moribus, ita cultu, habituque, pro ritu patriæ, diuerſa. Hiſpanum partim, partim Gallicum in morem equis ingrediebantur, ſuis pediſſequis coccinea veſte rubentibus circumfuſi. Ad extremum, octoginta mulionibus, queis penulæ inerant purpuratæ, præcedentibus totidem clitellarij muli viſebantur, côtecti holoſerico purpureo, quod acu picta cærulea Farneſiorum lilia diſtinguebant. Claudebant agmen impedimentorum cuſtodes loricati quingenti, quos cataphractos vocant, ornatu corporum, & famulorum, nihilo ſecus, quàm priores conſpicui; ita vt non eleganter magis, primis media, quàm medijs poſtrema congrue-

De Caſtro an. 1590. in commentarijs.

Ad vltimum, poſt turmam conflatam ex varijs gêtibus octoginta clitellarij muli apparebant, contecti ſtragulis purpureis.

Claudentibus agmen impedimentorũ cuſtodibus quingentis cataphractis ornatu ſuo & famulorum conſpicuis.

gruerent: Admirantibus Gallis, fatentibuſque: non inter ſola Gallorum lilia lepores, elegantiaſque florere, ſed eſſe, extra Galliæ Mundum, alium Orbem.

17. millia peditum 4. equitum in exercitu Fœderatorũ numerantur, ante poſtremi agminis aduẽtum.

Sociatæ cum Maineo Alexandri copiæ ſeptemdecim peditum, quatuor equitum millia numerabantur. Non contemnendus quidem exercitus, at nondum Nauarræo par, qui viginti amplius peditum, ſeptem equitum millibus (è quibus quinque millia lectiſſima Gallicæ nobilitatis) Lutetiam circumſedebat. Conſilium ſtatim initum de ratione gerendi belli. Proceres, Duceſque vtriuſque gentis admiſſi: è Gallis præter Maineum, Aumaliæ Dux, Salinij Comes, Ronæus Caſtrorum Præfectus, Iattræus, alijque: ex Hiſpanis Aſculi, & Caſtri Bertrami Principes, Appius de Comitibus, Emanuel Lalanius Ranthiaci Marchio, Petrus Caietanus, Camillus Capiſucchius, Comites Arembergius & Barlemontius, Ioannes Baptiſta Taſſius, Georgius Baſta cum alijs Ducum primoribus. Gallorum in vnum placita congruebant, iter, auxilium, certamen acceleranda. Præter ingenium pugnax nationis, charitate ſuorum ſtimulante inſuper incitabantur. Hiſpanorum ſententiæ cunctabundæ: tum ex inſita maturitate, tum quod

Initur conſultatio de ratione gerendi belli.

Galli Duces prælium & irruptioné ſuadent.

Hiſpanorum ſententiæ cunctabundæ.

in

in externo, ignotoque ſolo, nondum hoſtibus, ſed neque amicis periclitatis. Qua propter eò impenſiùs cauendum rebantur, quò magis præcipitia ſuadebant Galli. Qui re conſentientes, diſcrepabant in modo. Maineus hoſti, & vrbi caſtra admouenda cenſebat, & communienda loco, quem ipſe deſignabat opportuno: vnde tranſuectio cibariorum ad obſeſſos, carptim, & per partes fieret. Audaciores alij, offerendum Hoſti volenti certamen (fremebant) inuito obtrudendum. Eo animorum ardore ad ciues, & propinquos extremis calamitatibus conflictatos penetrandum, quo, ſi neceſſitatibus iiſdem circumuenirentur ipſi, vt ſubueniretur, optarent. Ecquando generoſis bellatoribus futuram honeſtiorem cauſam vſque ad internecionem pugnandi, quàm dum exitio ſubducere niterentur vrbem, Regni caput, & inſtar Regni, Principum ſedem, fontem iuris, arcem Religionis, ac proinde acriùs ab Hæreticis impugnatam, à Catholicis vindicandam? Num obliti eſſent, quoties Hugonotorum exercitus, equite, pedite, armis præualidi, vná minores cauſá Religionis, impetum Catholicorum non ſuſtinuerint? Quippe acriores eſſe, promoueriq; de Cœlo, conatus pro iuſtitia, quàm pro iniquitate tendentium.

Galli vel cum periculo ſubueniendū cenſēt ciuibus ſuis & Lutetiæ vrbi principi Religionis & Regni.

Victorias cōmemorant de Hugonotis à paruo numero

tium.

Catholicorum relatas, quibus magnitudo periculi, & deſperatio ſalutẽ pepperit.

Dedecus, & damnum inculcant imminens ab expugnatione Lutetiæ Catholicis, aut ſeruituris pariter; aut perituris.

tium. Circumſpecta conſilia locum non habere in perditis rebus: quibus à deſperatione remedium, & pro magnitudine periculi ſpes ſalutis. Niſi quamociſſimè Lutetiæ, cautè, an temere? ſubueniatur, hoſtibus, & cibo portas patefacturam ſine prælio, ſine vulnere; quò maiori Nauarræ Regis gloria, eò grauiori dedecore Fœderatorum; queis in cauſa tam ſancta, non animus, non conſilium fuerit, ad promerendam qualicumque certaminum exitu, certam palmam. Tunc omni Catholico nomine cum Lutetia deleto, ſuperſtitibus paucis, ad arbitrium victricis Hæreſis, pereundum ne, an (quod miſeriùs) viuendum, ludibrio reſeruatis, & ſeruituti? Ecquem tunc vſum tam curioſè conſeruati Fœderatorum exercitus fore?

Contra diſſerunt Hiſpani ſtare remp. exercitu ſtante, nec in tectis mœnibuſque Lutetiæ ſitas Galliæ fortunas, ſed in bellatorũ pectoribus dexteriſque.

Maximum ſubijciebat, ex Hiſpanis proceribus Aſculi Princeps: Nam exercitu ſtante, ſtare rempublicam, iacentem erigi, neque perditam reputari, legionibus ſaluis. An in vrbis vnius tectis, mœnibuſque Catholicæ Galliæ fortunas, non in tot fortium bellatorum pectoribus, ac dexteris contineri? Replicarent memorias temporum, vtrum exercituum ſpem in vrbibus, an vrbium ſalutem in exercitibus poſitam reperturos? Deſertas à ciuibus, authore

The-

Themiſtocle, Athenas, Perſiſque ab hoſtibus deuaſtatas, non ne, ligneis in caſtris enatante ciuitate, ſuperfuiſſe victoriæ? Quid? Romam Pompeij fugâ Cæſari proditam num ciuium tecta, num Deorum templa captiua prohibere potuiſſe, quo minùs Italiâ ſuâ exul, atque in Græciâ peregrinabunda Pompeianis in caſtris obſequia famulantis Orbis exciperet? Tunc ſe victam, & ſub Cæſaris iugo ſeruam ſenſiſſe, cùm Pompeius, poſthabitâ ſalute rumoribus, quam ſapienti fugâ ſeruauerat, inconſulto certamine in perpetuum afflixit. Catholico Fœderatorum exercitu, Galliæ, Belgijque ſpes niti. Quis furor, eum obiectare belli caſibus, cuius caſum ruinæ Regnorum conſequerentur? Neque ſuas fortunas modò, ſed futurarum ætatum, in diſcrimen offerre. Cùm enim à iudicio martis in bello prouocatio non ſit, talem fore apud poſteros Catholicæ rei conditionem, qualem illius exercitus victoria, ſeu clades fecerit. Adeò ne longum tridui ſpatium videri, vt eius moræ impatientiâ in ſumma pericula ſe induant? ne ſcilicet cum tormentorum apparatu equitem grauis armaturæ, binaſque Vvallonum legiones, grande ad victoriam momentum expectent. Interim verò caſtra Fœderatorum conferre Hoſti copijs duplo ſuperio-

Exẽplo Reip. Athenienſis, quæ Vrbe a Perſis diruta, ligneis in Caſtris victoriæ ſuperfuit.

Et Romanæ, quæ poſt Romam à Cæſa. receptam, Italia ex vt in Pompeianis caſtris erecta Curia orbis terrarum obſequia excipiebat.

Plutarchus in vita Pomp.

Non eſſe obiectandum periculis fœderatorum exercitũ quo ſpes regnorũ Galliæ ac Belgij nitebantur nõ in præſentem modò, ſed etiã in futuram ætatem.

Nec pœnitendam tridui moram per quam grandis acceſſio viriũ fœderatis facienda ſit.

periori (quæ altera Gallorum ſententia erat) quantæ opus aleæ?ne commeatu intercluſi, dum commeatum ferunt, ne obſeſſi, dum obſeſſos vindicant, eò adducantur, vnde non minori pretio, quàm indecoræ fugæ, vel iniquæ pugnæ, ſe rediniant. Sed neque concluſos vrbe Pariſienſi Ciues tam præcipitem audaciam optare: Quorum ſi tenue vulgus, viles animas, neceſſitas famis abſumat, hos cum grandi ſolatio decedere, quod ſuperſtitem patriam, Religionem, Regnum relinquant. Niſi furioſè malint habere ſocios cladis, quàm miniſtros vltionis, & quod Tyrannorum fuit votum, rempublicam ſecum interire.

Diſſentientibus conſiliarijs interceſſit Alexander, qui Gallorum ſẽtentiæ in ſpeciem fauet: miſſis Capiſucchio & Zunica ad explorãda loca, quæ Maineus occupãda deſignauerat, vt in Vrbem cibaria inferri poſſent.

Vera hæc, ſed auribus Gallorum ingrata, ſuper ſuarum vrbium excidijs philoſophantibus Hiſpanis interceſſit Alexander, quorum defenſioni arma deuouerat, illorum ad voluntatem ſententiam temperans. In Mainei opinionem venire ſe dixit: Miſſurum qui regionem à Duce indicatam propiùs inſpiciant (Capiſucchium & Zunicam cum Propertio machinarum architecto deſtinauit) prout hi aduerterint, & retulerint, conſilium fore. Si locus idoneus fuerit, vbi caſtra communiri, transferrique inde cibaria in vrbem queant, quin eò protinus moueat, nul-

nulla denunciatione periculi territum iri. Viginti militiæ annis ita ſe conſuefeciſſe, ac legiones ſuas inter ancipitia belli, vt in ſola magnitudine animi, contemptuque periculorum ſpem reponant.

Hæc in Senatu animosè ad Gallorum voluntatem, quamuis aliter animatus, diſſeruit. Opperiendam quippe non modicam ſui exercitus partem intelligebat: ſine qua tentare certaminis fortunam non temeritas experienti Duci, ſed dementia videbatur. Cæterum animi valde anxius cùm proſpiceret, nō minùs negotij futurum cum amicis Gallis in caſtris, propter opinionum diſſidia, quàm cum inimicis in acie per contentionem armorum. Eam ſollicitudinem intenderunt allatæ poſtridie Lutetiâ literæ. Quibus à Bernardino Mendozza Oratore Regis Hiſpani monebatur, caueret à Gallicis conſiliarijs. Vniuerſam bellici Senatus deliberationem amicis, & propinquis in caſtris Nauarræ Regis militantibus aperuiſſe. Seu quod hunc amicitiæ fructum ducerent, inuicem ſe monere; nam & à Nauarræis Gallis ad Fœderatos, quamuis non ità crebræ, nunciæ literæ commeabant: ſeu quia de publicis malis aliquid priuati commodi captantes, in duabus vellent ſedere ſellis, in altera cauſa

Sollicitudo Alex. propter præuiſa conſiliariorum diſſidia, & arcanorū promulgationem.

Quoniā Galli de publicis malis aliquid priuati commodi captabant: vt ſellis in duabus ſederent, & vtra partium vinceret, triumphū canerent.

corpore, in altera animo verſari, & vtra partium vinceret, triumphum canere. Accedebat odium inſitum gentis ab antiquo æmulæ, moribuſque diſſimilis. Quod recentibus beneficijs vtcunque repreſſum, non extinctum, ſubinde repullulans, tamquam verum ſuggerebat vetus illud: bonum Gallum non haberi, qui non, occaſione datâ, malè perditum Hiſpanum iret.

Cui ſanè dicto nonnihil redolenti malignitatis antiquę in genus humanum iam inde à primo genitore transfuſæ, nouum aliud, veriuſque pietas Pariſienſium in hoc bello ſubſtituit. Siquidem increpiti aliquando à Nauarræis, quod Vrbis cuſtodiam æmulæ, ſuſpectæque nationi ouem lupo credidiſſent, reſpondiſſe feruntur: ſe Catholicum quemque, vndelibet gentium ſit ortus, pro ciue, pro cognato, pro parentibus habituros. Neque tantam Pariſienſium in fide peregrina fiduciam fruſtratus euentus fuit, amborum virtutibus fauente cœlo. Cùm enim Farneſius Catholico Regi fidem ſuam obligauiſſet, ſe omni ope perfecturum, ne Lutetia ſeù vi, ſeù dolo ab Hugonotis interciperetur, eò ſubinde pro varijs neceſsitatibus, Catholicos milites immiſit, Germanos mille quingentos primùm ſub Collealto; deinde tria Vvallonum millia ſub San-

quin-

quintino, ſub Petro Caietano, & Alexandro de Montibus Italos ampliùs mille, ad vltimum, Hiſpanas quoque legiones; atque horum omnium fideli operâ, Ciuibus ipſis collaborantibus, ita propugnata Lutetia eſt, vt niſi poſtquam Henricus Quartus Eccleſiæ ſe Catholicæ reddidit, haud quaquam in eius poteſtatem Vrbs Catholicæ Religionis in Gallia Caput venire potuerit. Sed hæc aliquot poſt annos, & Alexandro iam vitâ functo contigerunt.

Interim reuerſi, exploratâ omni circum regione, Capiſucchius, & Zunica, cum caſtrorum architectore renunciant, monſtratos à Maineo campos, & colles Nauarræis tentorijs proximos, minimè aptos ponendis, muniendiſque Fœderatorum caſtris videri: propterea quod eminentia circum iuga, præſidijs, tormentiſque hoſtium tenerentur. His rebus in ſententia firmatus Alexander, modò vnam, modò alteram cauſam prætendere ſtatuit, ne, ante poſtremi agminis aduentum, de ſumma belli decerneret.

Capiſucchius & Zunica referunt regionem à Maineo deſignatam, ineptam eſſe caſtris ponendis.

Neque ſemel à Maineo Pariſienſium querelis incitato oppugnata Ducis conſtantia eſt; eòque ventum aliquando, vt, cùm certum hominem adduxiſſet vrbanæ neceſſitatis, & deſperationis vltimæ teſtem, omnes Cœlitum, homi-

Maineus literis Pariſienſiũ incitatus iterum Farneſiũ, ad faciendam irruptionem inſtigat.

numque diras in ſuum caput aduocaret Maineus, niſi protinus cum ſuis turmis, pro ſalute vrbis miſeræ, fruſtraque tam piæ, ſe deuoueret: ſedentibus Hiſpanis, otioſeque ſpectantibus caſus, cum periclitantium, tum pereuntium ſociorum; quare Religionis excidio ſuperſtites, neque cui vincerent, neque pro qua occumberent, habituri eſſent.

Senſit Farneſius, magnitudinem doloris commoto nimiùm animo prudentiſſimi Ducis nebulas offudiſſe: verumque illud Spartani Regis: Difficile eſſe miſerari, & ſapere. Ne tamen, contra tendendo, dolorem exacerbaret, neue per ſilentium inuidiam admittere videretur, ita reſpondit, vt negaret, futuram in ſe moram, quò minùs ex arbitrio Mainei, vrbi de Catholico Fœdere optimè meritæ ſuccurreretur. Petijſſe quidem triduanæ moræ interſtitium, dum extremi agminis copias, cum tormentorum apparatu ſibi adiungeret. Neque credibile viſum: quam menſium quatuor ſpatio, tot belli, famiſque mala non infregiſſent conſtantiam vrbis, eò impatientiæ ſubitò venturam, vt obuerſante in conſpectu, interque ſtationes hoſtium amico exercitu, aut deſperatione præproperâ Hæretico Regi ſe dederet, aut, quod perinde flagi-

Plut. in vita Ageſilai.

Sed Alexãder Maineum, obſecundando ſuam in ſententiã trahit.

flagitioſum, auxiliatorum conſilia in caſum ancipitis euentus præcipitaret. Quæ ſi plebeculæ, non Principum, atque ipſius Mainei iudicia eſſent, neglecturum meritò ſe, neque deſideria imperitorum ante publica commoda poſiturum. Nunc auctoritati Ducis partium, conſenſionique Procerum, quî obſiſtere ſe poſſe, quin det manus, & quorum defenſioni ferrum ſtrinxerit, eorum ad voluntates iudicium flectat? Duo tantùm orare, ne conſilium ſuum, quod ſalutare hactenus celeritas fecerit, exitiabile rurſus præcipitatio reddat. Primum, vt, quando graue admodum ſit opperiri apparatum tormentariæ ſupellectilis, intra triduum ex Belgio aduehendum, Dux Maineus, & Galli Proceres, vndecunque ipſi conquirant, quanta nitrati pulueris, funis igniarij, & glandis plumbeæ, ſatis certamini copia futura ſit; præterea ingentem frumenti, frugumque omnis generis numerum, pro magnitudine vrbis, in plures dies reficiundæ, cum vehiculis iumentiſque ad comportandum idoneis. Secus: inermes milites feſtinaturos ad cædem, non ad prælium, & luxuriaturum victoriæ gaudium, per quam Lutetiæ fames non leuaretur.

Certamini enim aſſenſum promiſit modò Maineus & Galli Duces duo maximè neceſſaria cōpararent: primo ſupellectilem tormentariam præliaturis, deinde commeatum Vrbis fami ſubleuandæ.

Hac ratione cùm Parmenſis Maineo poteſtatem rerum omnium feciſſet, enim verò permiſit nihil.

nihil. Nam, quantálibet adhibitá diligentiá, tormentariæ ſupellectilis modus perexiguus repertus eſt; neque res cibaria, cum vecturis, inſtrui tam breui poterat, quin ad tridui ſpatium mora extenderetur. Ita ſolertiá Farneſij factum, vt Mainei Dux, & Galli Proceres, voluntatem ſummam pugnandi, ſuperſedendi neceſſitate maiori victam agnoſcerent, quin vltro in poſtremi agminis aduentum profectionem ad hoſtes, pugnamque proferendam putarent. Huic acceſſit alia ex incommoditate commoditas ad rem protrahendam, inopia pecuniæ ſoluendæ pro mercede cibariorum. Quæ ſcilicet Galli venditores tradere recuſabant, pretio non antea numerato. Neque Maineo ad cogendum authoritas, neque facultas ad erogandum aderat. Ad Hiſpanorum igitur ærarium confugiendum fuit, multùm ſtomachante Alexandro: Quaſi ad Catholicum Regem, propter admiſſum in clientelam Fœdus Gallicanum pertineret, non milites Galliæ modò, & æra militibus, verùm annonam quoque vrbibus prouidere. Nihilo ſeciùs occaſionem inde nouam ſtabiliendæ ſententiæ ſuæ nactus eſt, propterea quod Hiſpana pecunia, cum poſtremo agmine, lentiùs incedebat, ad omnem rumoris hoſtilis auram reſtitans, & vitabunda.

Sed Maineus & Proceres Galli neutrũ præſtare potuerunt.

Acceſſit inopia pecuniæ erogandæ pro cibarijs, cum Ducis Mainei ærarium ſemper eſſet vacuum, & Hiſpanicum aurum cum vltimo agmine tardiùs aduentaret.

bunda. Accuratè id mandauerat Alexander perinde ſollicitus, ne auri inſtrumentum, ferrum tractantibus tam opportunum periret ſibi, quàm ne hoſtis potiretur. Cuius auiditatem timebat ne alliceret amabilitas prædæ, quam peditum quatuor millium acies, modico equitatu firmata comitabatur. Quare miſsis identidem nuncijs admonere non deſtitit, vt inſtructo ſemper ad præliandum agmine, interdiu iter faceret, excurſorijs equis ad explorandum non minùs, quàm ſenis, octoniſque quoquo verſum dimiſsis: noctu ſubſiſteret munitis in locis, equitatu in ſellis excubante, mediâ etiam parte equorum infrænatâ. Si hoſtis impeteret, tamdiu ſuſtentaret, donec à propinquo exercitu cohortes, & alæ ſubſidio mitterentur. Verùm, hoſte nihil attentare auſo, fuere monita citra vſum, non citra laudem Ducis, in aduerſariorum quoque partes intenti, vt ſuas vigilantiùs cuſtodiret.

Quando res bello gerendo maturæ non erant; artificioſis de pace colloquijs tempus extrahere, Mainei conſilium fuit. Ter initum fuiſſe pacificationis negotium, ex quo Lutetiam obſidio premere cœpit, inuenio. De primo iam diximus, quando, Belgico exercitu nondum Gallias ingreſſo, fortuna Nauarræ Regis vrbem circum-

cum-

cumſidentis haud dubiè ſuperior erat. Alterum tempus exponimus in præſentia, cùm Parmenſis armatus in propinquo, vrbem in ſpe non ſine metu, hoſtem in metu non ſine ſpe potiundæ vrbis detinebat. De tertio deinceps actum, quando ſubnixi vtrinque Galliæ, ac Belgij viribus duo exercitus in occurſum conſurrexere. Prima tractatio Ciues authores habuit: Secunda non magis Ciues, quàm Nauarræos: Tertia Nauarræ Regem. Quamquam in poſtrema ita de pace actum, vt ſtatim ſublatum omne pacis commercium fuerit.

Increbreſcente rumore accedentis Alex. Rex tractationem pacis reſumit.

Cùm itaque prima pacificatio non proceſſiſſet, propterea quod Rex Henricus Lutetiæ Oratoribus in Mainei caſtra tranſitum poſcentibus, abnuerat: poſt paulò increbreſcente fama, Belgicum exercitum, contra quàm ſperauerat, aduentare, Pariſienſis vrbis legatos in caſtra reuocauit. Cauſa ſubitæ mutationis prætendebatur vnius ex Proceribus Catholicis conſilium, & preces. Hic è caſtris Regijs ad Senatum Pariſienſem ſcripſit, authorem ſe fuiſſe Regi, ſi pacem ex animo optaret, vt de priſtina duritia remitteret. Eam quippe Lutetiæ ciuibus, cum Mainei Duce conſiliorum communionem intercedere, ſiue pax, ſiue bellum ageretur, vt neque vita, neque

que morte diſiungi obſtinauerint animos. Fide igitur publicâ rurſus allatâ, Vrbis Oratores Cardinalis Gondius, & Archiepiſcopus Lugdunenſis, cum Præſide Pariſienſi Vetus nomine, ad Regem primùm cum veniſſent, conditionibus pacis ab eo acceptis, quas per idem tempus prolixiori ſcripto, tam in Mainei exercitu, quàm in vrbe Lutetiæ publicandas curauerat, in caſtra Fœderatorum ſe conferunt.

Hi conditiones ab Rege acceptas & voce ac ſcripto vulgatas in caſtra Fœderatorum deferunt.

Præter libertatem ſacrorum, & conſcientiæ ſecuritatem, quam Catholicis ampliſsimam pollicebatur, ipſi Maineo Burgundiæ Ducatus obtinendi regio iure ſpem faciebat, modò pacem amplecteretur, ſeque abiungeret ab armis, conſilijſque Hiſpanorum; in quos vehementer inuectus affirmabat: Obtentu religionis eò ſpectare, vt Galliæ regnum factionibus conſciſſum aut ſubigerent, aut euerterent, ne quam inijcere moram poſſet Auſtriacæ magnitudini Europæ imperium affectanti. Ecquid enim in finitimis regnis ab illorum cupiditate immune, inuiolatumque? Quò vel arma ambitioſa palàm non extenderint, vel occultè diſcordias de religione ſerendo, ægrum, & imbecille ad obſiſtendum non fecerint, ac proinde obnoxium potentiæ ſuæ? Toto ferè Belgio per vim ad priſtinam do-

minationem reuocato, imminere Germanorum libertati iàm graues: Italiam partim domitam, partim in plura Dominia diſtractam, ad excutiendum ſeruitium inutilem reddidiſſe: per natantium molium ſiluas, contabulato nuper oceano, maris dominam Inſulam armorum eluuione penè obrutam, niſi venti, ac tempeſtates interceſſiſſent. Quis furor, in Galliæ viſcera accerſere id malum, quod propinquæ gentes abominatæ, vix elementis conſpirantibus propulſauerint? At Catholicæ religionis cauſâ, pia Hiſpani Regis arma cum Duce Maineo conſociari: omittant ſpecioſa dicta, verumque proloqui libeat: regnandæ Galliæ cupidine vtrumque coniungi. Spem eſſe Maineo, deiectis Borbonijs, in vacuum ſolium ſe eniſurum, Hiſpano ſubleuante. Conſultiùs Hiſpanum, Galliæ ſceptrum ſuæ deſpondere potentiæ, poſteaquam Mainei ope Nauarræ Regem, ſuis deinde opibus Mainei Ducem inde deiecerit. An tantum Indici auri profudiſſe, tot equitum, peditumque conflaſſe acies, vt Galliæ Regnum alteri, quàm ſibi quærat? aut, ſi minùs externum Regem Galli patiantur, non alium quemlibet Hiſpani, quàm Maineum in Gallijs regnare malint; penès quem, ceu ſtipitem, Regius titulus, auctoritas penès Hiſpa-

Hiſpaniæ Regem futura ſit? Repudiarent Fœderati Galli Henricum Principem ex metu, quod alienior eius religio incolumitati animorum officiat: Admitterent intra Regni viſcera, pro Religione Catholica tuenda, externas legiones: næ ſenſuros breui (vbi iugum Hiſpanicum cum armis in collo ſederit) quàm temere ſecuri fuerint, quàm ineptè meticuloſi. Corpora quippe in ſeruitutem redigi ſolere, non animos, qui ſuæ ſpontis effecti, ne à conditore quidem & Domino mentium Deo, ne dum à Regibus, libertate ſpolientur ſua. Quin potiùs diſcuſſa caligine ciuilium odiorum, veri conſilij lucem aſpicerent, initâque cum legitimo Rege concordia, communiter arma in communem hoſtem verterent. Galliæ populos, eiuſdem ſermonis, & patriæ; leues ad tempus cauſas certaminum intercedere: aduersùs Hiſpanos, ingenijs, moribus, linguâ diſſonos, inſitum à natura diſſidium immortale, bellumque. Familiarum quoque Borboniæ, ac Lotharingicæ inimicitias, extinctis authoribus, extingui oportere. Se quidem, ſicut indignam Mainei fratrum cædem non approbauerit, ita, nec de illa vtcunque vindicata, vindictam quærere.

Reſponſum his breuiter à Maineo. Iam pri-

Reſpondet Maineus, ad Farneſium ſupremum Gallicani Fœderis Imperatorem ſpectare tractatum de cōditionibus pacis, aut belli.

dem ſe peroſum ciuilia bella, effuſionemque domeſtici ſanguinis, tolerabiles conditiones pacis fuiſſe amplexurum, donec regimen partium in manu ſua eſſet. Exinde, translato in Belgij Præfectum ſancti Fœderis principatu, belli, & pacis arbitria penès eum fore, qui auxiliaribus armis nouam partium venerationem hoſtibus incuſsiſſet. Se quidem niſi diuini, humanique iuris violator haberi velit, non poſſe à Religionis catholicæ propugnatoribus, ac liberatoribus Galliarum, conſilia, & arma, ſeiungere. Si Nauarræ Regi cum Orthodoxa fide conuenerit, ſecum pariter, & cum reliquis Fœderatis conuenturum. Secus, Mainei Ducem hoſtem fore ſempiternum Hæreſi, eiuſque donis. Quamuis in offerendo Burgundiæ Ducatu Rex non aduerterit, cuius ea tempeſtate ditionis Burgundia ſit. Quod vnum ſui iuris videatur in præſentia, ſe dierum aliquot indùcias non aſpernari: quibus interim de concordiâ cum propinquo Parmenſi rranſigi queat. Pacis inſtar breuis inducias eſſe, longiorique concòrdiæ proludere. Alterum ex altero naſci, ſemel poſitis odijs, & libata quietis iucunditate. Haud improbabantur inducię Regi Henrico; non quod pacem inde conuenturam ſperaret, aut Hiſpanorum Regem Galliam regnandam permiſſurum ſibi,

Se induciarũ negotio aures daturum, quæ ſint inſtar pacis breuis, & prolixiori proludant.

ſibi, quem ne Nauarræ quidem Regis nomine dignaretur: ſed quoniam ipſe quoque peditum, equitumque ſubſidia cum Turenio opperiebatur, nobilemque iuuentutem, in ſingulos dies, ad famam propinqui certaminis accurrentem. Verùm in eo res hæſit, quod vterque ſibi partes alendæ tempore induciarum Vrbis depoſcebat. Nauarræ Rex, vt ex ciborum pretijs ingenti collectá pecuniá, egeſtatem militum ſubleuaret: Maineus, præterquam quod in idem lucrum intenderat animum, nolebat aduerſarium impendio ſuorum creſcere. Sed ambo ſpecioſa loquebantur, maligniùs, aut liberaliùs, alteri ab alteris alimenta præbitum iri.

> Induciæ non procedũt, quoniam tam Rex quã Dux Mainei, Lutetiæ cõmeatũ inferre cum ingenti lucro, tempore induciarum volebat.

Per eiuſmodi contentiones, cum induciæ vltro citroque iactatæ cum Maineo, non conueniſſent, Oratores Meldas profecti de pace Farneſium appellant. Is priuatim omnibus humanitatis officijs erga Lutetiæ legatos functus, abnuit mentionem de republica, præterquam in concilio, coram proceribus vtriuſque gentis, admittere. Illic, ſuadenti concordiam Gondio Cardinali, & Pariſienſium neceſſitates, Regiſque potentiam in maius attollenti, ſubiecit Alexander: Se, iubente potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Philippo, cum auxiliaribus copijs Gallias intraſſe, vt

> Lutetiæ Legati Meldas ad Alexãdrum veniunt.

> Quos ille in concilio procerum vtriuſque gentis excepit.

> Gondio autẽ Cardinali ad pacẽ hortanti, negauit ſibi cũ Hugonotis vllum commerciũ alibi quã in acie per vulnera & cædes fore.

ſe, vt propugnatorem religionis, non vt diſceptatorem de conditionibus pacis cum Hugonotis. Quamobrem cum ijs nullum interceſſurum ſibi, ſuiſque legionibus alibi, quàm in prælio, per vulnera, cædeſque commercium. Has cenſere partes Catholici Imperatoris, eo magis Gondio Cardinali approbandas; quod ipſe infulâ, purpuráque geminis ſanctioris dignitatis inſignibus inter Catholicos fulgeat.

Per hæc dicta, concordiæ tractatione reiecta, Vrbis legati, pacis irriti reuertuntur ad Regem.

Pace infecta Legati redeũt ad Regem.

Qui à ſpe potiundæ vrbis deuolutus, & quod Angliæ Regina prædixerat, inſtauratum reputans bellum, ſuamque rurſus in ancipiti fortunam, temperare non potuit, quin conuerſus ad alterum è legatis, Vetus nomine Fœderatis addictum (nam Gondius Cardinalis Regis cauſæ ſtudere putabatur) exclamaret: Ita ne rempublicam Pariſienſes præſides tractatis? vt ciues meos oblitos iuris, & legum, oblitos patriæ charitatis, externis ſeruire dominis, quàm legitimo Regi obſequi præſtet? Cui Vetus Gallica libertate: Crimen hoc in ipſius Regis maieſtate hærere reſpondit; qui, niſi Catholicam religionem abnueret, eum iam pridem Gallia vniuerſa complecteretur Principem. Ad hæc inflammatus ira-

Qui expoſtulat cum Præſide Pariſienſi Fœderatis addicto.

Sed hic regerit culpam in Regẽ abnuentem reuerti ad Catholicã fidem.

iracundia Rex, faceſſere iubet hominem è conſpectu: Neque enim, pro deligendo genere religionis, rebellium Ciuium ſibi conſilio opus: Diuinorum voluminum, conciliorumque placitis acquieturum: armis verò domiturum contumaces, perfecturumque vt ſentiant: columbæ cor, in ſtomachum leonis eſſe conuerſum.

Quare Rex iratus Gallis omnibus Fœderatis minatur.

Interim exercitus ambo augeſcunt, Regius Turenij cum Gallica nobilitate, Fœderatus Mottæi ac poſtremi agminis aduentu.

Dum tempus diſceptando de pacis conditionibus teritur, operæ pretium eſt factum, per auxilia vndique partibus aggregata. Nam Vicecomitis Turenij aduentu, cum pleraque prouinciarum nobilitate Henrici Regis exercitus auctus eſt, & Mottæus caſtrorum, reique tormentariæ Præfectus cum Belgicæ nobilitatis equitatu firmiſque Vvallonum legionibus, & ſupra triginta variæ magnitudinis tormentis, noctu ad oppidum Liſiacum venit. Redintegrauere partibus ad præliandum animos, florentes exercituum vires, quarum accuratiorem inire cenſum in præſentia, vti lectori non iniucundum, ſic arduum ſcriptori fuerit. Siquidem nihil incertius firmari ſolet, quàm de numero copiarum in bello. Cum enim vniuerſæ cohortes, ac turmæ luſtrari oculis imperatorum nequeant, fides habenda eſt relationi miniſtrorum ſæpiùs infidæ, quia vel fallunt, vel falluntur. Nam tribuni quidam,

Certū numerū inire copiarū difficile.

Cauſę eiusdifficultatis.

Pet. de Caſtro in Cōmen. a. 1590.

dam, centurioneſque vt ſtipendia intercipiant, in cenſum bellatorum complures referunt nomine tenus militaturos. Luſtrationis verò tempore, quo æra ſolent emeritis erogari, certos homines militari ornatu producunt velut in ſcenam horarios bellatores. Quod latrocinium in caſtra receptum, domeſticumque, vt cohoneſtent vocabulo, induſtriam appellant. Neque ducibus vindicandi cura, ſeu conſcijs olim paria peccauiſſe, ſeu metu militaris inuidiæ, ſeu denique, ne fruſtra obnitendo palam faciant, quibus flagitijs impar ſit ſeueritas Imperatorum. Hinc illa varietas inter hiſtoricos numerum referentes copiarum, quibus omnis ætatis, & memoriæ clariſſimi Duces maxima bella capeſſiuerunt. Sic Alexandro Macedonum Regi ad Aſiaticum bellum contendenti, qui minimum, triginta peditum, quatuor millia equitum, qui plurimum, quatuor & triginta peditum, equitum millia quinque adfuiſſe ſcribunt. Annibali verò Carthaginienſium Ductori in Italiam tranſgreſſo, ab alijs peditum triginta millia, ſena equitum, ab alijs octoginta millia peditum, equitum dena contribuuntur. Cum in ambobus Orbis terræ non minùs conatus, quam euentus magnitudinem miratus fuerit, per alterum euerſo Perſico imperio, Romano

Plut. in vitis Alex. & Annibalis.

no per alterum conquaſſato. Sed neque in Hiſpani Regis exercitu recenſendo, quo Alexander Parmæ, ac Placentiæ Dux Gallias ingreſſus Lutetiam Galliarum caput obſidione arctiſſimá liberauit, vt in expeditione noſtræ proxima ætati, ſatis conſentiunt Scriptores. Nam quidam, vt omnia paria velut in iuſto duello faciant, quadraginta millia bellatorum vnumquemque ſub ſignis habuiſſe tam Henricum Regem, quàm Alexandrum Ducem affirmant. Alij quinque ſupra viginti millia peditum, equitum quinque millia meruiſſe ſub Duce Farneſio, Regi autem Henrico millia ſeptem equitum, peditum viginti millia militaſſe. Equidem, ſicut non abnuerim geminos exercitus robore militum, ac numero fuiſſe non impares, ita compertum habeo, genere virium inter ſe diſſimiles plurimùm diſcrepaſſe. Quippe acies Alexandri peditibus maximam partem haſtatis horrebat, more Romano; cùm Regia agmina generoſorum equitum multitudine, ac virtute præſtarent.

Pet. de Caſtro in comment. an. 1590.

Pro certo illud habetur ambos exercitus inter ſe fuiſſe magis pares, quàm ſimiles.

Pigafetta in relatione obſid. Pariſien.

Iam verò cùm aduentus noctis tertiam Belgici exercitus aciem ſubſiſtere coegiſſet in aperto, & obnoxio incurſionibus pago, hoſtilis aggreſſionis opinio falſa repentè ad arma excitauit. Erroris occaſio fuit inepta feſtiuitas militum vltimæ

Exercitus Fœderatorũ fortuitò ad arma, excitatur diſploſis temerè ſclopis à militibus poſtremi agminis.

cohortis,qui incertum quâ cauſâ (perleuem fuiſſe poſtea conſtitit) tubos grandiores diſploſione ſubitâ exonerauerant. Hæc pro inimica eſt habita reliquo agmini, in tanta hoſtium vicinitate, ſuſpicionem tenebris intendentibus. Vigilantem militem,& ad ſubita bellorum interritum hic tumultus oſtendit. Nam & confeſtim ſuis inſtructa manipulis gradum compoſuit ad præliandum pedeſtris acies, & equites hoſti refellendo prompti frænatos iam equos circumegerant, & ad iaculandum in circumiectam planitiem idoneis locis tormenta diſponebantur. Strepitu Meldas perlato (tribus inde millibus paſſuum diſtant) Alexander itidem peditem, equitemque apertos eduxit in campos, non tam ad ordines commodiùs explicandos, quàm quod ita ſociæ ciuitati fideret, vt aduersùs perfidiam ſuo ſe marte protectum mallet. Superueniente tandem Duce Maineo, qui eodem terrore excitus,omnia circum loca cum globo equitum obeundo, vanum deprehenderat, legiones ad quietem in caſtra ſunt reductæ. Neque tamen ſuperuacuus Farneſiani militis labor fructu ſuo caruit. Nam Fœderatis Gallis ingens fiducia partium acceſſit, cùm alacritatem militum, prouidentiam Ducum, arma, ſigna, ordines in procinctu, momen-

Diſciplinam Farneſiani militis hic error oſtendit.

Duce Maineo tranquilla circum omnia nunciante, legiones ad quietem in caſtra reducuntur.

to om-

to omnia adminiſtrata mirarentur. Inſequenti nocte, quod ſuis caſu obtigerat, hoſtibus conſultò reponendum ratus Parmenſis, Blaſium Capiſucchium ſubmiſit, qui cum lancearijs equitibus ſomnum, & ſecuritatem excuteret Nauarræis.

Poſtera nocte Alex. iuſſu à Fœderatorum equitibus caſtra Regiorum inquietantur.

Verùm amplificatis vtrinque viribus conſilia de mouendis caſtris eodem tempore ab Ducibus agitata. Et quidem hactenus Nauarræ Rex diſcedere tantæ ſpei irritus ab obſidione noluerat. Pudor, ira, dolor non ſinebant amittere captam penè prædam è manibus, eò violentiâ famis adductam, vt quatriduum ad ſummum ſuſtentatura Lutetia crederetur. Huc recidiſſe tot ſudatas in oppugnandis arcibus dies, tot vigilatas in adſidendo noctes, vt in ludibrium verterent tum hoſtium, tum amicorum? Illuſuros abſcedentium tamquam fugientium tergis Pariſienſes deſertas munitiones, ac direpta caſtra calcantes. Quá verecundiá Britanniæ Reginam, & Proteſtántes Germaniæ Principes fidem glorioſi promiſſi requiſituros? Quibus firmauerat fore, vt feſtâ Diui Bartholomæi luce Lutetiam captam ingreſſus, nomen diei olim funeſtum cæde partium, lætum, inclytumque recenti triumpho faceret. Hæc reputans generoſus animus in veſtigio mori

Aucti copijs partiũ Duces eodem tempore de mouendis caſtris deliberant.

Henricus Rex ægrè adducitur vt deſerat Lutetiam penè captam.

Diuiſo exercitu obſidionē continuare, & obuiā ire Farneſio cogitat.

malebat, diuiſoque bifariàm exercitu, & occurrere venientibus Fœderatis, & obſeſſam premere vrbem, meditabatur. Ex altera parte retinebat in ancipiti Regia conſilia celebratum exercitus Belgici, ſub Alexandro Duce, robur, & diſciplina haud quaquam in tam vili æſtimatione apud ipſum, vt crederet impunè poſſe contemni. quos videlicet ſi modicis tentaret viribus, victoria ſperanda magis eſſet, quàm clades metuenda. Quin, etiam ſi vniuerſis accinctus copijs in occurſum progrederetur, vix vllum ſpei bonæ exitum reperiebat, Farneſianâ gerendi belli ratione compertâ. Quî enim victoriam ſperaret de Hoſte ne pugnæ quidem copiam facturo? Munitis in caſtris, veluti firmiſſima in vrbe, concluſum ſe inuehente, ne inuitus illinc ad periclitandum de ſumma rerum extraheretur? Quânam arte retenturum milites ſuos, quibus pro ſtipendio vna ſpes pugnæ, ac rapinarum, quin inopiâ, deſperatione, ac moræ tædio fracti dilabantur? Peroſi ſcilicet genus belli, hoſtemque tam auarum; à quo, ne vulnera quidem & cædes, ne dum victoriæ per certamina extorqueri queant. Inter hos æſtus cogitationum fluctuanti ſalubre viſum ſententias Ducum exquirere,

Senatum bellicum conſulit.

Conuenere Monpenſerij & Niuernenſium Du-

Thuā. l. 99. Cater. lib. 11.

Qui ſuadet relinquendam vrbis obſidionē, cauſaſque affert.

Duces, Aumontius, & Bironius, Turenius, & Guichius, Nuanus, alijque. Omnes ferè conſentiebant, minimè tutum partiri copias, vel ambabus, vel alterutri hoſtium parti futuras impares. Quin, & in ſuperuacuum, extraque omnem ſpem, obſidionem productum iri. Nam eam egeſtatem eſſe, miſeriamque peditum, quibus nulla iam corporum tegumenta ſuperſint, præter arma, vt, qui ad cuſtodiam vrbis deſtinentur, cuſtodiendi magis ipſi ſint, ne acceptâ clam pecuniâ, vel alimenta inferri ſinant, vel vltro inferant. Neque verò ſpeciem præbituram fugæ profectionem, per quam Nauarreæ copiæ, relictâ vrbe ſemiuiuâ, contra Fœderatorum exercitum viris, armiſque validum tendant. Quem ſi prælio, aut belli difficultatibus propulſum retrocedere contingat, quàm breue gaudium fore liberatæ Lutetiæ? quàm citò in priores anguſtias redituram? cùm eius altricia flumina, & gemina quaſi vbera, Matrona, & Sequana Nauarreis præſidijs teneantur? Apparebat vacuos à nube perturbationum animos, veriora ſentire. Deſeri ergo vrbem obſeſſam placuit, vt in campo per certamen expugnaretur. Prolata tamen res fuit in alterum diem; dum ipſe Rex profecturus cum duobus equitum millibus, ad ſpeculandas vires

Fœ-

Fœderatorum, conſtitueret; quibus locis, temporibuſque moderaretur bellum. Iam verò per idem tempus apud Fœderatos quoque; non minùs ferociter ab Hiſpanis, quàm à Gallis, hoſtis, & prælij copia poſcebatur. Faciebant animos quatuor ſupra viginti peditum, quinque equitum millia, quorum tredecim millia peditum, maximam partem haſtatorum, tria millia equitum lanceis, loriciſque fulgentia, ipſe Alexander adduxerat; tot arcium, & certaminum victrices manus, arma reſperſa Batauo, Britannico, Germano, Francico cruore geſtantes. Rectâ militari viâ, cum carris, omnique apparatu cibariorum decernunt Lutetiam ire. Cui, fama erat, Regium exercitum adſidere, non foſſâ, non vallo præcinctum, ſed in patente campo, vel apertis in pagis excubijs tantùm, & ſtationibus tutum. Exinde nouis conſilijs, nouam materiem ſuffecturum hoſtem. Nam ſi, quâ parte Fœderati ſuccedant, eâ modicam aciem opponat: minimè arduum negotium fore, vnam vel alteram Hugonotorum ſtationem, totâ mole virium obruere: aut, ſi confluentibus aliunde copijs, impetum vno in loco ſuſtentare pergat; circumductis repente annonarijs curribus, incuſtoditam alibi vrbem penetratum iri. Sin, hoc intellecto periculo,

Eodem tempore Fœderatorum exercitus caſtra mouere cóſtituit.

Et rectâ Lutetiam cum cibarijs tendere.

lo, Nauarræ Rex reuocatas ab obſidione copias omnes in occurſum Fœderatorum rapiat, adhuc operæ pretium fore leuatam obſidione Lutetiam. Reſpiraturos enim laxatâ cuſtodiâ ciues, per alimenta ex vberrimo Pariſienſi agro ſtatim inuehenda, non tam à ſuæ, quàm ab aduerſæ factionis hominibus: vincente odia partium lucri cupiditate. Indicta eſt profectioni dies nobilis cæde Præcurſoris, tertio Kalendas Septembres. Iuſſuſque, relictis in vrbe Meldarum impedimentis, nihil efferre miles præter arma, quò viam expeditior, bellumque capeſſeret. Cùm verò inſtruenda eſſet ad iter, & ad certamen acies, Parmenſis certandum ſibi cum Gallis de humanitate cenſuit. Imperatorias ordinandi agminis partes vltro detulit Duci Maineo, vtque acciperet, vrgere perſeuerauit, tamquam impetraturus. At Farneſij obſequium refutante Lotharingo modeſtiâ pari, ille aliâ viâ eodem graſſatur, & primarios ductandi agminis honores in Gallos Principes, Duceſque confert. Primam aciem Aumaliæ Duci committit, comite addito Iatreo ſciente belli viro, qui iuuenem nobilem, & præferocem, conſilio regat. Extremæ pariter aciei præficit Salinij Comitem ex eadem gente Lotharinga, eique Ductorem inſignem Sanpaulum adiun-

Dies D. Ioãnis Baptiſtæ nece ſacer profectioni deſtinata.

Farneſius aciei ad iter & prælium inſtruendæ munus offert Duci Maineo.

Eo recuſante, ductandi exercitus primas partes in Principes Lotharingos, Galloſque Duces confert.

adiungit, incerta caſuum moderaturum. Medium agmen Maineo Duci regendum tradit, cui ſuus Præfectus caſtrorum Ronæus aderat, inclytum bellicis titulis in Gallia nomen. Tribus hiſce Gallis Principibus, non ſolùm Gallorum agmina, ſed Farneſianæ omnes cohortes, turmæque, Hiſpani, Belgæ, Vvallones, Itali, Germani, tum præclari ex varijs gentibus alibi Duces, hic milites, parere iuſſi. Quo facto, & amorem Gallicæ gentis generoſis artibus parari facilem Farneſius conciliauit ſibi, & exemplo Imperatoris in exercitum inducta humanitatis concertatio æmularum nationum voluntates conglutinauit. Hoc ordine profecti Meldis Fœderati, ad pagos Cleti, Frenique caſtra ponunt; ſub illorum aduentum cedentibus inde Nauarræis. In horum numero poſtea cognitum, fuiſſe Henricum Regem, qui cum parte equitatus eò venerat exploratum vires Fœderatorum, minimèque lætus inſpecto numero, ferociâ, diſciplinâ, ad Dammartini caſtrum, vbi cum Nuano Dux Longauillæ tendebat, celeriter ſe receperat. Præuolantes cum Appio de Comitibus primi agminis equites carros aliquot eius impedimentis graues diripuere; interque reliquam ſupellectilem, peramplum è Cameracenſi tela mantile, quo Regia

Humanitate Farneſij mirũ in modũ Gallorum animi externis conciliantur.

gia menſa Ducibus frequens inſterni ſolita. Id ſpolium ſepoſitum ſibi de præda Dux Appius Romam tranſmiſit, habendum familiæ ſuæ Regium Gallicæ militiæ monumentum. At Nauarræ Rex, comperto, Fœderatorum exercitum rectà, Lutetiam tendere; vt iter obſtrueret ferro, imperuiumque redderet, eâ ipſâ nocte, quæ feſtam Præcurſoris triumpho lucem eſt conſequuta, è Lutetiæ ſuburbijs, atque adiacentibus campis, euocauit copias ad Calas S. Gertrudis, municipium imminens mediæ viæ, quæ ab vrbe Meldarum Lutetiam ducit. Planities circumiecta pingui, & vbere ſolo; quà ſiluulis, & vinetis, quà ſtagnantibus aquis, vel irriguis diſtinguitur, tam communiendis caſtris, quàm pabulationi iumentorum, & hominum opportuna. A fronte conſurgunt modico tumore colles gemini, per quos Lutetiam verſus, à Meldis via militaris aſcendit. In collium radicibus, quæ Meldis obiacent, Freni, Cletique pagos caſtris Fœderatorum inſederat, munieratque Farneſius. Qui, cùm vlterius pergere, atque exercitum vniuerſum Calas adducere meditaretur, has præoccupatas proximâ nocte, obſeptumque eâ parte Pariſienſe iter, intelligit. Primo enim mane, cum quingentis lancearijs equitibus; fiſtulatoribus mille

Chelles.

Nauarræ Rex exercitum ſuũ à ſuburbijs Lutetiæ vocat ad Calas S. Gertrudis, vt iter Pariſiẽſe prohibeat Fœderatis.

Frene. Claye.

Farneſius exercitum promouere cogitans ad Calas, has præoccupatas à Regio exercitu animaduertit.

ducentis profectus, vt locum ponendis caſtris accommodum aſpectu præciperet; minus duabus leucis proceſſerat vſque ad verticem collis, cùm in plano Regiæ cohortes numeroſis circumfuſæ turmis apparuere. Ab excurſorijs equitibus, leuis commiſſa pugna, breui dirimitur. Siquidem Rex Henricus, adeſſe cum Imperatore Fœderatorum exercitum ratus, de faſtigio collium, in campos à ſe munitos, dimicantes pellicere conabatur. Parmenſis verò, qui locum non prælium quæſitum venerat, ſatis habebat illic ſubſiſtere, vnde ſecurus, latera ſclopetarijs tegentibus, omnem ſubiectam regionem, Regiaque caſtra per otium contemplaretur. Occidente demum ſole, redit ad ſuos lætus primitijs victoriæ; quod conijceret, affirmaretque detractos à ſuburbijs Nauarræos, aliquid laxamenti Lutetiæ neceſſitatibus dediſſe. Nec aberraſſe coniecturam, paulò poſt Nemoroſij Ducis literæ docuerunt. His nunciabatur, ob remiſſam cuſtodiam, eum frugum numerum inuectum, qui alere tantam ciuitatem ad quindecim dies commodè poſſet. Quamobrem monebat Fœderatorum Duces, vt ſeclusâ Lutetiæ curâ, quibus conſilijs rei ſumma proficeret, ijs bellum adminiſtrarent. Noctu, non ſine trepidatione, ac tumultu

Reuertitur in caſtra lætus ob laxatam Lutetiæ obſidionē.

Idque confirmant Nemoroſij Gubernatoris literæ.

multu

multu per abſentiam Regis, & primorum Ducum, vaſa collegerant Nauarræi. Supellex militaris, tentoria plura, multa veſtis intercepta; & quod plurimi æſtimatum apud obſeſſos, ingens rei cibariæ modus. Partim, inſtante profectionis horâ, auferre neglexerant milites, rerum chariorum ſolliciti: partim, eâdem ſubacti neceſſitate, cum ſuis carris, & iumentis reliquerant inſtitores. Qui cùm frumenta vili pretio coëmpta vndecumque contraxiſſent, vt in vrbe propediem deditionem factura grandi pecuniâ diſtraherentur, ea mercatorum auaritia mulctata, in permagnum vrbanæ plebis commodum vertit. Cuius egeſtati ſubleuandæ, gratuita huiuſmodi congiaria præparauerat Deus, præmium Fidei vſque ad vltimum malorum inuictæ. Poſtquam, ſilentio primùm in ſuburbijs vaſto, dein exploratorum indicijs, Hoſtem abſceſſiſſe vulgatum eſt, continuò, effuſa portis multitudine, ad caſtra diripienda diſcurritur. Præter annonam publicam, nullum tentorium, aut contubernium commeatu vacuum, vacuam turbam impleuit. Quantum aſportare quiſque potuit, omnis ætatis, & ſexus; onuſti eſcariâ prædâ, quaſi hoſtium ſpolijs, triumphantium in morem, penates repetunt. Exinde cum coniugibus, paruiſque liberis, circumeunt

Nauarræi noctu obſidionē ſoluerant cum aliqua cōfuſione propter abſentiā Regis, relictâ magnâ copiâ rei cibariæ.

Quam ciues diripiunt, & domum referunt.

Deinde templa obeūt gratias Deo agentes.

Cum ingenti gaudio.

Diuorum templa gratantes; eò liberiùs efferueſcente lætitiâ, quò propiùs deſperationem res fuerat. Eodem tempore de finitimis agris, ex Carnutibus, & ſuperiore Belſia, frumenta, frugeſque varij generis importantur, perpetuo agmine curruum, & iumentorum, apertas à terra Lutetiæ vias celebrante. Hinc factum, vt qui trecentis aureis pridem vænierat frumenti modius, mox ad quinquaginta, tum ad viginti, ad conſuetum denique priſtini pretij modum redierit. Neque minùs agri colonos, opifices tabernæ, gymnaſia muſarum alumnos recepere; artibus honos, reuocato vſu, & antiqua vrbi facies reddita. Securitate mirabili, quaſi laceſſiti Pariſienſes nunquam bello fuiſſent, & pax immota parte ab omni conſtaret. Vti vulgi mores habent præſentibus læti, quantumque obliti præterita, tantũ futurorum incurioſi. At nequaquam abſceſſu hoſtis, cura deceſſit ciuitatis primoribus, anxijs vice Mainei, & auxiliarium copiarum; contra quas Nauarræ Rex cum vniuerſo exercitu, plenus irarum, interpellatam obſidionem vlturus ibat. Translatum belli turbinem, non ſublatum reputabant; quamcumque in partem detonuiſſet, daturum armorum fulmina, & procellam ſanguinis. Meliora ſperare interdum in

Per idem tempus ex proximis agris currus commeatu referti Lutetiam intrãt.

Vnde vilitas redit annonæ.

Cultus agrorũ, mercimonia, & ſtudia literarum ſecuritate mirabili.

Solicitudo ciuium pro exercitu Fœderato reputantium translatum bellum, non ſublatum ab Henrico Rege,

cauſa tam bona Religionis; at infauſtis Mainei Ducis auſpicijs plerumque diffidere; virtutique Guiſiorum præclaræ, ſed improſperæ. Ad hæc, Nauarræ Regis fortunam fatali Regno imminentem horrebant; quæ, ſi collatum Cortracenſi, Iurienſique pugnæ fauorem, tertiâ victoriâ cumulaſſet, ecquem Diuûm hominumque rebus euerſis opitulaturum? vnde nouos exercitus, quem alium accerſituros Alexandrum? In hoc æſtu curarum, ſpem inter, ac metum dubij ſacras ædes obibant, ita grates pro ſoluta obſidione ſoluentes, vt orarent beneficium abſolui incolumitate, aut victoriâ Catholicorum.

Qui ſi tertiam victoriam de Catholicis retuliſſet, actum de partibus fore.

Dum hic precibus, ac votis, alibi caſtris, armiſque, de ſumma rerum certabatur. Rarò aliàs fortuna commiſit ſpectaculo generis humani, tam nobile exercituum, atque Imperatorum par. Ambo cœterà victores, mutuò inuicti, ingenio, moribuſque non minùs, quàm bello diſcordes erant. Vti æqualibus ætatis ſuæ Ducibus virtute ſuperiores; ita pares inter ſe gloriâ, famâque rerum. Quorum conatus, & certamina cùm vtramque hiſtoriæ noſtræ paginam faciant, haud ab re fuerit, ſi amborum imagines contemplandas velut in tabula ſubijciam, quo primùm tempore, in Pariſienſi agro concurrerunt, obuerſis caſtrorum fron-

Clariſſimi ſuæ ætatis Imperatores Henricus Frãciæ & Nauarræ Rex & Alex. Parmæ & Plac. Dux inter ſe comparantur.

frontibus, & bellandi artibus. Henrico ſua, & gentis indoles alacritatem in vultu: Alexandro natura, an imitatio? auunculi Regis grauitatem induerat. Henricum ingenij apertum, & candidum populares amabant ſui, & comitatem largè omnibus blandam adorabant milites, quibus non aliud ſtipendium, quàm facilitas Regis: Alexandrum occultum, & callidum, ſed extra fraudes, venerabantur amici, non timebant, timebant hoſtes, non oderant. Certaminis aleam declinabat Alexander, qui ſpei certus in ratione, caſum in ſocietatem gloriæ non admitteret. Adde quod, cùm iure Regio nō eſſet, duplex in vna clades, ab hoſte in acie, in Aula ab æmulis timebatur. Contrà, pugnæ appetentiſſimus Henricus, non tam genio ſuo, quem Reges ad vſum temperant, quàm Gallicæ nobilitatis, cui pro dominatione ſeruiebat. Nihil tamen in certamine conſultius Nauarræ Rege, audaciæ neceſſitatem emendante conſilijs. Nihil Parmæ Duce pugnacius; quaſi obluctantem prudentiæ fortunam, crine pertraheret. Alter Marcelli artes in oppugnanda, Fabianas alter in aſſerenda Gallica Roma repræſentauit. Hic ſeditiones virtute Scipionis domuit, ille vitauit Annibalis felicitate, Semel in vno congreſſu Regni caput, & belli

Hen-

Henricum ſors obtulit Alexandro: ſed iſte præcipitis occaſionis munus, ne præcipitaret, amiſit. Alter nimis audendo, cauendo nimis alter, virtute immodicâ magni Duces mutuum errorem ſunt gratificati, vt liqueret ſummos quidem, ſed homines eſſe. At, nouiſſimè ad Calidobecchum, ſuis magiſtrum artibus Henricus circumuenerat, niſi nouis caſtellis munito, quà non patebat exitu, hunc ille rurſus eluſiſſet.

Hæc oppoſita decora, illa communia. Ambo Regij ſanguinis, & victoriarum titulis fulgentes, non minùs præliatores, quàm Duces. Inſignes vel inter eos, quibus laus dexterâ ſolâ quæritur. Patientiâ, vel in gregario mirabili, laboris, inediæ, vigiliarum, vulnerumque: aſſueti noctu, interdiu, armis pro membris, equo pro domicilio. Neque minùs in omnem partem mores verſare, quàm ſeſe: ad ſeria, ludicra, ad clementiam, ſeueritatem. Alexandrum in Gallia acceſſu, alloquio, menſâ expoſitum, Gallum iurares: Henricus in pace, abſcindi iuſſit amici caput, quod in acie manu ipſe protexerat. Adeò virtus omnis naſcitur in omni pectore, & diuerſitas temporum eſt, non hominum, aut locorum.

Cùm in proximo ſederent inimici exercitus,

à Na-

à Nauarræ Rege caduceator in caſtra Fœderatorum venit. Renuit Maineus aures dare, partes has eſſe ſupremi Ducis cauſatus, hominemque ad Parmenſem adducit. A quo in Procerum concilio exceptus, Regiam prouocationem ferociter expoſuit. Henricum Galliæ, ac Nauarræ Regem, Fœderatorum exercitum, partim rebelles ciues, partim externos hoſtes, ad conferendas manus laceſſere; vt Gallicanam tragœdiam, quando lætior exitus non placuit, ſaltem luctuoſo finirent. Proponere vulnera, & cædes belli fructus ijs, qui pacem conçoquere non potuerint. Sermone vulgi, Alexandrum Ducem pro expugnatore arcium circumferri. Henricum Regem in acie, & certaminibus vincere. Sed nouas Farneſio arces, ne nimis Antuerpia ſua placeat, cataphractorum nobilium turmas oppoſiturum. Non è ſaxis immotas, hoſtiumque aſſultum ignauè opperientes, at mobiles arces, ferroque ſolidas, animata propugnacula ſe inuehentia ad expugnandos oppugnatores. His Alexander ſubridens: inuictiſſimi Hiſpaniæ Regis imperio, armatum è Belgio ſe aſcendiſſe reſpondit, vt ab Hugonotorum tyrannide vindicaret cum Lutetiâ omne Catholicum in Gallia nomen. Huic deſtinationi armorum ſi congreſſum, dimicatio-

Rex Henricus miſſo caduceatore prouocat Fœderatos ad prælium.

Reſpōdet prouocationi Alex.

nem-

nemque conducere animaduerterit., quamuis Hoſtis Hoſti officium non debeat, ſe gratiam Nauarræ Regi vulnerum, & cædis facturum. Sin alias ad vincendum vias aperuerit ratio belli, eam ſe potiſſimùm initurum, vt meliorem, quam improbari magis inimico Regi intelligat. Eius eſſe, qui glorietur in acie, ac prælijs dominari, tergiuerſantem ſe ad certamen attrahere; aut in caſtris confidentem obruere ſpirantibus illis ex ære molibus; modò non ſint earum è genere, quas paucis ante annis in Belgium irrumpentes cum Alenconio, ſcloporum, & bombardarum ſpiritu diſflauerint Hiſpani. Secundùm hæc dicta, magnificè donatum caduceatorem dimiſit. Tum auditæ curſim Procerum ſententiæ. Tres fuere præcipuæ. Prima Ronæi, Sanpauli, & omnium ferè Gallorum: ſuperbam Nauarræ Regis prouocationem certamine quamprimùm refellendam: pares Fœderatis vires, pares animos, cauſam meliorem. Sed obſtabat iniquitas pugnæ, quæ committenda erat in campis, quos Nauarrus prior delegerat, munieratque. Altera oppoſita ſententia Zunigæ, ſubſiſtendum rebatur quamdiu per Lutetiæ pericula liceret, iiſdem in caſtris iam munitis; omnique rerum copiâ propinquis à Meldis affluente. Regium quippe exercitum

Deinde ſentẽtias Ducũ requirit.

Tres præcipuè fuerunt, prima Gallorum pro committenda pugna.

Secunda Hiſpanorum pro declinanda protrahendáque.

in præſens validum, breui, ex pecuniæ, quaſi ſucci vitalis defectu, attenuatum iri. Quod in eo roboris, & floris erat Heluetios pedites, equites Gallos dilapſuros, conſeneſcente ſpe pugnæ, prędarumque. Ita, ſedendo Fœderatos, aut paululum adnitendo, debellaturos. Huic ſententiæ omnium tutiſſimæ, omnes refragabantur. Indignum vſque adeò viſum, tot inſignem victorijs, Alexandro Duce, Belgicum exercitum, in quem tota Europa conuerterat oculos; tamquam in Religionis vindicem, & Galliarum liberatorem, inſultantibus Nauarræis non obuiam progredi, non contra niti, ſed in munimentis, pauenti ſimilem ſe tenere; Catholicorum ſpes, Hugonotorum metus, expectationem generis humani fruſtrantem.

Tertia Italorũ media ſuadet, declinanda hoſtium caſtra munitiſſima, & flectẽdum iter ad Matronam Lutetiam verſus.

Tertiæ ſententiæ, inter has mediæ, cuius autorem Appium de Comitibus ferunt, neque congredi placebat cum incommodo, neque ſuperſedere cum dedecore. Sed declinatis paululum Regijs caſtris; iter ſiniſtrorſum flectere ad Matronæ ripam; exinde cum omni cibariorum apparatu Lutetiam tendere. Si hoſtis, non ſyluis ampliùs, & paludibus tectus, at ſolis armis, iter interturbaret, armis expedituros. Aequis locis, æquum martem, atque in dexteris fortunam. Et huic pariter ſententiæ non pauca obijciebantur. Nam

Marne

Si hoſtis occurrat in æquo campo, manus conſerendas.

Lania-

Laniacum oppidum haud ſpernendo præſidio firmum mediam viam intercludebat. Anceps iuxta periculum, ſiue omitterent, ſiue adorirentur. Omitterent? Peccabant in legem belli, à tergo receptum Hoſti dantes, vnde ſecurus agmen poſtremum carpere, atque interuertere cibaria poſſet. Expugnationem tentarent? quanti moliminis fore? Arce trans flumen poſitâ, nec adeundâ, niſi per pontem, ad quem extruendum, neque naues, neque tigna, trabeſque ſuppeterent. Diuerſitate ſententiarum lętus Alexander, quòd, & quæ animo voluebat, occulta priùs habere, & facta poſtmodum imputare conſultoribus poſſet, in poſteram lucem pridie Kalendas Septembres, profectionem aduersùs Hoſtem indicit. Haud dubia in vtroque exercitu opinio increbuit: eâ die, de Lutetia, de Religione, de Galliæ Regno, ferro iudice ſtatuendum. Superba prouocatio Nauarræ Regis, reſponſum animoſum, Parmenſium Ducis, ab maiore parte Procerum dictæ ferociter ſententiæ, promulgata ad vltimum profectio, ſuper omnia militum ardor, finem dari bello, ſeu victoriâ, ſeu morte honeſtâ cupientium, faciebant, vt quæ in voto omnibus erant, ea re futura crederent.

Alex. diuerſitate ſententiarũ gaudet, vt ſuis cõſilijs occultandis opportunâ, & indicit diẽ profectionis aduerſus hoſtem

Vnde ſpes pugnæ in vtroq; exercitu.

Verùm Alexander in arcano pectoris iam de-

Quamquam Alex. imaginẽ pugnæ non pugnam exhibere decreuerat.

liberatum, & conſtitutum habebat, ſpeciem quidem pugnæ, pro veritate exhibere, quoque propior videretur, eò declinare longiùs aleam martis. Hac videlicet ludificatione opus eſſe intelligebat ad diſtinendum hoſtem, ne interueniret ſibi, conuerſâ repentè aliò mole belli, ad Laniacum opprimendum accurſuro; quo expugnato, Lutetia liberabatur. Vt deſtinata ſecuriùs exequeretur, auerteretque quàm longiſsimè ab ea ſuſpicione Regiorum animos, ſpem certaminis fecit, imperata expeditione militibus: haud ignarus externos numquam certiùs falli, quàm vbi priùs domeſtici monitores fallerentur. Dabat & famæ, vt prouocatum ab Henrico, ſimul contra eum profectum Alexandrum audirent. Pridie igitur Kalendas Septembres caſtra Fœderatorum mota ex diurnis Farneſij commentarijs compertum habeo; eádemque luce ſub veſperam Laniaco obſidionem admotam, nec niſi ſextum poſt diem aſſultibus expugnatum. Quamobrem refutandi videntur, qui hæc omnia, tamquam vnico continenti actu paucis horis geſta deſcribunt; quaſi voluptati ſpectantium tragœdiam, non vtilitati legentium hiſtoriam darent. In acie rurſus ad iter, & certamen inſtruenda ſecuritati Farneſius, & victoriæ conſultum voluit, cùm pridem vel hu-

Cauſæ eius conſilij.

Pridie Kalen. Septemb. mota caſtra Fœderatorum, eâdem die Laniacum obſidione circumdant, ac die 7. expugnant.

Quare ij refutandi ſunt ſcriptores, qui iſta quaſi vnico actu, & vna die geſta deſcribunt.

In acie iterū ordinata ſecuritati & victoriæ Farn. conſulit.

humanitati ſuæ, vel dignitati Gallorum Principum feciſſet ſatis. Quod itaque ex omni equitatu firmum, ac fidum, in primo agmine collocat, Sexcentos grauis armaturæ equites Belgas, totidem ſclopetarios equites Hiſpanos, lancearios mille quingentos ſub Principe Chimacio, & Georgio Baſta Ductoribus; Præfectum vniuerſis, Marchionem Renthiacum deſignat, vnàque primæ aciei moderatorem conſtituens, iubet, vbi colles vtrumque exercitum interiectos inſcenderit, in conſpectu hoſtium quàm latiſſimè explicare turmas, tum attenuatis pedetentim ordinibus, dum poſteriores equites in faſtigia ſubeunt, lentè priores demittere, ac ſubſiſtere crebra per interualla. Si hoſtis gerendæ rei occaſionem offerat, eâ ne vtatur ſe inconſulto, ſed præſtoletur imperium. Medium agmen Maineo Duci concreditum, veterano pedite, quem de Belgio adduxerat, firmat: Tribus Hiſpanorum, binis Italorum, totidem Germanorum legionibus, cum tormentis campeſtribus viginti. Ad vtrumque medij agminis latus, ſub Iathreo hinc, illinc ſub Sanpaulo Ductoribus, equites omnes Gallos, pediteſque diuiduos conſtituit, iuſſitque immotos agere, donec incaleſcente prælio accerſerentur; ne, ſi qua fortè cuiuſpiam fraus interueniret, ea officeret

Primũ agmen nis conſtatum ex equitibus, grauis & leuis armaturę Marchioni Renthiaco committit.

Mediũ agmen conſtans ex legionibus Hiſpanis, Germanis, Italicis Maineo credit.

ſum-

Extremū agmen compoſitum ex Germanis, Vuallonibus, atque Heluetijs additis lancearijs, & Burgūdis Pardeo Mottæ Domino commendat.

ſummæ belli. Poſtremum agmen ex duabus Vuallonicis legionibus, totidem Germanis, atque Heluetijs componit, additque lancearios Burgundos, & à Duce Lotharingiæ nuper ſubmiſſos equites quingentos, tum quod ſupererat tormentorum, omniaque committit expertæ fidei, ac virtuti Valentini Pardei Mottæ Domini Grauelingæ Gubernatoris. In hunc modum diſtributis copijs nullam ſibi certam delegit ſedem, accurſurus quò res cunque belli ancipites prouocarent, tribus Proceribus Appio de Comitibus, Aſcanio Sfortia, Nicolao Ceſio, centumque delectis equitibus comitatus.

Henrici gaudium, ob ſpem conceptā certaminis committendi in loco ſibi commodiore.

Poſteaquam ſtructis ordinibus Fœderatorum exercitum aduerſum ſe ingredi Nauarræ Regi nunciatum (& iam collium ſumma percurſantes primi agminis equites comparuerant) præ gaudio lachrimans, & ſui vix compos Henricus, agnoſcere ſe, dixit, & adorare fortunæ ſuæ numen, quæ conſcientiá ſceleris occæcatos perduelles, in pugnæ campum haud iniquum ijs minùs, quàm Iurienſem illum, fataliter induceret, vt eiuſmodi arrhá, victoriam alteram nobiliorem ſibi, Regnumque Galliæ firmaret. Quo igitur ordine diſpoſitas in via Pariſienſi copias collocauerat, eodem prodire iuſſit ad certamen

men

men armatas; in læuo cornu Heluetiorum peditum, & Anglorum agmina, cum ſenis tormentis è proximo iugo contra ſubeuntes Fœderatos fulminaturis: in cornu autem dextero, cum totidem tormentis Germanas legiones, in acie verò media pedites Gallos, & Hollandos; Gallico equitatu, quem virtute inſignem, ac numero bifariam diuiſerat, amborum cornuum latera defenſante.

Exercitum illic prudenter inſtruit.

Thuan.

Interim Farneſiani equites cum Ranthiaco iuga collium ſumma conſcenderant, quantumque dorſi faſtigia porrigunt, Chimacij Princeps, & Georgius Baſta laxatis lanceariorum alis inumbrauerant. Equis, viris, armiſque circumuagantibus occupati tumuli erant, eamque ſpeciem præbebant ſpectantibus ex imo, quaſi æreæ haſtarum ſiluæ patrijs in iugis oberrarent. At vbi equeſtres turmæ porrectis quoquo verſum ordinibus longum ſui ſpectaculum fecerant, ſenſim deſcenſum lentiſſimo gradu moliebantur, vti præceptum fuerat, crebra per interualla reſtitantes.

Fœderatorum equites colles in conſpectu Regiorum occupant.

Inde deſcenſū aduersùs hoſtes moliuntur gradu quàm lentiſſimo.

Tunc enimuerò Regiorum militum oculi detineri ſpectaculo iucundo ſimul, atque horrido, in expectationem pugnæ animi erigi, interque ſpem ac metum anxia corda ſubſultare. Cùm Alexander de cliui faſtigio, vnde ſpectauerat, lauda-

Cum expectatione longa Nauarræorum.

laudaueratque, vt egregiè ſtructam hoſtilē aciem, ad imum reuolat collem, iam certus maturitatis conſilij ſui: Ducem ergo Mainei erigere parantem in aduerſum tumulum medium agmen, manu reprehendens, quid vltra certamine opus (inquit) ò Princeps? magnificè vicimus; citra belli aleam belli cauſam, & præmium tenemus liberatam obſidione Lutetiam. His dictis mediam aciem vertit in primam, poſtremam in mediam, & quæ prima fuerat ſub Renthiaco, vltimam facit. Deinde ſingulas acies interequitat armis collucens, aperto tantùm ore, oculiſque lætiſſimam fiduciam præſeferentibus: Maineo ſimul Duci, legionibuſque præituris ad ſiniſtram, Laniacum verſus, iter commonſtrat. Eant alacres, Lutetiæ ſalutem, ac libertatem in dexteris geſtantes. Quo tempore Nauarræ phalanges adumbrati prælij ludibrio diſtinentur, ipſi hoſtium ſecuri aliò bellum feliciter portent. Dum commilitones in collium ſcena ludibundi Regijs legionibus arma non inferunt, ſed oſtentant, illi Laniaci præſidiarijs nil tale metuentibus non priùs oſtendant arma, quàm inferant. Magnos exercitus nec opinantes à paucioribus opprimi, quanto magis tot egregias bellatorum acies modicum præſidium, & imparatum occupaturas? His ducibus militibuſque

Maineum cum acie mediā ſcandentem colles Parmēſis retinet, mediam aciem vertit in primā dirigitque Mattonam versùs, vltimam aciem in mediā mutat, & quæ prima fuerat, vltimam facit.

Mox interquitanti ſingulas acies,

Animantique ad certamen,

Cius-tius l. 2. de diſcipl. militari.

buſque: cum iſto ordine, ac diſciplina, pro Deo, pro vera Religione bellantibus, nihil in Belgio inuictum aut arduum vſquam fuiſſe, nec in Gallijs fore.

Ciuitas ib.

Plauditur ab vniuerſo exercitu tubarum, tympanorum, vocum & ſclo-porum ſonitu, non ſine cura Nauarræorum cauſam gratulationis neſciē-tium.

Huiuſmodi oratione acies animantem Farneſium vnumquodque agmen, præter tubarum, ac tympanorum cantum, eo plauſu vocum, & ſclo-porum per interualla excipiebat, vt audientibus procul Nauarræis, cauſamque alacritatis ignorantibus, admirationem, & curam inijceret. Per idem tempus Alexander ad Renthiacum mittit, qui rationem edoceat conſilij ſui, eum ex duce primi agminis, poſtremi rectorem eſſe factum. Ludos tamen, quos occœpit, dare pergat, parteſque peragat præliatoris ictum minantis, & ſuſtinentis. Laudem ipſius maximam in eo verti, vt nodus fabulæ, ante poſtremum actum, hoſtibus non explicetur.

Parmenſis ad Renthiacum monica.

Interim cum Duce Maineo grande viæ ſpatium primum agmen anteceſſerat, & cum ſecundo agmine Mottæ Dominus, explicatis ordinibus, ingrediebatur, cùm Farneſius inclinante in veſperam die, monet Renthiacum, vt cum equeſtribus turmis ad ſiniſtram declinet, pro primis, poſtremas exercitus partes obiturus. Veſtigijs autem medij agminis inhærere iubet per viam ſyl-

uulas, & vineta interiacentem. Illic enim turmas quinque fiſtulatorum abdiderat peropportunè, vt ſi terga recedentis equitatus impeterent Nauarræi, repentinâ pilarum procellâ ſubmouerentur. Interim tres vltra horas inſtructos in campis Nauarræ Regis milites expectatio pugnæ tenuerat, ſuſpenſis perpetuò animis, quando ad manus veniretur, Renthiaco cum Belgicis equitibus in collium iugis errabundo, vanumque certaminis apparatum affatim inſtruente. Poſteaquam ſeneſcere ludus cœpit, & Fœderatorum equites in æquum deſcendere ſemper, deuenire nunquam: riſum hinc primò quærere Regius miles, vt feſtiuitatibus abundat hæc vita, iociſque temperat amara belli: modò podagricos equites, modò teſtudineæ tarditudinis equos increpare. Qui ætatem integram in deſcenſu impendant, num aſcenſum æternitate totâ molituros? ſi tantummodo ad præbendum ſui ſpectaculum in Galliam veniſſent è Belgio, non viri, ſed fæminæ in ſpeciem bellatorum comptæ, pictæque, iam patriam repeterent, ſatis viſas ab Gallo hoſte, ac vidiſſe memorantes. Lutetiæ liberatores egregij! Si choro, & pompâ in theatris, non ferro, & armis in acie cernenda res eſſet. At primoribus Ducum, quibus mos, fronti non credere, ſed penetrare mentis

Primo & ſecũdo agmine Fœderatorũ Laniacum petentibus, Regalis acies fruſtra certamen expectat.

Cùm deſcendentes Fœderatorum equites in æquum numquam deuenirent.

Vnde iocandi anſa militibus regijs.

Non Ducibus, qui Farneſianas artes ſuſpectas habent.

aciem

aciem in intima conſiliorum, haudquaquam ridendus hoſtilis ludus, cauendus magis videri. Quid enim, ſi Farneſius per iocum negotium agat? Si bellum hic indicat, non inferat, vt vulnus alibi non minetur, ſed infligat? Quidquid id eſſet, belli machinam ſubeſſe certum, genus incertum. Inter hæc imminui paulatim, & rareſcere in collibus equeſtris acies, turmatim deinde diſſolui, tandemque euaneſcere prorſus è conſpectu tota nubes belli. Tum verò apertâ ſcenâ ludibrij, fremere Nauarræi, ſibi datos ludos, at non impunè datos. Dimidia protinus pars equitatus è caſtris emittitur ſub magno Galliæ Priore, Nuano, & Bironio ducibus (ægrè ab amicis retento Rege) quò recedentes Fœderatos incurſarent, carperent, & aliquid certi de Alexandri conſilijs aucuparentur. Verùm excepti ferociâ pari ab vltimis Belgarum turmis, quæ in id comparatæ iam erant, & à fiſtulatoribus Hiſpanis de ſyluarum latebra collineantibus, impunè fulminati, cùm Georgius Baſta equitum Commiſſarius, qui cum mille lancearijs præceſſerat, admonitus, effuſo curſu in prælium reueheretur, diremere Nauarræi ſub noctem pugnam, nihil certi præter vulnera, in caſtra relaturi. Neque Fœderatorum interfuit continuari nocturnum certamen,

Interim rareſcit in collibus equitatus Renthiaci, & paulatim diſſoluitur.

Tria circiter millia equitum regiorũ ad infeſtandũ agmẽ Fœderatorum poſtremum, è caſtris emittuntur.

Sed excepti ferociter ab equitibus Belgis, & ab Hiſpanis fiſtulatoribus, pugnam dirimunt mutuo conſenſu.

cum itineris multum ad noua caſtra, iam feſſis vagatione diurná, ſupereſſet. Prima itaque Fœderatorum acies, duodecim paſſuum millibus confectis, præcipiti iam die, Laniacum venit. Suburbia protinus capta, eodemque impetu veniſſet arx in poteſtatem, inopinati belli mole conterritis propugnatoribus, niſi Dux acer Laſinius præfectus, igni ſtatim, ferroque corrupto ponte, totum Matronæ flumen pro foſſa,& munimento Farneſianis obieciſſet. Sedet enim in altera Matronæ ripa Laniacum, in altera ſuburbia habet: quibus potitæ Fœderatorum legiones, quamuis in vrbem protinus tranſcendere arderent animis; quia tamen flumen vadari non poterat, nec vlla erant in promptu ad moliendum pontem nauigia, ſubſiſtere coactæ, nihil, præterquam minas, in alteram ripam extenderunt. Pedeſtrem aciem Alexander ad multam noctem in armis tenuit veritus, ne Nauarræ Rex in poſtremum agmen à reliquis copijs abiunctum incumberet totá mole equitatus; quá parte virium præcellere putabatur. Quamobrem pedite idoneis locis cum tubis grandioribus diſtributo, Nauarræos arcere paratus erat, ſi forte ſuis in caſtra ſe recipientibus inſtarent. Sed equites Nauarræi quoque ſuperſederant, ne in inſidias præcipitarentur, quas inter impe-

Acies prima ſub veſperam Laniacum venit, ſtatimque ſuburbia occupat.

Alex. legiones in armis habet ad multã noctem, quoad Renthiacus cũ poſtremo agmine adueniat

impedita vinearum, & nemorum tetendiſſe ſuſpicabantur non ex falſo pedites Farneſianos numero ſuis, & virtute præſtantiores. Itaque, quamuis vtrinque eſſent æquæ militum vires, animorum fiducia par, mutuâ tamen reuerentiâ à certamine ceſſatum. Renthiacus tandem ſecundâ vigiliâ noctis cum equitatu incolumi aduenien s, incredibili lætitiâ commilitones, & Farneſium affecit. Qui eâ curâ feliciter defunctus, parte victoriæ potitus videbatur. Statim igitur ſolutam aciem, ſtationibus, excubijs, omnique militari cuſtodiâ communiri mandat. Gallici pedites equiteſque cum Maineo Duce in Laniaci ſuburbijs locati ſunt. Hiſpani, atque Itali cum Parmenſi in pago proximo, cui Pompona nomen. Secundùm flumen equites leuiter armati, cum Germano peditatu. In colle ſuburbijs imminente Vuallonum legiones, cum equite grauis armaturæ conſtitutæ præſidio, ne quid à tergo infeſtum ingrueret.

Ab eius aduentu Farneſij gaudium, qui ſoluit exercitum, & ſtationibus munit.

Poſterâ die iuſſus exercitus expedire manus ad opus, non ad prælium, pro gladijs, & ſclopis ligones tractare, ſarculoſque. Vallum, foſſamque bis mille paſſus in gyrum patentem, ducere cœpit, qua velut arce concluſus inexpugnabilem ſe aſſultibus externis præberet, ſi quando vires diuidere

Altera luce vallum foſſamque bis mille paſſuum inſtituit.

uidere ad expugnandum Laniacum neceſſe eſſet. Vt quantâ maximâ celeritate munitio conſurgeret, in breuiorem orbem caſtra contracta ſunt. Tum operis penſum legionibus partiente Farneſio, per omnes militum ordines diem, noctemque exudatus eſt labor. Viginti horarum ſpatio ſtetit munitio, licet nondum ad perfectum elaborata, defenſioni tamen ſatis accommoda, foſſis, aggeribus, propugnaculis, intra extraque valli ambitum, poſitiſque opportuno loco tormentis, vſquequaque terribilis. Studium gratificandi Imperatori, peritia in eo opificij genere Farneſiani militis, inſita demum opinio, permagni ad victoriam referre, quidquid tanto molimine Parmenſis vrgeret, immane opus maturauit. Inter initia operis, conterminas deſcriptioni caſtrorum geminas domos præſidijs occupari iuſſit, ne, ſi Nauarrus interciperet (vt intercipere mox tentauit) ex ijs operantes in munimentis Fœderatos inquietaret. At opere abſoluto, reuocatis ab vtraque domo militibus præcepit, vt alteram vallo propinquam ſubruerent, ne inde hoſtis per iaculationes officeret, parcerent alteri remotiori, vnde noxia non timebatur, ne gratis qualicunque eius domino noceret.

Alex. operis penſum legionibus partiente 20. horarum ſpatio munitio abſoluitur.

Cauſæ feſtinationis.

Cùm medius ferueret labor, Kalendis Septembri-

tembribus claro iam mane, Nauarræ Rex, in colle mille quingentos paſſus diſtante, atque in planitie collem, flumenque interiacente, inſtructum ad certamen exercitum, ante oculos Fœderatorum explicauit. Vt pugnam committeret, ſuadebant inuitamenta, preceſque Gallicæ nobilitatis, cuius robore inſuperabili, quatuor fortiſſimorum equitum millibus, in quibus erant ſeptem Principes, vel ad ſubruendum Cœlum ſe adniſurum gloriabatur. Præterquam quòd ex ingenita alacritate Galli pugnæ ſunt auidiſſimi, faſtidiebat iuuentus nobilis moram certaminis, vt maximè incommodam proprijs impenſis militanti. Quodſi abnueret Parmenſis martis aleam, non ſolùm illâ detrectatione pugnæ, conceſſum ſibi de virtute erat interpretaturus Nauarræ Rex, verùm etiam interuenire tentamentis eius omnibus conſtituerat, ſiue Laniacum aggredi, ſiue Lutetiam petere deſtinaſſet, ne ſe quoquam commoueret ſine præſenti diſcrimine. Alexander tamen, quam in ratione ſumma, vincendi ſpem poſuerat, hanc certus à fortunæ temeritate non expectare, copias ad prælium ordinauit intra ſemifacta caſtrorum opera, quæ diſpoſitis idoneâ ſede tormentis ita communierat, vt irruptionem tentantibus Nauarræis impendio cladis audacia

Nauarræ Rex inſtructo exercitu Fœderatis pugnę copiam offert.

Inſtigâte Gallica nobilitate.

Alex. ordinat exercitum intra munimenta, ſancitque pœnam capitis ne quis iniuſſus egrediatur.

dacia conſtitura fuerit. Tum capitis pœnâ in exercitu Fœderatorum ſanciuit, ne quis iniuſſu Ducum vallum egrederetur. Huic Imperatoriæ prouidentiæ ne quis timoris fortè notam inureret, exire de caſtris cum equitibus mille lancearijs imperat Marchionem Renthiacum Regios prouocaturum ad equeſtre certamen, quando equitatu Regij ſe præpollere iactabant. Secretò præmonuerat Renthiacum, vt Nauarræos, primùm laceſſendo, dein pedem referendo proximè ad Farneſianas munitiones perduceret, vnde ſubitâ pilarum procellâ obruerentur. Sed Nauarræi, arte intellectâ, viciſſim & ipſi procurrentes, & pedem reuocantes, pertrahere Fœderatos intra ſua ſepta nitebantur. Inter huiuſmodi concertationes triduum extractum. Quibus modò leuis, modò grauis armaturæ equites, interdum haſtati pedites, aut ſclopetarij equitibus immiſti concurrebant, quaſi ad ſpem vniuerſi certaminis per huiuſmodi experimenta proficerent.

Deinde Renthiacum mittit cum mille lácearijs equitibus, vt eliciat Regios ad equeſtrem pugnam.

Occupato in leuibus vtrinque certaminibus equitatu, cùm Fœderatæ legiones interim vallum caſtrorum abſoluiſſent, naues tantùm deſiderabantur extruendo ponti, per quem ad expugnationem Laniaci tranſmittendæ erant copiæ. Apparatum incuriâ Caroli Mansfeldij prætermiſſum, ad

Inter leuia equitum certamina triduum extrahitur: quo tempore munitio caſtrorum à legionibus perfecta eſt.

quem

quem inſtruendum, multâ induſtriâ, & labore opus foret, momento fortuna ſuppleuit. Sex Nauarræorum naues fœno onuſtæ ſecundo flumine ſecuræ terreſtrium copiarum illac prætervehebantur. Has conſpicatus Camillus Capiſuchius militibus oſtentans: Veſtra contumelia eſt (inquit) commilitones tanta Nauarræorum audacia in oculis noſtris impunè volitantium. An quia nulla ſunt nobis nauigia, propterea terreſtrem hunc exercitum contemnunt? Ignorant videlicet, Alexandri legionibus maria calcata, cùm ad expugnandas inſulas, fruſtra oceano ſuo defenſas, pedibus vaderetis. Num oceano Matronam, num arcibus armatis pauca inermia nauigia audent præponere? Ite protinus, & fortibus viris peruia eſſe omnia elementa monſtrate. Non tam oratio Ducis accendit militem, quàm præſentia prædæ, quam cætera vilem, penuria id temporis pretioſam fecerat. Poſitis igitur veſtibus, ad octoginta nudi fluuio ſe committunt, gladios tantùm dexterâ geſtantes, præter tubicinem, qui pro gladio tubâ bellum toto flumine perſonabat, reſponſantibus è ripa ſociorum tubis, tympanis, clamoribuſque. Interim nautę quieti ſonos inanes, ac ſtreperum bellum irridebant, cùm à fronte, à latere, à tergo apparent aquatici

Cùm naues deeſsẽt ad extruendum pótem, fortunã ſummiſit ſex rates Nauarræorum fœno onuſtas, quas illac prætervectas legionarij nãtes inuadſ.

bellatores, octoni ac deni ſingulas naues circumuadunt, alterâ manu nantes, elatos alterâ mucrones in ora nautarum identidem intentantes. Hi nouitate audaciæ, ac miraculo attoniti pro viribus tamen repugnare: contis, remiſque adſilientes ab omni parte Farneſianos propellere. Verùm inermes erant, & pauciores, quàm vt tam multos, ferróque graſſantes arcere poſſent. Quare viribus ſed ſpectabilibus rium breui periculo facto, ſe potentioribus dedunt. Qui circumagentes ad ripam capta nauigia, à ſocijs ingenti plauſu excipiuntur. Maiori verò quàm ſperauerant prædâ ſe potitos intelligunt, vbi ſuperpoſito ſenis illis ratibus ponte, quinque tormentis ad verberandam, binisque legionibus ad aggrediendam Laniaci arcem tranſitus patuit. Sed legiones, ac tormenta quantociùs iuſſu Farneſij retracta ſunt. Quoniam Nauarræ Rex, Matronam ponte, quem in ſuperiore parte fluminis obtinebat, cum ingentibus copijs traijcere nunciabatur, vt occupatos in oppugnatione Laniaci Fœderatos opprimeret. Mutato Parmenſis pro re nata conſilio, cùm à Laniaco cohortes reuocaſſet, Georgium Baſtam cum equitatu ſubmiſit exploratum, quid Rex ageret, paratus quidem, & certus inuadere poſtremum Regiorum agmen, cum ſpe victoriæ,

Nautæ aggreſſores remis repellunt, ſed fruſtra; nam pauci & inermes vincũtur à pluribus arma vibrantibus.

Ponte nauibus confecto legiones ac tormenta ad Laniacũ expugnandum traducuntur.

Sed ſtatim reuocantur, cùm Rex ipſe traiecturus vnà cum exercitu nunciaretur.

Quare Georgium Baſtam emittit Alex. cum equitatu, vt poſtremum agmen Regiorum inuadat, quãdocunque Rex cum primo flumen tranſmiſerit.

riæ, ſi cum primo flumen Rex traieciſſet. At id ipſum metuens Henricus à tranſitu copias abſtinuerat, & prohibuiſſe Fœderatos alterâ ripâ contentus, modò Alexander non proficeret, pro victoria habebat.

Alteram lucem immoti ambo, obſeruantes inuicem, ſuſpectanteſque egere. Octauo idus Septembris, peruigilio natalis Deiparæ, quod iam diu parturiebat Alexander parere aggreſſus, Laniacum expugnare conſtituit. Ne tamen ad Regem emanaret conſilium, clam ſuos tenuit. Neque oſtendit ante, quàm intulit arma, neque, vti priùs fecerat, ad oppugnationem ponte tormenta tranſmitti voluit; ſed noctu, per fidos legionis Italicæ milites comportata ſilentio ſummò in tumulum oppoſitum Laniaco, flumine (quanta eſt latitudo) interfluente, non ante conſpecta Hoſtibus, quàm audita ſunt, cùm ſub auroram vehementiſſimè arcem verberare cœperunt. Bis mille quingenti pedites ex Hiſpanis, Italis, Vvallonibus, ſub Tribunis Capiſuchio, & Zunica ponte traducti. Inſuper alæ octo, equites circiter mille, ſub Marchione Renthiaco tranſmiſſæ ſunt, vt iis percurſantibus circumiectam regionem, ſiqua ſubſidia Nauarræis è caſtris accurrerent, Laniaco excluderentur. Per idem

> Peruigilio natalis Deip. Laniacum expugnare decernit.

> Noctu tormẽta tacitè comportari iuſſit in tumulum Laniaco oppoſitum.

> Et peditum tria circiter millia ponte ad aggreſſionem tranſmitti: mille etiam equites ad auxilia excludẽda Nauarræorum.

Ab altera parte Nauarræis caſtris oppoſita copias educit ad prælium inſtructas.

Eius conſilia.

tempus Parmenſis, oppugnationiſq; curá, Tribunis, & Maineo Duci commendatá, ab altera parte caſtrorum Regijs caſtris obuerſa, ſuccinctum armis exercitum, cum ingenti tubarum, ac tympanorum ſtrepitu, ſub ſignis, & vexillis, in apertos campos educit. Mens erat, præſentis oſtentatione certaminis, ab ſenſu expugnationis Laniaci auertere Nauarræos; vt occupati proprio periculo, de alienis depellendis non cogitarent. Quod ſi, arte deprehenſá, auxilio ſuis eſſe pergerent, immittere conſtituerat pugnæ diſcrimen, ipſaque Regia caſtra, quæ haud ſatis firmiter munita compererat, introrumpere; vt per vulnera, & cædes, ab ope obſeſsis ferenda retraherentur. Conſilium primá ſpecie anceps multiplicata pericula tutius faciebant. Nam alicubi victoria ſperari poterat, ſi pluribus in locis certaretur. Vtra verò in parte vincerent Fœderati, Lutetia obſidioni eximebatur. Si Laniacum expugnari contingeret, aditus in vrbem commeatibus patebat à flumine, ſin Regia caſtra perrumperentur, iter à terris pandebatur. Contra, Nauarræ Regi, & apud Laniacum, & in caſtris, bis vincendum erat, vt Lutetiam premere perſeueraret.

Interim, quati Laniacum tormentis ab Alexan-

xandro, traduci flumen ad expugnationem cohortes, prodire reliquas acies ad certamen armatas, alijs, atque alijs Regi ſuperuenientibus nuncijs, defertur. Obſtupefecit inopinata fiducia Hoſtis: cum id temporis nihil minus metueret Henricus, quàm ne Alexander oblatæ bis pugnæ detrectator, vltro & multifariam inuaderet. Sed quamquam ſubito perculſus malo, tamen animum colligit, atque in omnem ſeruandi Laniaci curam intendit. Nam, quâ erat ſolertiâ, vſuque rerum bellicarum, intellexit, vbi plus minatum ſtreperet, ibi minus periculi eſſe. Prius itaque malè diſsimulatæ oppugnationi Laniaci, quàm tumultuoſiſſimę aggreſſioni caſtrorum occurrere conſilio, & viribus parat. Octingentos pedites varijs ex cohortibus lectos, equis imponit. Hos accurrere diuerſos iubet, ſubſidium non aſpernandum obſeſſis, & ſubſidij multò maioris, cum ipſo Rege adfuturi, nuncios. Modò ſociati arcis defenſoribus mille ducentis, vnam, vel alteram horam, impreſsionem hoſtium ſuſtineant. Dum verò partim ad iter, partim ad pugnam expediuntur agmina, ſententias Ducum curſim exquirit. Bironius caſtra Fœderatorum, non à fronte, quæ munitiſſima, ſed à lateribus, totâ mole virium inuadenda cenſebat. Quo facto, vel

Regi vno tẽpore nunciatur Laniacum verberari ad expugnationem, flumen hoſtem tranſire, Fœderatorum copias è munimẽtis ad regia caſtra oppugnanda prorumpere.

Henricus tamen defenſioni Laniaci prius conſulit.

Octingentos milites auxilio ſummittẽs.

Ducum ſentẽtias exquirit.

Prima Bironij.

vel ab oppugnatione Laniaci ad ſua tutanda hoſtem auerſum iri: vel ſi pergat, cladem clade pēſaturū. At Nuanus omittere diuerticula vt ſera, vel ſuperuacua, flumenque cum exercitu ſtatim traijcere, ſuadebat: quo recentia ſubinde auxilia ſuppeditaret obſeſsis, aut ſi aduerſarij non abnuerent, bellum (ſicut omnes Regij auebant) prælio finiretur. Contra vtramque ſententiam diſſerebat Rex: Itane ambobus placere caſtra deſeri? Quæ ſi Parmenſis, omiſſo Laniaco, ſtatim occupet, muniatque, nonne viam commeatibus Lutetiam pandi, ſine prælio, ſine ſanguine obſidionem ſolui, hoc eſt prodi, & perdi ſummam, & cauſam belli? Ecquam cladem, cladē iſtā ſibi contingere poſſe triſtiorem? quem belli fructum Fœderatis optabiliorem à victoria? Neque enim obſcurum, vtra in cauſa Lutetia ſtaret, eò victoriam partium, & momenta rerum inclinatura. Medium itaque conſilium à ſe excogitatum Rex proponit, egregio temperamento; quo & Laniacum tueatur, & caſtra non omittat: approbatum à Ducibus, neque ſegniter peractum, ſed felicitas defuit, Farneſij celeritate pręuentis. Frontem caſtrorum quantá maximá per anguſtias temporis licuit, accuratione communit Rex: impoſitis vallo, & aggeri ſubitario tormentis. Helue-

Altera Nuani.

Vtrique Rex opponit.

Tertiã & mediam ſententiam affert à Ducibus probatam.

Sua caſtra munienda curat, & exercitum ordinat.

-netium, & Germanum peditem, grandioribus turbis inſtructum, in prima acie collocat, à lateribus incurrere iuſsis in ſubeuntes Farneſianos armaturæ grauis equitibus: iubet pariter omnia circum tubarum, ac tympanorum cantibus perſonare. Tum quatuordecim cohortes à poſtremo agmine ſubducit, rapturus trans flumen, quibus ipſe præſidium, & exemplum audaciæ futurus, ad pontem cum mille quingentis equitibus præcurrit. Dum in caſtris à Nauarræ Rege feſtinatur, præmiſsi ab eo Laniacum milites, duplici viâ, alij aliam fortunam ſortiuntur. Qui à dextera parte, remotius à flumine iter tenebant, in lancearios Fœderatorum equites incidentes, ab iis cæſi, aut capti, aut retro terga vertere compulſi ſunt. Qui ſiniſteriores ripam Matronæ legerant, ducenti numero in arcem inuiolati recipiuntur. Arx interim ſpatio ſex horarum ſine intermiſſione verberata, nondum æquum aggreſſoribus aditum ruinis aperuerat. Muri quippe pars firmior, totâ interpoſitâ latitudine fluminis, quatiebatur. Cùm Alexander, è captiuis comperto: Regios equites vado, cohortes ponte tranſmittere, momentis verti rei ſummam, & victoriam in manu præripientis fore, ire ſuos imperat ad expugnationem, quod in loco deerat, virtute ſuppleturos.

Dein 14. cohortes cum 1500. equitibus Laniacum ducit.

Præmiſſi ab eo milites ducenti arcem ingrediuntur, cæteri capti vel cæſi sũt ab equitibus Fœderatorum.

Laniacum aggrediũtur Fœderati.

Magnâ virtute, ſed nõ minore à Regijs obſiſtitur.

Argumenta, quibus vtrique ad ſtrenuè rem gerẽdam incitantur.

Succedunt arci æmulationis gratiâ in manipulos diuiſi, Hiſpani, Vvallones, Itali, lentiori greſſu dum ripâ fluminis tegebantur, vbi ſimul aperuere arcem, hoſtemque, citato gradu, ad euitandam pilarum procellam, in aſcenſum ſubeunt. Hunc verò perdifficilem nacti, ob modicum ruinæ ſpatium, audaciâ, & conatus magnitudine ſuperare nituntur. Nec impari ferociâ à Nauarræis obſiſtitur. Lecti ex vniuerſo Regis exercitu cuſtodes mille ducenti, cum ducentis recentibus auxiliarijs, tuendo commiſſam arcem, tutari Regium de ſua virtute iudicium videbantur. Par ſtimulus Farneſianos incitat: commiſſa ipſorum dexteris Belgici exercitus fama, & fortuna. Prout obſtiterit, ceſſeritue, quam primam obiecerant Galli arcem, non abſimilem cæterarum exitum præſumptum iri. Quamobrem in marte ſuo poſitum, vt partum alibi tot victorijs Alexandro expugnatoris arcium decus, in Gallijs afferant. Primus igitur congreſſus perquàm atrox, & diuturnus fuit. Animi, vires, vſus armorum pares, loco Galli, externi numero ſuperabant. Sed auxilij Regij properantis rumor, ſicuti curam acuit Fœderatis, quò defungi prælio feſtinent, ita multiplicat animos Nauarræis, vt extra ipſa munimenta

ad

ad repellendos aduerſarios procurrant. Tandem vtrique feſſi, extinctis aliquot, pluribus vulneratis, veluti ex condicto dirimunt pugnam, vt paululùm interſpirent. Tunc incuria Gallorum, aut error in commutanda acie, ancipitem hactenus victoriam, ad externos inclinauit. Neque enim, recepto militiæ more, diſtinctè, ac per partes, at confuſè, ac permiſtè, ſiue ex inſita præcipitantia; ſiue ex hoſtis contemptu, ordines variauerunt. Quod artis peccatum aduertens Farneſij miles gnarus belli occaſionem ſuam fecit. Intempeſtiuâ quiete neglectâ, totis viribus oppugnationem redintegrat. Nauarræos ipsâ ordinum mutatione incompoſitos, multò magis inopinata res turbat, dùm, pro laxamento, quod ſperabant, prælium aſperrimum renouatum vident. Et initio quidem pugnę iniquitatem virtute compenſabant. Hoſtibus deinde impreſsionem inſtaurantibus cum clamore, qualis à vincentibus exinſperato cieri ſolet, non animis priuſquam viribus ſuperati pelluntur. Cùm victor loco motis inſtaret, nemo armatus veniam petere ſuſtinuit; ſed omnes acceptis in aduerſum pectus vulneribus concidunt. Si quos è ciuibus in campos abſtulit fuga, circumuagantis equitatus vngulis proteruntur.

Ambo prælio feſſi aliquãtiſper requieſcũt.

Gallorum in mutandis ordinibus error.

Quo Farneſiani ad accelerãdam victoriam vtuntur.

Inſtaurato impetu turbatos impellunt, & cædunt.

Ciues in campos profugos equites cædũt.

Ss Im-

Imbelli ſexui, & ætati ad templa refugientibus vis prohibita. Gubernator Laſinius vitæ ſeruatus, poſteaquam confeſsione ſuorum & hoſtium, omnia ducis & militis munia impleuerat. Prædá verò omnis generis, præſertim cibariorum, quorum penuria ſentiri iam cœperat, victoriæ gaudium Fœderatis cumulatum eſt. Interim, Rex Henricus, cum mille quingentis equitibus anteuolans peditum aciem, tres in partes diſtributo agmine, fati ſuorum neſcius Laniaco appropinquabat. Ad ictum ſclopi iam venerat, cùm ex mœnibus expugnatæ arcis deturbari iugulatos fortiſsimos milites videt. Fremens, gemenſque, eatenus concitationem itineris profuiſſe, vt pro auxiliatore, ſpectator ſuorum cædis indigniſsimæ fieret, à funeſto ſpectaculo auertit habenas, oculoſque, plenum luctus, & irarum militem in caſtra retrahens.

Gubernator captus cum præda omnis generis.

Henricus Rex cum equitatu pauló poſt arcis expugnationem ſuperuenit.

Supra nongentos è Nauarræis interfectos in defenſione Laniaci fama fuit, duodecim tantùm è Farneſianis, vulneratos tamen permultos, interque hos Marcum Antonium Lantes Romanum, quem Thuanus perperam Aurelium vocat. Is plumbeis globulis caput, ac tibiam, pectus mucrone transfoſſus, diuerså paulùm ratione, quàm frater Cardinalis, familiæ claritudinem

In qua 900. è Nauarræis, 12. ſolùm ex Fœderatis deſiderati ſunt, ſed ſaucij cõplures; inter quos Marcus Antonius Lãtes Hippolyti Ducis pater.


E
M
L
O


B
D
C
C
G
H

nem illuſtrauit purpurâ ſanguinis ſui.

Neque hîc ſilentio prætereundum eſt, authores non aſpernandos expugnati Laniaci gloriam in Italos vnicè referre. Quaſi oblatam primùm occaſionem repenſandi Bredani dedecoris; & Alexander ſuis popularibus indulſerit; & illi nauiter amplexi, noui decoris materiem fecerint. Equidem, licèt hiſtoricos plures Hiſpanos, atque ex Italis duos magni nominis, Cardinalem Bentiuolum, & Catherinum Dauilam ſecutus in narratione ſim; fateor tamen, auctoritatis pondus habere non mediocre, par oculatorum teſtium, alterum Mainei Ducem, in litteris ad Philippum II. Regem Hiſpaniarum, capti Laniaci decus Italicæ legioni, ac Tribuno Capiſuchio aſſerentem, Imperialem Cinutium Senenſem alterum, qui libro II. de diſciplina militari teſtatur, ſe cum vnis Italis expugnationi Laniaci, direptionique interfuiſſe. His teſtimonijs Homerus Turtura omnino conſentit, conſentiunt ex parte Auguſtus Thuanus, & Cæſar Campana, qui, ſicut alij victoriam Italorum partiuntur cum Vvallonibus, Hiſpaniſque, ita ipſi cum Gallicis Mainei cohortibus communicant. Tam varias variorum opiniones de re (quod mirum) non vetuſta, in medium protuli, vt,

Hiſtorici Hiſpani Antonius Carnerus, Carolus Coloma, & Aloyſius Bauia in hiſt. Pōtificali, cum Italis Bentiuolo, & Dauila ſuperiori narrationi cōcordant.

Contra, Mainei Dux, & Imperialis Cinutius cum Homero Turtura, Laniaci expugnationē vnis Italis attribuunt.

Thuanus & Campana Italis Gallos adiungunt.

quoniam alterutris gratificandi cauſas procul habeo, integrum diſceptationis iudicium lectori permittam.

Pariſienſiũ ingens lætitia, & collatæ in Parmenſem laudes.

Occupato Laniaco cibaria magno numero iam pridem comparata per Marium Farneſium Lutetiam aduehuntur. Vbi geſtientium animorum impetus, neque pectorum, neque tectorum teneri anguſtijs potuit; quin erumpentes in publicum ciues, diſcurſibus, clamoribuſque gaudium immodicum ſignificarent. Summis præcipuè laudibus libertatis, & ſalutis authorem Parmenſem ad Cælum efferunt: eius prudentiam, fortitudinem, diſciplinam; cunctis belli artibus tempeſtiuè vſum, cautione, audaciâ, cunctatione, celeritate. Quâ ſolertiâ cum pauciſſimis Gallias ingreſſum, ad confirmandos amicorum animos, inimicorum exterrendos, præſentiam, auctoritatem, & famam, pro magnis copijs venditauiſſe? Quantâ facundiæ & obſequij arte Maineo, alijſque Gallicis Ducibus, triduanæ moræ neceſſitatem inſinuaſſe, vt apparatum tormentorum, pecuniam, binaſque legiones, exercitus neruos, & inſtrumenta victoriæ, expectare ne grauarentur? Quâ calliditate, legionibus ad pugnam vtrinque productis, ludificatum Nauarræos pariter, & ſuos? Atque obiectâ ſpe certami-

taminis falsâ, veram victoriam abſtuliſſe? Quàm celeriter munitionem caſtrorum, aggere, foſsâ, loricâ impenetrabilem, ad duo millia paſſuum circumductam, quâ partem exercitus tegeret aduersùs aſſultum Nauarræorum, ſi quando cum altera parte ad inuadendum Laniacum impunè prorumperet? Cuius expeditionis velocitatem cùm anteuertere properatione ſummâ Rex nequiuiſſet, feſtiuè fuiſſe conqueſtum, de ratione bellandi, præter ſpem à Farneſio commutatâ. Iocantem quippe Henricum, in lenitam Alexandri de Belgio aduenientis progreſſionem dixiſſe ferunt: Hiſpanorum Ductorem Gallias ingredi, grauiſſimo genere ſaltationis, quæ ſeſquigrada, Paſſo, e mezzo. ſeu ſeſquipaſsus, apud Italos appelletur. Enimuerò vertiſſe ſubitò ſaltandi legem, ex tarda, & ſegni, in volucrem, præcipitemque, atque ad opprimēdum Laniacum proſiluiſſe ſaltatione perniciſſimâ, quæ decurſio Gallica dicatur.

At ſapientes viri, quibus reipublicæ cura ſtudijs partium antiquior, ſuper omnia commendabant bellum aſperrimum ita adminiſtratum, vt vigeſimo ab intrata Gallia die, Lutetiæ obſidio (quæ tunc erat cura non leuis, deſideriumque ſollicitum Chriſtiani Orbis) citra certaminis aleam ſolueretur. Quando duobus poten-

tentiſſimis exercitibus in mutuam perniciem accinctis, amborum vulnera, & cædes, alterius etiam clades & exitium metuebantur, niſi Farneſio incruenta victoria potior fuiſſet. Nimirum vix eò quemquam eniti potuiſſe votorum audaciâ, quod Alexander ad opus perduxit virtute ingenti, non impari fortunâ.

Ob depulſam Lutetiæ obſidionem Nauarræ Regi creuit ira, nec imminuta audacia eſt. Quamobrem aliquid Parmenſi,& Fœderatis reponere ſtatuit, præ quo Laniaci expugnatio, ludus, iocuſue videretur, modò conatibus fortuna annueret. Sin minùs, nouitate facti ac magnitudine, ſui exercitus, quem dimittere parabat, famam augeret, editâ extremâ quaſi pompâ virtutis. Conſilium expugnandæ per nocturnam aggreſſionem Lutetiæ cepit: cuius excidio ſe hactenus temperauiſſe, propter charitatem ciuium, gloriabatur. Opportunam inſidijs vrbem id temporis faciebat nimia ex proximo exercitu amico ſecuritas. Nam poſt depulſam obſidionem, Laniaco capto, vt in rebus lætis, inſolentique rerum copia, ciuium animi à curis, & vigilijs in epulas, & ſomnum auerſi fuerant. Ad conſueta excubiarum munia rari admodum, ijque negli-

Nauarræ Rex Lutetiæ ſuburbia aggredi ſtatuit.

Eius conſilij & ſpei cauſæ.

negligenter, neque ſeruatis per vicem ſtationibus vigilabant. Hæc à Politicis fideliter nunciata, ſimulque ipſorum delata opera, ſpem erexerant Regis. Cùm itaque binis noctibus caſtra Fœderatorum falſo terrore armorum inquietaſſet, vt à ſuſpicione auocaret expeditionis, quam moliebatur, tertiæ noctis crepuſculo, ſilentibus tubis, tympaniſque, caſtra mouit. Vt conuenirent copiæ Bondianis in campis Lutetiæ propinquis, edixerat, eòque, vt ex finitimis ciuitatibus, onuſti ſcalis mille quingentis carri commearent. Primâ noctis vigiliâ, flumen ad confluentem tranſit, ſtatimque pontem interſcindi iubet, ne fortè ſubodoratus rem Alexander, ſubſequi feſtinet, mediumque Regem inter Fœderatorum copias, & vrbem circumcludat. Tres in acies diſpertito peditatu, ſub Aumontio, Bironio, & Lauardino Ducibus; Rex ipſe cum Principibus Regij ſanguinis, equitatum Lutetiam ducit. Vbi iam Henrici conſilium de nocturna vrbis aggreſſione Gubernatori Nemoroſio ſuboluerat. Siue ex coniectura, nunciantibus ruſticis, magnam vim ſcalarum, & inſtrumenta ſubitarum oppugnationum, in proximo viſa: ſeu certior author ex Catholica nobilitate, piè Regi infidus, immerito exitio ſubducere voluit vrbem Catholicam,

Artes Regis ad fallendum Fœderatorum exercitum.

Tráſmiſſo flumine iubet interſcindi pontē, ne circumueniri ab hoſtibus queat.

Tres peditum acies Ducibus cōmittit, equitatum ipſe Rex Lutetiam ducit.

Vbi ciues vigilātes repeliūt Regij.

Cauſæ eorum vigilantiæ.

quæ

quæ pro tuenda Religione, armatas toties acies, & nuper vltimum malorum finem, inuicta ſuſtinuerat. Cùm igitur præmoniti ciues, intentiori curâ pro muris, & ſtationibus agerent, ad Iacobæum ſuburbium, quod, vt remotum à periculo, ſeruari incurioſius putabant Regij, repentè ſcalas admouent. Auditi ſtatim vigilibus, & militum clamore, exploſione ſcloporum, æris campani ſonitu, Hoſtium aduentus vrbe totâ vulgatus. Accurrentibus ab omni parte defenſoribus, Nauarræi, quibus vna ſpes in ciuium ſocordiâ poſita fuerat, ſcalis properè receptis, abeunt, atque ad Regem, qui non longè cum equitibus præſtolabatur, ſe recipiunt.

Detegitur ſtatim inſidiæ.

Et ſpe fruſtrati Nauarræi diſcedunt cum Rege.

Inde, quod alacres obierant ſpe prædarum, eâ ſublatâ mœſti relegunt iter; mæſtiorque cæteris Rex, euentum rei, cum relatione Pariſienſium amicorum conferens, prodi ſe videlicet ab militibus ſuis, perinde ac Fœderati prodebantur à Politicis, non abſurdè conficiebat. Vnde enim ſomniculoſam ciuitatem, & ſupinâ ſecuritate torpentem populum, fuiſſe ſubitò ad attentionem tantam, & vigilantiam excitatum? vt penè antequam ſcalæ mœnibus applicarentur, arma, & hoſtem inclamauerint. Sed profectò, quod in animo ſecum tunc volueret, proditores

Rex ad aggrediendam Vrbem redire conſtituit.

do-

domeſticos Pariſienſibus non indicaturos. Reuocare retro militem, & ad oppugnandam redire vrbem meditabatur. Victoriæ ſpes inde; quod ciues expectatione Hoſtium, aduentu, propugnatione laſſatos, quieti ſe tradidiſſe conijceret, eò ſecuriores; quòd vigiles reperti iam ſemel, incaſſum vltra tentandi viderentur. Neque feſellit Regem prudens coniectura. Nam, qui Sanctorum Iacobi, & Marcelli portas à periculo maximè auerſas cuſtodiebant ciues, militeſque, cùm terrorem Hoſtis nocturni tam citò dilapſi, aut vanum fuiſſe, aut leuem iudicarent, nullum certè rediturum, quippè iam detectis inſidijs, depulſiſque, omni vacui metu, ſomnó ſe permiſere. Illuc itaque, poſtremâ noctis vigiliâ ſilentio magno reductus exercitus; præter nocturnas tenebras, obortâ fortè nebulâ tegente fraudem; ſcalas aliquot muris applicant, nemine interpellante. Grauiſsimum Lutetiæ diſcrimen inſtabat, fatalis iterum à Nauarræis, & ignominioſa ſuburbiorum direptio; niſi religioſis hominibus, in ea parte curantibus, cogitatio ſuborta eſſet, Regiæ ſolertiæ ſimilis. Decem Societatis Ieſu Patribus, cum aliquot regionis eius ciuibus, Iacobæi ſuburbij cuſtodia mandata fuerat. Hi poſt Hoſtis abſceſſum, cùm dilabentes paſ-

Eius conſilij rationes.

Poſtremâ noctis vigiliâ Nauarræi redeũt, vt aggreſſionẽ renouent.

Thom. Tertura Catarinus Boſſier. aliique.

Societatis Ieſu patrum in cuſtodiendo D. Iacobi ſuburbio diligentia.

ſimi cuſtodes mœnium viderent, quaſi omni iam periculo defuncti eſſent; imminere tunc maximè periculum intellexerunt, ſi fortè Nauarræ Rex aggreſsionem renouaret. Suſpicionem primò inter ſe communicant: Quid ſi experientiſsimus rerum bellicarum Princeps, quod caſu contigit, id futurum ratione præcipiat, & ad expugnandam vrbem incuſtoditam reuolet? pudore præſertim, irâ, gloriæ cupidine, acerrimis conſultoribus, inſtigatus? Nam, ſi ſpes iterum fallat, ecquam iacturam, præterquam cadentis in irritum alterius tentamenti fieri? Quin à Pariſienſibus muris repulſo ſemel, oppugnationem inſtauratam, bis impetitam armis vrbem, bis ei ſcalas admotas, intra gloriam fore. Talia diſſerentes Patres, non modò in ſtatione ſua ſubſiſtere, reliquis digreſsis, verùm etiam in proximas cuſtodibus vacuas, excurrere conſtituunt. Seu dedicatis Deo mentibus, ea cœlitus immiſſa ſalutaris reipublicæ cura: ſiue ex hiſtorijs cùm didiciſſent varia per occaſiones furta bellorum, Thebanum Epaminondam, in communi ciuitatis tripudio, ſolum deſertis mœnibus obambulantem imitandum cenſuerant. Grande perleuis operæ pretium fuit. Fortè enim contigit, vt è Patribus vnus, dum circumcurſat (hunc Ioannem

Et ſatis firmæ ſuſpiciones.

nem Lorinum fuiſſe ferunt,qui poſtea ſacras literas in Romano Collegio multa cum laude eſt interpretatus). paululum quidpiam fragoris exciperet, cùm inter Sanctorum Iacobi, & Marcelli portas erigerentur ſcalæ,prope locum,quem turrim Pontificiam vocant; à porta ibi clauſa,& obſtructa, quæ in aduentu tantùm Summorum Pontificum recludi ſolet. In occupato iam animo ſtrenua ſuſpicio fecit, vt grauiùs, quàm pro tantulo ſonitu, Lorinus expaueſceret. Protinus hic ſocios ad arma, ſocij ciues inclamant. Sed ſerum erat commilitonum opperiri manus,cùm iam hoſtium vnus in mœnibus appareret.Quare impactâ vehementer in caput hominis præpilatâ veteri ſecuri, ita vt mediâ diffringeretur, ictu, ac vulnere attonitum deturbat è muro. Tunc ſodales alij, qui cùm Gallo quodam Bibliopola Andrea Niuello, & Gulielmo Balden aduocato Anglo ad tumultum aduolauerant,ſcalas vnas, & alteras ſuperſtantibus Nauarræis graues, impulſu haſtarum ſubmouent, & euertunt. Alij excuſſo de ſilice igne, faces inflammant, deiectâque ad illuminandam foſſam ardenti ſtipulâ, ingentem inibi hoſtium multitudinem detegunt. Poſtquam hi manifeſtè deprehenſas inſidias vident, clamore ſublato, ſcalas omnes certatim

Alabarda.

Quare illorum vnus audito leui ſtrepitu ad arma conclamat.

Accurrunt ſocij, ciues, militeſque.

Et ſcalas Nauarræis grauos euertunt.

Hi detecti ſcalas omnes erigunt, inſcenduntque plerique, non ſine pernicie.

Quia pauciores à pluribus circumueniũtur.

erigunt. Quod vtile conſilium initio fuiſſet, in ſumma cuſtodum raritate, poſtmodum propter accurſum militum, & plebis armatæ, præpoſterum, ac perniciosum fuit. Pauci, ijque malo ſuo, muri faſtigium tenere potuerunt. Quippe ſinguli à pluribus circumuenti, in his Cremouillæ Dominus, cæduntur. Tunc Nauarræis rurſus animi elangueſcere, ſpe potiundæ vrbis omnino deſtitui, ſignumque receptui dante Rege; cum ſcalis, non tamen omnibus, abſcedunt. Aliquot à ciuibus interceptæ cum plauſu, fauſtiſque acclamationibus ad Societatis Collegium deferuntur. Ibi ſpectaculo diu fuere monumentum Lutetiæ à religioſis hominibus contra Hugonotos, non voce modò & calamo, ſed pectore quoque, armiſque feliciter defenſæ. Sublatæ illinc ſunt, poſteaquam Rex Henricus fidei Orthodoxæ redditus, Franciæ Regnum debitum ſibi iure ſanguinis, & armorum, cum Regni capite Lutetia reſtituit. Quo loco veniam dari mihi peruelim digreſſuro per occaſionem in laudem Regiæ vrbanitatis, quá rerum iam potitus, noſtrorum hominum diligentiam, in Lutetia defenſanda facetè perſtrinxit. Cùm enim ſolemnis Pariſienſium ſupplicatio, quam obſidij tempore celebratam commemorauimus, ty-

Digreſſio breuis in laudem Regiæ vrbanitatis, & facetiarum.

pis

pis impreſſa Regi, Proceribuſque in Aula monſtraretur, aderat inter cæteros Petrus Cottonus è Societate Ieſu, Regis confeſſiones excipere ſolitus. Hic, vt ioci aliquid interiaceret, quod ei per beneuolentiam Regiam paſſim licebat, in hac, inquit, ſupplicatione, quâ Cœli præſidia contra Maieſtatem tuam implorabantur, ò Rex, neminem noſtri Ordinis prorſus aſpicies. Nil mirum (illico ſubiecit Rex) ad mœnia enim excubabatis armati, vt me, meoſque Lutetiâ depelleretis. Quæ verba cùm ingens plauſus circumſtantium excepiſset, ſuis petitum ſe telis Cottonus erubuit; faſſuſque eſt, ingenio victum ab eo, qui hoſtilia cuncta armis vicerat, vt in certaminibus manu, ſic in ſermonibus linguâ promptus. Nam eumdem eodem tempore accepimus iocari etiam ſolitum in fortunam ſuam. Cùm ſe Regem eſſe diceret, ſed ſine regno, maritum ſine coniuge, Ducem ſine exercitu, & bellum gerere ſine pecunia. Cùm autem ob inopiam ſtipendij aliquando Heluetij tribuni tumultuantes exclamârent: Tria verba, ò Rex, pecuniam, aut miſsionem. Ille confeſtim ſubiungens: Quatuor verba: neque pecuniam, neque miſsionem, ſubiti reſponſi lepore ſoluit iratos in riſum, deſideriumque ſtipen-

pendij Regiâ humanitate temperauit.

Ad Fœderatorum exercitũ rumor aggrediundæ Lutetiæ perlatus eſt, ſed fides nõ habita.

Aggrediundæ noctu Lutetiæ rumor Fœderatorum quoque caſtra penetrauerat: iiſdem, qui ad Pariſienſes, deferentibus ruſticis. Verùm credita res togatis hominibus in patriæ periculo metuentibus vel tutâ, apud ſuperbas præſidentium ſibi militum aures fidem non inuenit. Irriſu, & ſibilis excepti, tamquam incredibilia nunciarent ex metu. Alexandro tamen heſternarum noctium turbamenta, cum præſenti Nauarræorum modeſtia conferenti, haud negligendum indicium viſum, inſtititque Maineo, vt Gallos equites gnaros locorum, & linguæ ad exquirenda hoſtium conſilia dimitteret. Hi cùm in agmen Regiorum equitum abeuntium, per tenebras incidiſſent, laceſſere validiores non auſi terga conuertunt. Regreſſi communiter nunciant, aduenisse copias magnas, & firmas Regi, compararique ad certamen, vt primo diluculo Fœderatos in ſuis caſtris inuadat. At ſingulos percontante ſeorſum Farneſio, diſcrepantia dictorum mendacium coarguit, ex verecundia fugæ, timoriſque confictum. Sed quoniam falſitate compertâ, non tamen liquebat de vero, ſuperſedendum in caſtris vſque ad lucem fuit. Per hanc furtiuo Nauarræorum abitu ſimul, & ir-

Alex. tamen exploratores dimitti mandat.

Qui mendacia confingunt à Farneſio ſingulos percontante deprehenſa.

irritâ Lutetiæ aggreſſione pateſactâ, ſubijt exercitum mœror, pœnitentia, ira, non tam ex amicæ ciuitatis periculo, quod iam fortuna diſcuſſerat, quàm ob amiſſam victoriæ occaſionem præclaram. Potuiſſe enim, ſi veſtigijs abſcedentium inſtitiſſent, inter Fœderatorum copias, & Lutetiam incluſos velut indagine Nauarræos, ad ſatietatem confici ferro, fameque. Quos tanti exercitus, tantæque vrbis viribus feliciter illuſiſſe, dum audent maximè ardua impunè, quoniam auſuri non putantur: nulla re magis, quàm hoſtium incredulitate ſecuri. Properè igitur caſtra mota, vt Regiam aciem ab expugnatione fruſtra tentatâ retrocedentem, prœlio detineant, clade vlciſcantur. Suus tamen ordo à veterano exercitu ſeruatus in ira, & celeritate. Equites mille quingenti vado flumen primi traijciunt. Dein ponte, qui ſtatim refectus eſt, legiones primi agminis traductæ. Hæ cum equitibus in altera ripa certamini accinctæ ſtabant, cum onuſti currus impedimentis, dein militaria tormenta, mox acies media, & extrema tranſirent: Equitatu reliquo, tria circiter millia numerabantur, plurimùm cataphracti, citeriorem ripam ſeruante, ne quid à tergo hoſtile conſurgeret. Qui ſocios omnes tranſgreſſos, ad vltimum & ipſe, traſmiſſo per va-

Lutetiæ aggreſſione pateſacta ſubijt milites mœror, & indignatio.

Ob victoriæ occaſionem neglectam.

Caſtra properè mouent ad hoſtes perſequendos, ordine tamen & disciplinâ ſeruatis.

150o. equites cũ legionibus primi agminis flumen traijciunt vt excubias agant in altera ripa, donec tranſeant cæteræ copiæ.

Equitatu reliquo, tribus circiter millibus citeriorẽ ripam cuſtodiente.

vadum flumine, celeriter eſt conſecutus. Sed ſupernacaneum erat Nauarræũ exercitum quęritare iam nullum. Nam Rex Henricus à Lutetiæ mœnibus ad S. Dionisij fanum cum reduxiſſet copias feſſas diuturnæ obſidionis incommodis, graues morbis, pecunijs, ac tegumentis corporum vacuas, poſtremò, ſpe quoque, quæ hactenus vna ſuſtentauerat, diripiendæ opulentiſsimæ vrbis deſtitutas, dimittere præoccupauit, ne ſuâ ſponte dilaberentur. Copiam enim certaminis, quod facere poſſet ærumnis finem; ſeu morte, ſeu victoriâ, deſperare coëgerat Alexander. Qui ſi neceſsitatem pugnandi Lutetiæ periculo inculcatam, cunctis belli artibus eluſerat, quid modò facturum, exempta obſidioni ciuitate, rebuſque iam ſaluis? Quamobrem, Gallis nobilibus domum remiſsis, externos in arcium præſidia Rex diſtribuit, ſelecto antea ex ambobus, quod validius erat, ad componendam aciem virtute, quàm numero præſtantiorem, vt expeditam, facilemque mouenti, quàcumque opus eſſet, Farneſij progreſsibus opponeret. Audita miſsione Regalium copiarum, è caſtris quoque Fœderatorum, ſpe certaminis euaneſcente, plurima nobilitas, equites ferè mille quingenti digrediuntur, partim inſaluta-

Rex dimittit copias pluribus incómodis affectas.

Modicam tantùm aciem referuat quam Parmenſis conatibus opponat.

1500. equites ex Fœderatorum exercitu domũ repetũt.

lutato Maineo, ad vſurpandum ius libertatis intenti, vt in confuſa republica; partim petitâ veniâ, ſtatimque impetratâ à Duce gaudente de obſequio, dum deſerebatur. Acies tamen Catholica etſi numero imminuta, Nauarræis maiori parte dilapſis, pro victrice ſe geſsit. Pontem Carentonium, Sanctum Morum, aliaque circum oppida ad deditionem adigit, edocta Laniaci exemplo, vim Farneſij non opperiri. Arx vna Corbolij ſitu, opere, præſidio firmior, quàm cæteræ, imperium facere detrectauit. Hanc vt ſubigeret Alexander, abſolueretque liberatæ Lutetiæ gloriam, coniunctæ cum Mainei precibus, Pariſienſium legationes inſtabant. Remorabatur Ducem penuria rerum neceſſariarum ad vſum belli. Quam enim è Belgio aduexerat, ſupellex tormentaria, maximam partem in expugnatione Laniaci abſumpta fuerat. Neque ſpes erat, in campis, qui tamdiu binos ingentes exercitus aluerant, cibariorum copiam tantam contrahi poſſe, quantam ipſe magno ſtudio in obſidiones vrbium comparare conſueuerat; ne miles egeſtatem cibi, occaſionem ſoluendæ per excurſiones, & rapinas, diſciplinæ faceret. At Maineo, ciuibuſque Lutetiæ, quæ rei forent opportuna cuncta pollicitis, octauo Kalendas Octobris

Catholicus tamen exercitus pro victore ſe gerit oppidis pluribus circa Lutetiam occupatis.

Corbolium tantùm dedere ſe abnuit quod vt oppugnet Alexand. exoratur à Duce Maineo & Pariſienſibus cuncta neceſſaria obſidioni pollicentibus.

8. kal. Octobr. Corbolio admouent obſidionem Fœderati.

Caietanus & Pardæus ſuburbia expugnant.

Thuan. Catarinus. Turrius. Campana. Coloma. P. Caſtro in cõ. an. 1590.

tobris exercitus Fœderatorum Corbolium adducitur. Primo aduentu, Valentinus Pardæus ab vna parte, ab altera Petrus Caietanus adorti ſuburbia citra Sequanam, expugnant. Supererat item citra Sequanam, cum binis propugnaculis, arx parua, turriſque medio flumini, ad modum inſulæ imminens, opere antiquo, quam indigenæ à Iulio Cæſare conditam credunt. Huic ciues cùm obſidionem expectarent, ſaxis, & cæmentis, tam exitum propugnatoribus, quàm aggreſſoribus aditum obſtruxerant. Comportata noctu muralia tormenta, primo mane in arcem, & propugnacula fulminare cœperunt. Deſeruntur protinus à præſidiarijs, qui per lapideum pontem Corbolium ſe recipiunt, arci, & munitionibus iniecto igne, ne quem vſum præberent Farneſianis. At his confeſtim accurrentibus, ignis extinctus eſt. In ripa Sequanæ ſitum eſt Corbolium arx triquatræ formæ. Flumine alluitur vndique; aquis alueo rapido præterfluentibus partim, partim ſtagnantibus, & inductis in foſſas, altitudine, ac laxitate notabiles. Præſidio bis mille quingenti milites inerant. In his equites loricati ſeptingenti ſub Duce Grangia, cùm pedites mille octingentos regeret Rigous, Dux bello acer, cui cruris adempti tormentariâ pilâ,

Corbolium in ripa Sequanæ ſitum, arx triquatrâ formâ foſſas habens altitudine aquarum, & laxitate notabiles.

2500. præſidiarijs munita, cataphracti equites 700 Grãgiæ, 1800 pedites Rigoo parebant.

vicem, ligneum fulcrum ſupplebat, ſpecioſum corporis dehoneſtamentum in viro militari. Alexander traiecto flumine, attentè arcem contemplatus, duobus in locis collocari tormenta iubet, & ab Hiſpanis, Italiſque legionibus, brachia oppugnatoria circunduci. Sub ortum ſolis verberatio ſenis grandioribus tormentis eſt inſtituta. Per quam aditu modico patefacto, in ſiniſtra parte oppoſiti propugnaculi, eò legio Manriquiana iuſſa ſubijt intrepidè, vt locum ad conſidendum caperet. Et quidem acerrimè dimicantes Hiſpanos, ab ingreſſu propugnaculi maior vis arcuit, incendium intus à præſidiarijs excitatum. Quo minùs in eiuſdem propugnaculi veſtigijs inſiſterent, prohiberi non potuere, quantalibet pilarum grandine effuſâ deſuper, non ſine pernicie audaciorum; quoad erectâ ſubitariâ militari ſepe, ſe communirent. Spectator certaminis Farneſius, omnem periculorum ſenſum ademerat; ita vt finire vitam, quàm opus non abſoluere milites mallent. Horum vnum, acceptis in crure, ac femore geminis vulneribus, claudicantem, cum ipſe Parmenſis hortaretur, vt intermiſſâ pugnâ, remedia plagis adhiberet, ille gratijs actis Imperatori, diem ſe labori, & prælio, noctem quieti, curationique vulnerum, deſti-

A Parmenſi verberatio ſenis tormentis inſtituitur.

Patefacto aditu modico, propugnaculũ Manriquiani adoriuntur.

Ingredi ab igne prohibiti in veſtigio propugnaculi inſiſtunt, non ſine pernicie donec ſe communierunt.

Spectator Farneſius animos auget præliãtibus.

Quorum vnus recuſat vulneribus curationem adhibere priùſquã opus militare conficiat.

naſſe reſpondit, nihiloque ſeciùs, fluctuante greſſu, cum ſarmentitijs faſcibus, vt extremam imponeret aggeri manum, properabat. Quod ſi ardore pari à Fœderatis Gallis bellum gereretur, intra paucos dies Corbolium, proximæque arces, in poteſtatem veniſſent. Menſis ferè ſpatium obſidio tenuit, paruis in rebus, terente tempus milite Farneſiano, dum ſubſidia à Maineo, & Pariſienſibus promiſſa largiter, malignè præſtantur. Quaſi Parmenſis tantùm, & Hiſpani Regis, non Mainei, ac Pariſienſium, bellum illud intereſſet. Et nauium quidem, atque incendiarij pulueris, quantum oppugnationi opus erat, vix allatum, ingens pro ijs pretium ſoluente Alexandro, tormentorum tamen muralium, & pilarum haud ſanè ſatis. E ſenis quippe bombardis Lutetiâ miſsis, binæ caſu ne, an fraude? accepto vitio, inutiles repertæ ſunt. Prægrandes è plumbo globi, quorum copiam Pariſiēſes abundè ſubminiſtrauerant, inhabiles perfringendis muris habebantur: propterea quod manſuefactum calore plumbum obiecta mænia ictu molliore concuteret. Nicolaum itaque Ceſium, cum tribus equitum turmis, Aureliam mitti oportuit, vt ferreas pilas pecuniâ mercaretur. Non plures, quàm trecentæ impetratæ; negante Præ-

Nequaquam par ardor Gallorum Mainei & Pariſiēſium in gerendo bello.

Ob defectum tormentariæ ſupellectilis obſidio Corbolij in longum protrahitur.

Præfecto, citra diſcrimen arcis fidei ſuæ creditæ, maiorem vim diſtrahi poſſe. In hanc pilarum penuriam iocatum fuiſſe crediderim centurionem Gallum, ab Hiſpano, ioco amariore refutatum. Corbolio is miſſus in caſtra Fœderatorum venerat, tamquam de deditione acturus, re vera, vt cauſam exploraret, cur, omiſſa verberatione murorum, nihilo ſegniùs vineæ, aggeres, aliaque oppugnationum machinamenta continuarentur. Suſpicatus Alexander id, quod erat, dolum ſubeſſe, hominem ad ſe adduci, reducique, per ſuæ cohortis milites imperauit, ita vt appellandi neminis, Gallorum, inter itum, reditumque, copia fieret. Exceptus benignè alloquio, & menſâ iuuenis, annorum flore, atque indole generoſa conſpicuus, cum honeſtis conditionibus ad ſuos regreditur, intra horæ ſpatium, reſponſum pollicitus. Ad condictum rediens; nomine Gubernatorum arcis, armorumque, Grangiæ, ac Rigoi renunciat, monituros de ſtatu arcis Nauarræ Regem, qui niſi quindecim intra dies auxilia deferat, ratas tradendæ vrbis conditiones fore. Hæc in ſenatu bellico audita, cum alijs riſum, ſtomachum alijs, fremitumque mouiſſent, faceſſere protinus è conſpectu iubetur adoleſcens, tamquam nugator, vel qui ludus

ob

ob ineptiam factus, alijs innocenter illuderet. Inter abſcedendum ille contumeliam vindicans dictis; attollere Regiorum vires, Fœderatorum obterere, non caſtra; non munitiones, non tormenta penſi ducere; pilas, quæ inde exploderentur blandas, & teneras vocitare, quod imbelliter, & ſine quaſſu muris inciderent. Tunc Farneſianus Centurio: mentitum cœtera Gallum; de teneritudine pilarum vera proloqui ſubiecit: ſed ne vlterius id exprobrare pergat, eas pilas bis coctas, propediem obſeſsis deguſtandas oblaturos Hiſpanos.

Alex. mutatâ rationem & formâ belli, aliter vrbem aggredi meditatur.

Alexander itaque coactus, ob penuriam ferrei inſtrumenti, mutare rationem belli, fortunam induſtriâ vincere inſtituit. Arcem aggredi meditatur, quâ parte, ob altitudinem, amplitudinemque aquarum inacceſſa hoſtem minimè formidabat. Cùm enim illic, neque terræ aggeſtu ſatis firma, neque communita tormentis à lateribus eſſet: facilem præbitura oppugnatoribus aditum videbatur, ſi quâ vadari arte interfuſi gurgites potuiſſent. Conſilium proſperè ceſſurum, niſi hoſtis ad obmoliendum contra ſe accingeret, in occulto habuit, ne per amicos Gallos, Gallis inimicis, de more pateſieret. Præter aduectas iam rates, alias, atque alias, varij generis,

Sed conſilium in occultis habet.

neris, & formæ comparat ſilentio ſummo. Nauarræ Rege ad iuuandos obſeſſos auxilia (vti fama erat) vndique contrahente, prætendit Alexander, ſe quoque multarum nauium beneficio velle, tum celeriter copias in vnum cogere, tum flumen ab omni obſtruere parte, vt ſubſidia aduenientis Regis excludat. Diſſimulationem Farneſij caſu ipſe hoſtis adiuuit. Nam paulò ante binæ naues, quinquaginta ſingulæ militibus, tribuſque nitrati pulueris cadis onuſtæ, ſilentio noctis, per medias Hiſpanorum cuſtodias illapſæ, Corbolium penetrauerant: Commodùm etiam accidit per eos dies, vt, quæ vna Farneſiano propoſito poterat officere, turris in aquis poſita, cuniculis fruſtra impetita ſæpius, deditionem vltro faceret, poſteaquam ferreus globus Duci præſidij caput, militibus conſtantiam ademerat. Ad peragenda ſecuriùs deſtinata, princeps miſſilium pontium conſtruendorum cura fuit, & admirandæ cuiuſdam machinæ, quæ grauis armis, armatiſque, aduersùs arcis infirmiores partes nauigaret, tutamentum futura militibus pontes iaculaturis. Propertio Baroccio caſtrorum architectori negotium id datum, tanto celandi ſtudio, vt, præterquam quòd aditus in officinas nemini, exceptis opificibus, patebat, ne ipſi qui-

Naues multas comparat ſub alio prætextu.

Pontes duos miſſiles & admirādam machinam ſecretò conſtrui iubet á Propertio Baroccio.

quidem partium ſingularum ſtructores, quò ſumma ſpectaret operis, intelligerent. Quoniam idoneam materiem in proximo nullæ cæduæ ſyluæ, aut arbores dabant, domus in ſuburbio tectis, ac lacunaribus nudatæ ſunt. Ne verò deſtinationem falleret euentus, quod in molitionibus inuſitatis contingere non rarò ſolet, omnia ſcrutando, inquirendoque prouidit Alexander. Memor nimirum immanis nauigij ab Antuerpianis olim, contra ſuperpoſitum Scaldi pontem, impenſis centum florenûm millibus fabricati, glorioſo indito nomine Belli finis. Cuius horribilis expectatio, quantum conciuerat Hiſpanis terrorem, tantumdem ludibrij peperit irritum experimentum. Vt igitur ſtructura pontium adamuſſim procederet, dimetienda erat latitudo aquarum, arcem circumluentium. Ea curatio militibus eſt delata, non fabris. Cùm enim haberi non poſſet citra ingens menſorum periculum, à propinquis arcis fiſtulatoribus; audaciam potiùs militum, quàm opificum peritiam requirebat. Iuſſu Farneſij inſtructor Hiſpanæ legionis Nietus cognomine, cum vno commilitonum, primis tenebris proficiſcitur. Tranſmiſſo per vadum flumine Nietus à parte arcis, à caſtrorum parte commilito, interfuſa aquarum ſpatia, inten-

Ne fallat euẽtus deſtinationem prouidet Alex.

Et dimetiendã curat a duobus militibus latitudinem aquarum.

intento funiculo metiuntur. Inter opus medium, detecti à ſtationibus iubentur, quinam ſint, quidue moliantur? edicere. Illi ad hæc nihil: ſed Nietus remiſſo comiti funiculo, vt in caſtra referat, ipſe properus ad relegendum vadum recurrit. Aſſequitur à tergo pilarum nimbus fugientem, traiectumque tibiam, & pedem (eò colliueauerant præſidiarij, vt hominem ſiſterent, caperentque.) impeditis veſtigijs inutilem hærere compellunt. Ad iacentem cùm accurriſsent, viuum repertum, in arcem referunt. Vbi centurio Gallus, apud ſe curandum ſuſcepit perhumaniter, hoſpes ex hoſte: Quam benignitatem fœneratam ſibi poſtea ſenſit; vitam, & libertatem reponente Nieto, ex captiuo, futuro mox libero, & victore. Exploratâ amplitudine, altitudo aquarum rimanda ſupererat, an prope arcis mœnia palatio ſubeſset aliqua, ſeu præacutæ ſudes de more feſtucis adactæ, ad prohibendum acceſſum nauigijs, machiniſque. Deliguntur in eam rem gemina militum audaciſſimorum paria ex Hiſpanis, Italiſque. Profecti nocte conticubia, cùm arci tacitè nando ſuccederent, excubias non fefellere. Emiſsâ plumbeæ grandinis procella, duo ſtatim exanimati ſubmerguntur. Superſtites alij duo, quamuis vulnerati, euaſerunt

Qui deteguntur ab hoſtibus, vnuſque ex ijs vulneratus capitur, alter incolumis ad caſtra redit cum funiculo.

Pet. de Caſtro.

Deinde aquarũ profunditatẽ ſcrutantur natãdo quatuor milites duo Hiſpani, & duo Itali.

Detecti pilarũ grandine duo interficiuntur duo vulnerati euadunt ſorte diſsimili.

runt diſpare fato. Qui propior arci natabat Hiſpanus, proditus à lunæ radijs ex nubilo prorumpentibus, dedere ſe iubetur, perque reſtem demiſſam in arcem aſcendere. Ni pareat, mortem certo ictu librandam è propinquo, denunciant. Infelix tot neceſſitatibus victus maluit non perire, perque oblatum funem in muros captiuus voluntarius, non libens attollitur. Alter longinquior, ſtrenuè nando, licèt vulnus, & fatigatio tardarent, ad ripam denique, mox in caſtra feliciter redit. Vbi ſtatim edocto Imperatore, ſub arce puras patere vndas, nullis obicibus impeditas: haud multo poſt, ob dilatam nimis curationem, ægreſcentibus plagis, extinguitur. Picens is fuit, Capiſucchij miles, patriâ Senogalliâ, Hector Caballus nomine. Dignus quidem cuius virtutem de Catholicâ religione meritam celeſti laureâ decorauerit Deus, nomenque in terris exciperet immortalitas famæ, ſociorum nominibus interceptis, in vno quatuor celebraturæ.

Eius nomen, patria, meritũ.

Alexander conſilij iam certus, ad expugnandum poſterâ die Corbolium, eâ ipsâ nocte miniſteria Ducum intendit. Seu veritus, ne obſeſſi ex captiuis percunctando, eliciendoque quæ agitarentur, remedijs anteuerterent cladem; ſiue antiquum ſuum retinens, vt maturæ factu rei ne

Alex. aggredi vrbẽ feſtinat. Cauſę feſtinationis.

veſti-

veſtigium quidem temporis interponeret. Iam ſuos aggeres Itali, Vvallones, & Hiſpani ſub Tribuno Idiaqueſio ad foſſam vſque arcis perduxerant. Ab Hiſpanis pariter Zunnigę propugnaculum planum, ad latus tormentarij ſuggeſtus, erectum fuerat, vt fulminantibus inde bombardis, fiſtuliſque, hoſtes conſiſtere in mœnibus prohiberentur. Geminæ quoque domus arci finitimæ, aggeſtu telluris erant munitæ; quarum alteri ligneum propugnaculum impoſuerant, æneaſque baliſtas duas globulis, clauis, & reliqua huius generis peſte, mortales miſerè diſcerpturâ, grauidas; in altera ſtabant abditi fiſtulatores egregij centum, vtrobique parata pernicies certa propugnatoribus mœniorum, poſtquam eò feralis machina appuliſſet, cum pontium miſſilium comitatu. Huius opificij formam ab Alexandro excogitatam, à Baroccio perfectam, quoniam Fœderatis victoriæ primò fiduciam, deinde rem præſtitit, non ab re fuerit breui narratione deſcribere. Moles erat non abſimilis machinarum generi, quas vineas veteres appellarunt. Paruæ domus in morem, confibulatis è validâ materiâ trabibus extructa, quadris parietibus, incuruo tecto, iiſque luto obductis, & gramine, quam cutim pratorum vocant, ad vim ignium

Geminas domos arci propinquas armat Alex. ad propugnatores arcendos; & machinam defendendam.

Machinæ deſcriptio.

ſuperincidentium infringendam. A lateribus, & à fronte, aperti crebris hiatibus, & arctis foraminibus lignei muri, cum aditum diurno lumini, tum exitum omni generi telorum dabant, quæ octoginta bellatores armati, intus velut in equo Troiano deliteſcentes, ex occulto iacularentur.

30. Octobris arx primo manè varijs in partibus tormentis quati cœpta.

Decimo ſeptimo Kalendas Nouembres, ortâ luce ſedecim muralia tormenta in arcem explodi cœperunt. Muri cortinam octona quatiebant, partemque propugnaculi, ad quod expugnandum, lignea moles geminis cum pontibus, deſtinabatur. Cœtera partim in propugnaculum imminens portæ, pontique lapideo, quem Itali aggreſſuri erant, partim in alias Corbolij partes collineabant, ad hoſtes multiplici terrore diſtinendos.

Proſtratis 9. horarum verberatione muris, machina aduerſus arcẽ promouetur.

Nouem horas continuata verberatio ſtragem latè mœniorum fecerat, effuſæque de domibus foſſæ propinquis ferreæ glandes, clauis, globuliſque permiſtæ, non ſinebant in vertice murorum præſidiarios impunè conſiſtere: cùm horribilis machina rotis primùm ingredi cœpit, centum, & quinquaginta paſſus per ſoli plana decurrens, vſque ad fluminis ripam: vbi placido illapſu, ternas in naues inter ſe catenarum nexibus illigatas, excipitur; tum fœta armis, armatiſque, ſurdo remigio, ad muros minax prouehi-



A Corbolium.
B Pons lapideus.
C. Loricati qui tuentur pontem.
D Caietanus et Capisuchius qui oppugnant.
E. Machina milit. Corbolio per aquas admota

F. Pontes gemini ratibus uecti.
G. Vuallones, et Hispani per pontes aggrediunt Corb:
H. Altercatio inter has nationes orta in aggressione.
I Hispanus centurio deiectus à fastigio, eod. redit.

L
M
N.
O,



L.	*Suggeſtus tormentarius.*	P.	*Sequana Flumen.*
M.	*Templi turris, unde Hugonotti Saxa iaciebant.*	Q.	*Parmæ Dux.*
N.	*Domus prope mœnia, unde Sclopetorum ictibus arx nudatur defensoribus.*	R.	*Equitatus fœderatorum*
		S.	*Peditatus fœderatorum*
O.	*Catholici exercitus munimenta.*	T.	*Externa munimenta à fœderatis occupata.*

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

uehitur. Hinc atque hinc, bini ordines geminatarum ratium, ſingulos pontes vehentium, pari itinere nauigant. Pontes trabibus compactos, ab vtroque latere muniebant aduersùs ingruentia tela erecti abiegni aſſeres; remigeſque molium vectores, ne ad ictus paterent, tabulatis nauium tegebantur. Viſa eminùs moles, cum adhuc per ſiccum graderetur, nouitate ſpectaculi, hoſtibus talium machinationum ignaris, admirationem primùm, nondum terrorem afferebat. Poſteaquam aquas ingreſſa, inter tubarum, ac timpanorum cantus, pernici natatu, iter direxit ad arcem; qua parte ob latitudinem, altitudinemque aquarum inacceſſa magis, minùs arte, ac præſidio firmata fuerat: enim verò expergefacti tamquam è ſomno propugnatores, eò cum Rigoo duce præcipitanter accurrunt, appulſu arcis prohibituri ferale machinamentum, quidquid intùs occuleret, exitium, peſtemque portare exiſtimantes. Tunc velut ex condicto, ab omni parte, à plano propugnaculo, à domibus geminis, ab aggeribus, à proxima mole, certatim in eos, Farneſiani tela coniiciunt. Atquamuis expoſiti iaculationibus Galli paſſim vulnerarentur, & caderent; familiaris tamen periculi metum vincebat mali inſoliti terror. Quare in ſubeuntem

Mirantur nouam molem obſeſſi, mox conſternati ad eam mœnibus ſubmouẽdam accurrunt.

Non abſterriti Farneſianorum vndique iactis telis.

molem

molem cum vim pilarum effudiſſent (nam ictibus bombardarum celeritate curſus interiorem ſe fecerat). haſtis, trabibus, contiſque proturbare, atque euertere conantur, ſaxorum immanium ponderibus oblidere, per igniferas bolides, ardentes ollas, per veros, artificiatoſque ignes inflammare nituntur. Verùm ignium, ſaxorum, telorumque omnium victrix machina ex hiatibus, rimiſque vomens flammas, & mortes, ad muros tandem inuiolata ſuccedit; vbi iam rari cuſtodes, & debilitati vulneribus, ægrè repugnabant. Haud magno igitur negotio gemini pontes admoti, arcem ripæ coniungunt, tranſitumque offerunt legionibus Farneſianis. In armis, & in procinctu ſtabat acies tripartita. Primum agmen ex Hiſpanis binis legionibus conſtabat: ſecundum ex Vvallonibus, & Germanis. Ambobus erat præceptum, vt per binos pontes arcem ſemirutam aggrederentur. Tertiæ aciei ex Italis conflatæ, ſub Tribunis Petro Caietano, & Camillo Capiſucchio, lapideum Corbolij pontem, vbi maior belli moles, expugnandum mandauerat Alexander, magnitudinem periculi gentilibus ſuis gratificatus. Cum pugnæ ſignum intentis omnes animis opperirentur, mora tantiſper fuit, donec ſeni legionum Hiſpa-

Eluſis omnibus hoſtium conatibus muris ſuccedit machina.

Iactis pontibus acies tripartita ſignũ aggreſſionis expectat.

Petrus de Caſtro in Comment.

Hiſpanarum ſigniferi, de mœniorum ruinis cognoſcerent, & referrent. Ijs intrepidè ſubeuntibus, multo ſanguinis pretio, ea curatio conſtitit. Tres miſſilibus plumbeis exanimati ſunt, inque foſſam tamquam in ſepulturam prouoluti: reliqui tres non incruenti, opportuna omnia aggreſſioni nunciarunt. Farneſio iubente, tormenti ore oppugnationis teſſera inſonuit. Statim Hiſpani è legione Idiaqueſij, cum Cœli Reginam, & patronum Hiſpaniarum Diuum Iacobum de genu inuocaſſent, emenſi curſu pontem, murorum diruta ſuperſcandunt. Horum veſtigijs inſiſtentes legionarios Zunnigæ, ſciſſura pontis fortuita remoratur. Per alterum interim pontem, quem Belgæ periti talium machinarum diligentiùs curauerant, Vvallones traducti flagrantes cupidine pugnæ vacuum ab legione ſecunda Hiſpanorum occupant locum, ſiue ignari non dum illam tranſijſſe, ſiue ignorantiam ſimulantes. Tempore interuenit Hiſpanicæ legionis inſtructor Caſtrillus, monetque, vt reſiſtant, neque præſcriptum à Farneſio agminis ordinem interturbent. Cum immotus ad hæc, velut ab alienata mente Vvallonum Dux aſcendere perſeueraret, amplexus hominem Hiſpanus, quem voce nequiuerat, toto corpore detinet. Is nutu

Priùs tamen 6. Signiferi Hiſpani ruinas explorant.

Tres ex ijs occiſi, reliqui omnia opportuna nuntiant.

Dato ſigno Idiaqueſij legio muros ſcandit.

Zunnigæ militem pons ruptus moratur, Vvallonibus in eius locum ſuccedétibus.

ſignificat vni de commilitonibus, vt ſe vi retentum, vi expediat. Protinus exploſo tubo, dexterum Caſtrillo brachium mortifero vulnere traiectum, ita vt Vvallonem ingratijs dimittere cogeretur. Neque idcirco progredi vlteriùs Vvallonibus licuit. Obſiſtentibus partim extremis primæ, partim primoribus ſecundæ legionis Hiſpanorum, qui à ponte tandem compoſito, ad ſuum ius vindicandum aduolauerant. Sic, incitatis vtrinque animis, apparebat ciuile proluſurum externo bello, debitaſque hoſtibus iras, in mutuam perniciem erupturas. Sed ſuperuenit opportunè, pluſquàm iurgantibus, Zunniga; qui geminas increpans acies edocuit: Primam Hiſpanorum legionem ſub Idiaqueſio iam in vertice murorum rem gerere. Iam Italos cum Caietano, & Capiſucchio de Corbolij ponte Gallos generoſo marte deijcere, dum ipſi omnium poſtremi, ſocias polluere manus pararent certamine indecoro, in quo vinci fœdum, fœdius vincere. Manente videlicet victores carnifice, & laqueo, ſub Parmenſi violatarum militię legum vltore perſeuero. Secundùm hæc, haſtam quatiens ingenti paſſu ruinas murorum ſuperuadit vociferans: Qui ſecum vnà Hugonotos adortus trucidaret, eum ſe pro commilitone, pro ciue, nullo di-

Grauis rixa ob id inter Hiſpanos, & Vvallones orta.

Eruptura in ciuilē pugnā, niſi Zunigæ prudentia vtriuſque nationis iras in hoſtes vertiſſet.

lo diſcrimine Hiſpani, Vvalloniſque habiturum.

Per has voces, animorum ſubitâ mutatione factâ, æmulationem nationum in hoſtes auertit Zunniga. Permiſtè igitur, confuſèque ruentes, quidquid irarum recentium conceperant, ad priſtinum Hæreticorum odium addito, in illorum capita profundere geſtiebant, tamquam ciuilis diſſidij maculam hoſtili ſanguine deleturi. Cùm tantum virium, & animorum primo agmini acceſſiſſet, inclinare cœpit ad Fœderatos belli fortuna. Nam initio aggreſſorum virtus periculo magis, & vulneribus, quàm victoriæ fauore nobilitabatur. Septingenti ex præſidiarijs (vti diximus) loricati, ſplendidus Galliæ ſanguis, gloriæ quàm vitæ cupidiores, diſperſi locis omnibus, acerrimè repugnabant. Horum æmulatione, arcis cuſtodes mille quingenti, vetus miles, incendebantur, adiuncto bellicæ iræ odio nationis, & Catholicarum partium, cum Rigoi inſtigationibus, exemploque. Contra, ex Fœderatis non Hiſpanæ modò, & Vvallonicæ legiones, verùm etiam Gallorum fortiſſimus quiſque, Roneus, Sanpaulus, alijque duces nobiles, Hiſpanicis cohortibus immiſti, prœliabantur. Aggreſſores pariter, defenſoreſque conferti, & conſtipati, obuerſis in pectora haſtis, in

Pugnantibus coniuncto impetu Fœderatis, ad eos inclinat fortuna.

Acerrimè vtrinque dimicatur, accedentibus Ducum exemplis.

Yy ora

ora gladijs, non virtute, non loco cedere, inque vigore pari corporum, & animorum, pro fortuitis euentibus, exitiale modò his, modò illis alternabatur certamen. Innico Caruaſalio Hiſpano Centurioni, per patefactum ruinis iter, in ardua murorum ſuccedenti, propugnatores, in pectus loricatum, haſtas tam vehementer impulerant; vt præceps è procliui faſtigio, in decliue prouolueretur. Tunc excipientes eum brachijs, humeriſque connixi commilitones non ante deſtitere verſantibus in ſummo hoſtibus obtrudere, quàm aperto cœdibus limite, in vertice murorum inſiſteret. Vnde bis, terue deuolutus, repetito ſuo, ſuorumque niſu, eòdem redire pertinaciter perſeuerauit; tamquam ab ipſa ruina ſuggererentur vires, animique. Ribera auidiſſimus pugnæ itidem Hiſpanus ſignifer, commendatâ vexilli curâ alteri alterius cohortis Hiſpanorũ ſignifero, ſuper Corbolij mœnia primus aſcenderat. Eius abſentiam cùm aduertiſſet Alexander, tempore prœlij ſtationes militum circum ire ſolitus, Centurionem admonuit. A quo reuocatus ad cuſtodiam vexilli ſui Ribera, negauit integrum ſibi, hoſtem iam adepto, à congreſſu reſilire. Nam vexillum fidei, ac virtuti Alfonſi Toleti fortiſſimi commilitonis commiſſum, à

Innici Caruaſalij Hiſpani Centurionis pertinax pugnandi ardor.

Petrus de Caſtro.

Itemque Riberæ Hiſpani Signiferi.

peri-

periculo abeſſe. Niſi ratum id habeat Imperator; ſe non recuſare, quò minùs de ſucceſſore deligendo conſtituat. Eò militiæ honore, decus certaminis, & honeſta vulnera, potiora ducere. In hunc modum efferveſcenti militaris gloriæ ſtudio militi, nec vlterius inſtitit Alexander, neque reum nimiæ fortitudinis exauthorandum cenſuit. Placabilis in delictis, quibus ingenia magna, ob exaggerationem virtutis luxuriant, inſtar opimi ſoli, laſciuiâ ſegetum exuberantis. At nuſquam diutiùs hæſit, quàm ad lapideum arcis pontem, ſors belli; quem à quadringentis cataphractis nobilibus defenſum, Petrus Caietanus, & Camillus Capiſucchius tertij agminis Ductores, expugnandum ſuſceperant. Plurimum laboris, & periculi exhauſtum eſt, donec eminus pugnabatur. Neque enim ſolùm à tuentibus pontem, perpetuâ pilarum procellâ impetebantur Itali, ſed cùm incuſtodita iaculationibus ex tranſuerſo præberent corpora, nullum de proximo propugnaculo telum cadebat irritum, in nudata præſidio latera legionum; cùm præſertim ſtipatis ordinibus, propter anguſtias pontis, ingrederentur. Anceps malum, cladique obnoxium diſcuſſit prudentia Ducum partim, partim fortuna. Addere gradum, acce-

Huic licèt in leges belli peccanti ignoſcit Alex.

Italorum ad pontem lapideum labor, Hoſtibus vndique in eos fulminãtibus.

lerare, venire ad manus quàm ociſſimè Tribuni iubent. Ceſſaturos à iaculatione importuna propugnaculi cuſtodes, vbi ſuis immiſtos Farneſianos viderint, ne promiſcuè feriantur. Et ſanè remiſit nonnihil ob eam cauſam pilarum nimbus. Niſi quatenus promptiſsimus quiſque Italorum, dum inter confuſas bellantium acies, ſuâ ſe virtute diſtinguit, ictu certo ſingularem ad cædem deſtinabatur. At euanuit tandem hæc peſtis, poſtquam Hiſpanis propugnaculum aggreſsis, arma præſidiariorum, curæque, ad ſe tuendos, à ponte quem infeſtabant, ſunt auerſæ. Reſpirantes igitur Itali, hoſte vno ſublato, comminuſque alterum adepti, ſtrenuè gladijs rem gerunt. Et quamuis Galli pertinaciter obſiſterent, exceptis plagis, plagas fortiùs inferrent, plus vtrinque ſudoris egereretur, plus ſanguinis, remiſſum tamen ab altera parte, æquatumque prœlium, inſtar victoriæ putabant. Ad binas horas tenuit obſtinata dimicatio: cùm ambæ acies ante de vita, quam de veſtigio cedere ſuſtinerent, quemque locum viuens armis quiſque cœperat, eumdem cadauere occuparet. Non vulneratis, non timidis abſcedere licuit, ſocijs, hoſtibus, à tergo, à fronte, prementibus. Neque verò gradum, niſi fortiſsimi, per aduerſariorũ cædem promo-

Coguntur Galli vires diuidere, Hiſpanis propugnaculum aggreſsis.

[illegible] & [illegible] ta [illegible] horarum [illegible] pugna ad [illegible]

mouebant. Quamobrem errabunda fluctuare victoria, modò hac, modò illa in parte conſiſtere; propterea quòd alterum feſſum vincendo, & plerumque ſaucium, nouus aduerſarius, pugnæ integer exciperet, profligaretque: rurſus & ipſe, triumpho ſuo defatigatus, hoſti recenti, valentiorique palmam ceſſurus. Nihilo tamen minùs, in tam iniquo pugnæ genere ſors certaminis, & ſanguinis effuſio par erat. Quæ maior ſubinde fieri, maiorque cœpit, vbi ad veteres belli cauſas, æmulationem gloriæ, odia partium, noui per congreſſum acceſſere ſtimuli, dolor, ira, plagis, & cædibus irritatæ. Inſpectis tandem in propugnaculo Hiſpanorum, Vvallonumque victricibus ſignis, quantum fiduciæ deceſsit Gallis, tantum Italis creuit. Edito ingenti clamore, renouant impetum, tamquam inclinaturi perculſum hoſtem. Hunc tamen deſperatio ſalutis non minùs prohibebat à fuga, quàm illos victoriæ ſpes incitaret. Tunc verecundiâ, irâque fremens Caietanus, exprobrare militibus pro crimine ſegnem victoriam, tamquam ipſorum ignauia eſſet, obnitentium aduerſariorum fortitudo. Ita ne domitores Belgij, liberatores Galliarum, in vnius pontis expugnatione hærere? paucos laſsitudine confectos, vulneribus exangues,

> Cadunt animis tandem Galli, cùm Fœderatos propugnaculo potitos vidēt.

> Eoſdem à deſperatione reſumunt.

> Itali tamen à Caietano animati per cæſorum Gallorum cadauera in arcem penetrant.

gues, negotium faceſſere victoribus tot bellorum? At ſicut cœteris vinci deforme, ſic Alexandri militibus turpe ſerò vincere. Commemorationem adiunxit Laniaci nuper, olim Traiecti, & Antuerpiæ, ſe victas ab ijs verecundantium, quorum triumphis tam longa in vnius arcis oppugnatione mora, crimen inferret. Per has voces addita calcaria currentibus, ita vt, cùm numero ſuperarent, multiplicatis inſuper furore viribus, Gallos obruerent. Deſperatio illorum profuit, vt celeriùs conficerentur. Quoniam ſalutis immemores in ferrum ruebant, non magis alieni ſanguinis auidi, quàm ſui prodigi. Et quando actum de Corbolij defenſione iam erat, pugnare videbantur, non ampliùs vt vincerent, ſed vt perirent. Super cæſorum corporum ſtrues gradu facto, Itali in arcem ſe penetrant: & cum Hiſpanis, alijſque à propugnaculo ingreſſis ad cædem, prædamque in omnes partes diſcurrunt, agminatim quidem, confertique, ob expertam ferociam hoſtium; qui, vbi locus, aut Farneſianorum paucitas, occaſionem dabant, ſe conglobantes, in victores incurrebant. Quâ pertinaciâ eſt factum, vt nemini armato parceretur. Ex Ducibus Rigous, inter primum Hiſpanorum cum Vvallonibus irrumpentium tumultum,

Hiſpani, Italique ad prædam diſcurrũt conglobati.

tum, cùm ingenti voce pugnam cieret, haſtâ guttur, brachium, & ventrem miſſilibus pilis transfoſſus, occubuit, haud indecorâ morte; circumiacentibus egregijs tum hoſtium, tum amicorum. Ad ſimilem conſequendam gloriam, Duci alteri Grangiæ nequaquam idem votum, aut vigor par animi fuit. Sed aureorum millia decem pro redemptione pactus, in quo & fidem fefellit, Hiſpano Centurioni ſe tradidit. Imitatorem deditionis nactus eſt Corbeſonium, quàm ſtrenuum linguâ ante diſcrimen, tam in congreſſu manu languidum, & fugacem. Quem adeò ſuperbè Farneſianis legionibus oblocutum, cùm ad necem furibundi milites quærerent, non armis, & virtute; ſed auri ſponſione ſe texit; occultè ſeruatus ab Hiſpano Signifero, quo poſtea deprecatore placatus veniam indulſit Alexander. Cœteri cataphracti vſque ad ſeptingentos, omnes aduerſis vulneribus, vt decuit Galliæ proceres, corruerunt: cùm videlicet Rigoi, quàm Grangiæ Ducum ſimiles eſſe maluiſſent. In hunc modum cæſis, aut captis Ducibus, vulgus ciuium, militumque in fugam ſe præcipitat. Cùmque victricium legionum minaces haſtæ, gladijque intra arcem, extra verò mœnium, & aquarum altitudo, ad ſalutem obſtarent, incertam

Dux Rigous, & Galli Proceres cataphracti pugnantes occumbunt.

Pet. de Caſtro clment. a. 1590

Grangia lytrũ pactus ſe dedit: vti & Corbeſonius.

Huic deprecante Hiſpano Signifero parcit Alex.

Milites, ciueſque aut ferro, aut vndis abſumuntur.

tam certæ cladi, beneficij loco præponentes, in ſubiectas vndas, è vertice murorum deſiliunt: Pars gurgitibus hauſti, pars ſuperincidentium ſociorum ponderibus obtriti, pauci in ſiccum emerſi, à circumerrantibus Fœderatorum equitibus cæduntur, aut, ſi euadere hos contigit, ab agreſtibus camporum colonis obtruncantur; quorum ira concepta calamitatibus belli, in qualeſcumque milites, victos præſertim, & inermes effunditur. Nonnullos templa, aræque ſunt tutatæ, ad quæ confugientibus vt ignoſcerent, de more Alexander edixit, poſtquam Corbolium per mæniorum ruinas inuectus eſt. At qui, de victis Gallis, conſcensâ templi turri, lapidibus prætereuntes victores inceſſere auſi fuerant, expugnari protinus iuſſit, deiectoſque de faſtigio altitudinem præcipitio metiri. Pro Gallis hoſtibus, amici Galli preces interpoſuere, ſed fruſtra. Perſeueratum in triſti imperio. Vtriſque tamen ſua laus conſtitit. Gallis quidem charitatis erga populares, Farneſio, diſciplinæ aduerſus hoſtes, documenta præbentibus. Eſſe quippe aliquos ab officio præſtitutos imperatoriæ clementiæ fines: quos egreſſi Duces per miſericordiam erga peccantes, in rem publicam peccent. Se, in Gallis contumacibus non tam

Reſiduos ruſtici obtruncant.

Ad templa profugiētibus Alex. parcit.

Alex. eos, qui de templi turri victores ſaxis petebant, expugnari, & præcipitari iubet, amicis Gallis fruſtra deprecātibus.

facta,

facta, quàm voluntates plectere, nec animaduertere quantum nocuerint, ſed quantum nocere voluerint. Nam potuiſſe Gallos duces, qui pro ijs modò deprecabantur; potuiſſe ipſos Maineum, & Parmenſem exercituum Imperatores, ex eadem peruerſitate lapidibus obrui, dum in mentem non venit, tantam ſuperbiam in miſeris in victis audaciam ſuſpicari. Quod ſi propoſitum amentiæ plenum deſperatio ſalutis ingeſſit, quidni luant morte facinus, quod admitti non debuit, niſi à perditis, & perituris? Neque verò loci ſanctitatem ijs patrocinari, qui templum pro arce abuſi iaculatione ſacrilega profanauerint. Se libenter victis hoſtibus miſericordiam, fortibus tamen, non furentibus commodare. In hos exemplum ſalubre militiæ ſtatuere, ne quando ſpirare altiùs audeat in victoriam temeritas victa.

Corbolium nudandum mœnibus, diruendaque eiuſdem propugnacula, quod & Laniaco factum, cenſebat Alexander. Sed ægrè ſuarum arcium euerſionem ab Hiſpano ferentibus Gallis, poſt æquatas ruinas, & refecta munimēta, Mainei & Gallorum poteſtati tradidit, pernicioſo Fœderatis, at neceſſario ſibi, atque Hiſpanis conſilio. Nam profectò rei communis intererat, Corbolium firmo, fidoque externorum militum præſidio

Thuanus l. 99 Coloma l. 3. Pet. de Caſtro anno 1590. Campana l. 11

Corbolij poſſeſſionē Alex. Maineo, & Gallis tradit, non ſine damno cauſę communis.

Ad euitandas criminationes hoſtium, & ſuſpiciones amicorum.

ſidio teneri; cum experimento liqueret; creditas Gallis arces à Nauarræis facili negotio expugnari; vti Corbolio paulo poſt contigit, mirante ac ſtomachante Alexandro, quod apparet ex epiſtola eius ad Regem. Sed occurrendum fuit, non tam apertis Hugonotorum obtrectationibus calumniantium, auxiliatorem Hiſpanum, ſub obtentu religionis, ad Galliæ arces occupandas intendere: quàm tacitis Catholicæ nobilitatis, adeòque ipſius Mainei ſuſpicionibus, qui calumnias has integras ad Parmenſem deferebant, vt eas facto dilueret; ineuitabili Fœderis damno, quod amicorum præſidia non minùs, quàm hoſtiles vires expaueſceret. Nam & ægri difficilis curatio eſt, ſi fortè à ſalutaribus remedijs, perinde atque à venenis exitioſis abhorreat.

12. Nouemb. 1590.

Hyemis aduentu impeditur, ne alias arces expugnet.

Melodunum arx altera Sequanæ impoſita, vt Pariſienſium votis obſequeretur, expugnanda ſupererat. Sed hyems interceſsit, bellicis expeditionibus aduerſa, quæ maturior ſolito deſæuire cœperat eo anno pluuijs, ac tempeſtatibus fæda. Ne tamen Lutetiæ annonam facerent arctiorem geminæ Meloduni, & Sancti Dioniſij arces in ſuperiori, inferiorique Sequana, Henrico Regi ſubiectæ, validis Hiſpanorum præſidijs inter vtramque collocatis, proſpectum eſt. His infrœ-

frœnati hoſtes, arcium ſuarum ſepto tenebantur.

Corbolij capti lætitiam imminuit ſiniſtra rerum Belgicarum fama; vbi Comes Mauritius Orangij Principis filius, abſentiam Alexandri occaſionem rerum gerendarum faciebat, inſtigatus conſilijs, opibuſque Eliſabethæ Reginæ. Hæc enim anxia liberatione Lutetiæ, rebuſque proſperè Religioni fluentibus, milite, pecucunijſque ſubmiſsis, in Belgicum bellum incubuerat, vt ſecundus armorum Catholicorum curſus in Gallia abrumperetur, Farneſio ad propria tuenda reuocato. Et Batavi quidem poſt Alexandri abſceſſum ſtatim turbare cœperunt. Verùm inter arduos liberandæ Lutetiæ niſus, cum potentiſsimus Rex, atque exercitus aduerſarentur, mox in arcium expugnationibus occupato, reſpicere ad Belgij pericula non vacabat. Vbi reſpirare licuit ab inſtantibus curis, diſſoluta obſidione Lutetiæ, dimiſsis à Nauarræ Rege copijs, Laniaco, & Corbolio expugnatis, tunc enim verò Belgij mala vrere Parmenſem cœperunt. Quemadmodum vulnera, quæ, inflammatis in prælio animis, non ſentiuntur, finito certamine refrigerata crudeſcunt. Quod ſi Belgij ſeruandi ſtudium reditum ſuadebat, non mi-

Alexandri exercitum in Belgium reuocant eius neceſſitates.

nùs manendi pericula, commorationem Gallicam dehortabantur. Vbi, cum Hiſpanos ad hyemandum intra munitas arces recipere abnueret Dux Mainei, Gallique præſidia ſua formidantes, in apertis eos campis, pagiſque conſidere, Nauarræorum aggreſsionibus obnoxios; ratio belli non ſinebat. Ad hæc, inuaſerant exercitum morbi, partim contracti ob labores in obſidionibus arcium exhauſtos, partim ab inſolentia Cœli, quam graue anni tempus autumnus pluuijs frequens iniquiorem reddebat. Si qui verò decubuerant, non ex gregarijs militibus modò, ſed ex primoribus, nulla ijs, in humanâ ope, ſpes reliqua; ob medentium, & medicamentorum inopiam ſummam. Quare plerique in tentorijs inualidi iacebant, depoſitâ ſpe ſalutis: alij ore pallido, & exangui ſolatia mortis, non remedia, vagando quærebant: nonnulli, relictis caſtris, quaſi morbum, & miſeriam mutatione loci abiecturi eſſent, obnoxij Nauarræis circumuagantibus errabant. Nec audebant Duces exigere, vt diſciplina teneretur à languidis, & vix animam retinentibus. Vt igitur afflictas exercitus reliquias conſeruaret, conſilium profectionis Alexander ſuſcepit, obſtinauitque animum, nullis Mainei perſuaſionibus cedere. Cuius nimirum ne-

Et à Gallijs auocant incómoda annonæ, morborum, cú inopia ſumma medicamentorum.

negligentiâ, & auaritiâ miniſtrorum factum fuerat, vt cibariæ rei apparatu largiter quidem promiſſo, ſed nullo exhibito, vterentur milites importuno victu, & inſalubri, quem ex neceſſitate prædabundi, armatâ manu ab agreſtibus inuitis extorſerant. Quæ res cum populares grauiter offenderet, Parmenſis animum, ſupra quàm credi poteſt, angebat. Quoniam detrimenta valetudinis, & diſciplinæ cumulabantur odijs Galliæ populorum. Itaque, niſi diſceſſum maturaret, nihil prouidebat futurum propiùs, quàm vt Regis Hiſpani milites, qui belli initio velut è Cœlo ſubmiſſi Galliarum liberatores excepti fuerant, poſt collatum beneficium, tantumque ſanguinis, atque auri profuſum, tamquam prædones, atque hoſtes exigerentur.

Alex. de Gallia in Belgium reuerti omnino ſtatuit.

Ne ſui milites coacti victum prædari, poſt factam ſementem beneficiorum, odia meterene Galliæ populorum,

Neque multum à populi ſenſu, habitus animorum in Catholica nobilitate diſtabat. Sanguine quippe, atque opibus illuſtrior erat nemo, qui non aureas Indiarum venas in ſuum ſinum, & beati metalli copiam deriuaturum Hiſpaniæ Regem crederet. Inter hos virtutibus, meritiſque Nemoroſij Dux, & Lugdunenſis Antiſtes eminebant. Alter defenſæ Lutetiæ gloriâ inclytus, quinquaginta aureorum millia pro cuſtodiâ Vrbis impenſa ſibi reſtitui ius, faſ-

Nobilitatis quoque, ſpe Hiſpanici auri fruſtratæ.

que

que eſſe dictitabat; cum diurnos, nocturnoſque labores, & perpetuas in trimeſtri obſidione vigilias, religioni, ac reipublicæ condonaret. Alter togæ ſtudijs, & eloquentiâ clarus, quibus Fœderis cauſam egregiè propugnare ſolitus, ingentem vim auri, quam vſui publico commodauerat, repetebat. Tribuni Heluetiorum, niſi promiſſa ſtipendia ſuis legionibus exoluerentur, hoſtilia loquebantur. Minabatur pariter Iacobus Collaltus, nomine militum Germanorum, quibus aureorum millia quinquaginta ſupra ducenta deberi aſſeuerabat. Cum autem exprimendæ ab Mainei Duce pecuniæ ſpes nulla eſſet, ærario ſemper vacuo, propter ipſius largitiones, & amicorum rapacitatem, Parmenſium Ducem, quos diximus proceres, alijque circumſiſtere, nauatam Catholicæ rei fideliter operam commemorare, alacriorem in poſterum voluntatem exponere, ſeu debiti, ſeu ſtipendij, ſeu præmij nomine, aurum efflagitare. Quorum omnium auiditatem inexplebilem explere ſi conaretur, orientis, occidentiſque ſolis theſauros Hiſpaniæ Regi non ſuffecturos, apparebat. Ergo cauſatus Alexander ærarij Regij difficultates, ob quas ipſe neceſſe habuerit, Caſtrenſem in Pontificia ditione Ducatum oppignerari, ad ſup-

Alex. decies centena millia aureorum de ſuo impendit in Gallicum bellum oppignerato Caſtrenſi Ducatu.

plen-

plendas de ſuo impenſas Gallici belli, ſcripturum ſe tamen ad Hiſpaniæ Regem diligenter recepit, nec dubitare, quin, pro egregia in Catholicam Religionem, & Fœderatos Galliæ Principes voluntate, gratiam Philippus Rex, aurumque cumulatè ſit repenſurus, pro poſtulatis, & meritis ſingulorum. Maineo quidem, pro vrgenti neceſſitate (à ſeditione enim prope aberant milites Germani Lutetiæ cuſtodes) centum triginta aureorum millia numerari iubet in præſentia, duplo maiorem ſummam, pro reliquo ſtipendio, poſtquam Bruxellas attigerit, pollicitus.

Tom. 1. 9.

Mainei Duci 130. aureorũ millia ſoluit pro vrgenti neceſſitate.

Exinde ad iter multis, magniſque difficultatibus circumſeptum, animum comparat. Aeſtiuo tempore Gallias intrauerat, inter amicorum gratulationes, terrores hoſtium, Nauarræ Rege, cum exercitu, Lutetiæ Pariſiorum adſidente. Redeundum aliena tempeſtate, ſub hyemis aſperrimæ initia, perpetuo imbre corruptis vijs, amnibuſque exundantibus. Nec æquiores experturum homines, quàm elementa. Hinc ſuboffenſos amicos, qui ſpe minora perceperant, illinc hoſtes irritatos felici liberatione Lutetiæ; nullâ obſidionis curâ diſtinente inquietum Nauarræ Regis ſpiritum, cum lectis

Difficultates itineris prouidet ab aſperitate hyemis à pluuijs & fluminibus redũdantibus, & ab aſſultibus Nauarræorum.

no-

nobilium equitum turmis, à fronte, à tergo, à lateribus incurſaturi. His malis antea, remedijſque ſimul penſatis, viginti dierum ſpatium reficiendis militibus, præparandiſque in iter menſtruum cibarijs, impendit. Cum peditum tria millia Iattræo commodaſſet, vt copioſum frumenti, hordei, aliarumque frugum commeatum, ſenos in menſes alendæ Lutetiæ ſuffecturum, Aurelianenſi ab agro conueheret. His perfectis, ne quid certum de ſui ratione itineris hoſtis haberet, non rectâ viâ, ſed obliquâ Belgium verſùs in Campaniam mouet ad bina equitum, peditum dena millia redactas copias. Acie primâ mediam, mediâ verò, primâque poſtremam, firmiores facit, vtpote hoſtium aſſultibus magis expoſitas. Primæ Marchionem Renthiacum equitatus vniuerſi magiſtrum, poſtremæ Georgium Baſtam Commiſſarium equitum præponit. Mediam bipartitam, alteram Mottæus caſtrorum Præfectus, alteram Parmenſis cum Maineo ductabant. Circumſeptus exercitus ampla carrorum indagine, ternis, quaterniſque ordinibus gradiebatur. Ex ijs, præter annonam, tormentariam ſupellectilem, ſarcinaſque militares, interiores rhedæ milites ægros, quorum commendatiſſima Farneſio cura erat, prope mille numero vehebant. Si quis

His omnibus occurrere cogitat, & primò viginti dierum quiete exercitum reficit, & commeatum in menſem comparat.

Lutetiam quoque cibaria pro ſex menſibus inuehi curat.

Deinde Belgiũ verſùs exercitũ mouet imminutum ob inopiam pecuniæ, cibi, & medicamentorum.

Primam aciem Renthiacus, poſtremam Georgius Baſta, mediam cum Mottæo Parmenſis & Maineus ducunt.

Ambitu carrorum legionibus concluſis, pœna capitis ne quiſquam audeat egredi vetitum.

quis iniuſſus munimenta carrorum egrederetur, capitalem pœnam indixerat. Tantùm ſpeculabundi leuis armaturæ equites euagabantur, ſecuritatis itinerum cuſtodes. Quibus mandatum, vbi vis maior hoſtilium armorum ingruiſſet, vt ad carros ſe reciperent; illinc ſclopetarijs equitibus procurſuris, vt ſubeuntes temere aduerſarios plumbeâ grandine obruerent.

Equites tantùm leuis armaturæ ad itinera explorãda, euagari iuſſi certis legibus.

Henrico Regi ab amicis, quos in caſtris Fœderatorum occultos habuiſſe commemorauimus, Farneſianæ profectionis admonito, ſuſpicionem iniecit flexus itineris in Campaniam, ne quid in arces viæ conterminas moliretur, ſiue aperto marte, ferroque, ſiue dolis, & auro Hiſpanico, quod interdum ferro potentius, perinde metuebat. Quare euocatos à præſidijs arcium ſexcentos pedites, equites ducentos, cum Nuano Duce, ad Theodorici caſtrum dimittit, vt auxiliarium militum ſpecie, ipſum cuſtodirent arcis Gubernatorem Vicecomitem Pinartium, cui tamquam Catholico, & Lotharingis per vetuſtam clientelam addicto, minùs fidebat. Exinde, cum tribus circiter equitũ millibus, modicas in turmas diſtributis, terna peditum millia ponè trahens, Farneſianis veſtigijs inſiſtere cœpit, haud quidem apertá vi quidquam auſurus,

Henricus Farneſiani itineris admonitus, caſtrum Theodorici aucto præſidio communit.

Deinde cum tribus equitũ millibus, totidem peditum, ſequitur Fœderatorũ exercitum.

Eius conſilia.

ex Nuani ſententia, vetus illud occinentis, extruendum abeunti hoſti aureum pontem; ſed vt arces amicas, campoſque ab incurſionibus protegeret. Quod ſi aliquam hoſtis negligentia, ſeu fortunæ fauor, opportunitatem daret, eâ ſtrenuè ad victoriam vti erat paratus. Alexander interdictâ ſpe Theodorici caſtrum occupandi, omiſſis diuerticulis, iter direxit. Vigeſimum iam diem, per inimicas, aut inſidas regiones, inuiolata proceſſerat Belgica acies, inter varias hoſtium minas potiùs, quàm aggreſſiones, ac tentamenta magis, quàm prœlia, cùm ſexto Kalendas Decembres, luce D. Catharinæ Virgini, ac Martyri ſacrâ, horâ diei vltimæ proximâ, Regis equitatus à parte Sancti Quintini ad certamen inſtructus apparuit. Bironius iuuenis tum ſuo, tum nobilium equitum nomine, Regem exorauerat, vt priùſquàm efferrent è Gallia pedem Hiſpani, breui congreſſu periculum virtutis facere pateretur. Cupiditati Gallicæ iuuentutis, & ferociæ chariſſimi capitis, obſecundandum Rex cenſuit; ſed eo rem ordine temperauit, vt, ſi victoria martem ſuum annueret, non paruam extremo agmini cladem inferret; ſin improſperè euentus caderet, nullo, aut quàm leuiſſimo damno afficeretur, receptu ad arces facili, per-

Luce D. Catharinæ ſacra, vt Brironio iuueni gratificetur de congreſſu cum Hiſpanis, à parte S. Quintini ad præliũ ſe inſtructum oſtendit hora diei 23.

que

que inſcitiam locorum, & aduentum noctis, Farneſio inſequi non auſuro. Eamdem ob cauſam, equitibus cataphractis manipulos aliquot adiunxerat militum, vilibus equis vehentium, quos Dracones appellant, ſiue à terribili draconum ſpecie, quam præferre videntur, dum acclinatos dorſis equorum ſclopos grandiores collineant, ſiue à pernicie terribiliori quam inferunt in certamine, dum iiſdem exploſis, cum ſulphureo flammæ halitu quaſi animâ venenata euomunt mortem. Veriùs fortaſſe quis milites perditos, aut deſperatos vocaret, quandoquidem inter equites cataphractos, aut lancearios, pedites dimicant, omni præciſâ ſpe fugæ, nec ſalute reliquâ, extra victoriam.

Pet. de Caſtro anno 1590. Carolus Coloma

Draconũ quoque turmam adducit. Vnde dracones dicti, & quis vſus.

Parmenſis de aduentu, ac numero hoſtium edoctus, inſpecto diligenter locorum ſitu, Nauarræos perlicere ſtatuit in campũ, geminos interiacentem fluuios, qui aquis autumnalibus turgidi, ab equis vadari non poterant. Iuſſo itaque extremo agmine frontem Regijs obuertere, haſtarumque ordines triplo denſiores opponere, inſtar ferrei muri; ducentos haſtatos, totidem ſclopetarios de reliquo virium corpore ſubducit, adiungitque loricatis equitibus octingentis, atque omnes vltimi agminis fronti tutandæ deſtinat.

Alex. ad certamen inſtruit poſtremã aciẽ amplificatam ordinibus triplo denſioribus.

Acies prima, & ſecũda iuſſę feſtinant ad ponenda caſtra, & muniẽda.

Deinde primam, & ſecundam aciem accelerare imperat ad conſtitutam à metatoribus caſtrorum ſedem, mille quingentos paſſus inde diſtantem, eamque ſtatim communire; vt, ſi victrix à prælio abeat acies poſtrema, leuamentum habeat, ſi victa, perfugium. Hæc properantia concitatorum agminum, procul intuentibus Nauarræis, trepidatio viſa, & (quod Alexander prouiderat futurum) inſtar præbuit pauoris, ac fugæ.

Nauarræi quoque iter accelerant, vt quaſi cedentes inuadant.

Quare ipſi quoque duplicant gradum, & quaſi hoſtes inclinatos profligaturi, tumentem pluuijs riuum ponte tranſmittunt. Vbi propiùs acceſſere, Nauarræorum effuſum curſum inhibuit extremi agminis aſpectus, præter ſpem in veſtigio defixi, & vibratis in aggreſſores haſtarum cuſpidibus, minacis.

Sed reſiſtunt, dum immotã vident hoſtilem aciem.

Tunc immota parumper conſtitit vtraque acies. Nam, neque Rex, minoribus multo viribus, Farneſianos tam alacres laceſſendos putabat, neque hi priores conſerere manus audebant, inconſulto Imperatore.

Vtriſque morantibus: Alex. imperat ſuis, vt hoſtem inuadant.

Qui re compertâ, per Georgium Baſtam, præcipit ſuis, vt ceſſantes aggreſſores inuadant. Tunc è munimentis carrorum ſclopetarijs equitibus excurrentibus, procurrentibuſque in occurſum Nauarræis, equeſtris pugna committitur. Hiſpani, exploſione facta, equos circumagen-

agentes ad currus celeriter ſe recipiunt, ibique ſclopis rurſus oneratis, in certamen redeunt. Itaque procurrendo ſæpius, recurrendoque, ſine noxiâ ipſi, noxiam aduerſarijs non mediocrem inferebant. Pertæſus iniquitatem huiuſmodi ludi Bironius, cum octoginta cataphractis equitibus, in ſclopetarios à latere incurrit. Verùm, his ad conſueta latibula refugientibus, dum ardentiùs, quàm conſultiùs iuuenis generoſus inſiſtit, à duabus lanceariorum Belgarum turmis repentè proſilientibus, circumuentum ſe videt; confoſſoque iam equo, ægrè vitam, ac libertatem, pedes inter equites tuebatur. Tunc, animaduerſo tanti viri periculo, ad ferendam opem, à dextera Humerij Dominus, Comes Tillierius à ſiniſtra equitibus vterque centum ſtipatus, interuenit. In communionem venere periculi, dum auxilium portare ſe credunt. Vix enim certamen magno animorum ardore redintegrauerant, feſſoſque lancearios Belgas, ipſi integri, ac recentes vrgebant, cum Marchio Renthiacus, & Princeps Chimacius, equites ſexcentos loricatos, in aciem inducunt; momento eodem, pedeſtres Hiſpana, & Italica legiones, Tribunis Petro Caietano, & Alfonſo Idiaqueſio præeuntibus, addunt militariter gradum, vt certami-

Hiſpanorum equitum artificioſum certamen, cuius portæſus Bironius cum equitibus 80. cataphractis in illos inuehitur, ſed cum graui periculo.

Caterruans.

A duab⁹ enim Belgicis turmis circumuenitur.

Opem ei ferũt Humerij Dominus, & Comes Tillerius cũ 200 equitibus.

Contra hos erumpunt 600 equites ſub Renthiaco, & Chimacio.

Etiam pedeſtres legiones cum Tribunis Caietano, & Idiaqueſio ad certamen accelerant.

tamini ſe immiſceant. Cum tantam belli molem ex inopinato ſurgentem Henricus cerneret, fremens, & ſemet incuſans, quòd improuidæ iuuenum audaciæ, cauta experientiſsimi ſenis conſilia poſthabuiſſet, periclitari tamen cum fideliſsimis bellatoribus maluit, ſi quâ viâ poſſet ſuo diſcrimine, illorum propulſare periculum. Omnem grauis armaturæ equitatum, duo & amplius millia cataphractorum, geminas tributum in partes, alteram Rex ipſe, Dux Longauilleus alteram, in Fœderatos rapiunt; præmiſsis, qui ſuos laborantes moneant, vt ad amicas turmas pedetentim ſe recipiant, dum totam hoſtilium armorum nubem, in ſe Regius eques auertit. Spes erat, tamdiu ſuſtentaturos, donec interuentus noctis, in quam præceps vergebat dies, dimidio horæ vix reliquo, pugnam dirimeret. Verùm acrior Regis opinione equitum Farneſianorum impetus fuit. Seu conſcientiâ ſuarum virium incitante, cum numero, & fortnnâ belli ſuperiores exiſterent; ſiue irâ in hoſtem importunum, dieſque noctéſque fatigantem; ſeu denique, à propinquo lucis occaſu, intellectâ neceſſitate victoriæ feſtinandæ. Et quidem Nauarræi equites, Renthiaci ſe inuehentis cum ſexcentis loricatis incurſum ægrè tolerauerant. Vbi Hiſpa-

Regis Henrici in re ancipiti prudens & forte conſilium.

Sed vehementior opinione Regis fuit impetus Farneſianorũ equitum.



A Exercitus Catholicus. D. Sclopetarij Hispani. G. Ranthiacus cum equit. grauis.
B. Parmę ac Plac. Dux. E. Biro cum Loricatis inuadit. armaturę ad certamen properat.
C Munimentum Carrorū. F. Equites Bironium circum ueniunt H. Legiones etiam Hispana, et
F. Tellierius, et Humerius opem ferunt. Italica accelerant.



I. Conflictus
erat-L. Bitonius equo ſuffoſſo periclitatur.
M. Rex cũ reliquo equitatu prælio ſe admouet.
M. Pedites Regij Vulgò Dracones remorantur Farneſianos.
N. Blaſius Capiſucchius Vulneratur.
O. Fuga Regiorum.
P. Longauallis Oppidum.
Q. Agger haſtis extructus à Rege.
R. Rex dimicans, et ſuos excipiens à fuga.

ſpanas inſuper legiones conſpicantur ſariſsis, & ſclopis inclinatis aduentantes, effugium circumſpectare, non receptum, ne ſuperfuſis armorum torrentibus obruantur. Breuis moræ ſpatium interiecit cura Bironij; cuius audito periculo, ſalutem etiam, atque etiam Rex commendauerat ſuis. Hunc in foſſæ crepidine repertum, vbi contra circumfuſos equites, à duobus adiutus armigeris, fauente importunitate loci, ſe tutabatur, cùm celeriter equo impoſuiſſent, in fugam vniuerſi ſe conijciunt. Neque ſegniter inſequi Belgæ. Quamobrem nobilium equitum turmis clades non modica imminebat, niſi Rex ipſe Henricus, ingruentem procellam repreſsiſſet primùm conſilio, rurſus conſilio, & manu. Cuius certè virtus haud ſe minùs mirabilem, in hac improſpera leui pugna, quàm in magnis aliàs victorijs præbuit. Nam primò irruentis equitatus Fœderatorum impetum retardauit, obiectâ draconum ducentorum acie, quos deſcenſionem facere iuſſerat. Hos equites Hiſpani, atque Itali abrepti alacritate victoriæ, dum ſtatim aggrediuntur, eminus excepti ſclopis longioribus, malè multantur. Inter cæteros Blaſius Capiſucchius, femore grauiter ſaucio, abſcedere prælio cogitur. Verùm hoc illi vulnus latiùs fluxit

Cum Bironiũ periculo liberaſſent equites Regij in fugã ſe conijciunt.

Inſequentibus Fœderatis Draconum manipulus à Rege obijcitur.

Quos dum aggrediũtur Fœderati nonnulli vulnerantur.

Inter hos Blaſius Capiſucchius.

Campana. Carner. Turtura. Pet. de Caſtro.

Cui prælium iſtud & vulnus glorioſũ fuit, quoniã Franciæ Regem teſtem, & laudatorem habuit.

xit gloriá, quàm ſanguine. Si quidem poſt paucos annos, cùm armorum Auenionenſium Dux Generalis, obſequij cauſá, Galliæ Regem inuiſeret, qui Lugdunum venerat ad ſponſam Mariam Mediceam excipiendam, hoſtis ab hoſte laudatiſsimo, iſtius certaminis mentione factá, teſtimonium virtutis præclarum habuit. Dum igitur Fœderati lentiori cæde importunum Draconum obſtaculum amoliuntur, paucorum exitio iter, & ſpatium ad ſalutem patuit equitibus Nauarræis. Quorum priores effuſiſsimo curſu ad Pontarſium delati, flumen incolumes traijciunt. Poſteriores, equis in vada infida progreſſos, violentus gurges abripuit. Alios errantes in fluminis ripa, inter vndarum, hoſtiumque metum ambiguos, aſſequutus hoſtilis equitatus obtruncat. Ad ſexaginta ferro, plures aquis intercepti ſunt. Neque deſtitit ponte tranſmiſſo fugientibus inſtare victor. Adeptuſque foret nobilium equitum ſanè non paucos, quos fuga ſeriùs inita, vel pondus grauioris armaturæ tardauerat, niſi Rex ad portam oppidi, cui longa Vallis eſt nomen, nouum ſubitò armorum aggerem excitaſſet, quo à ſuis perſequendis hoſtes imperiti locorum, inumbrante iam veſperâ, abſterrentur. Nam equis deſcendere iuſſos

Dum Dracones lentâ pugnâ cęduntur, iter ad ſalutem Regijs equitibus patuit.

Quidam ex ijs aquis abſumpti, nonnulli ferro.

Solertia Regis in extruendo armorum aggere, pro ſuis equitibus in tutum recipiẽdis.

ſos cataphractos quadraginta,haſtiſque & ſclopis grandioribus armatos,aduerſarijs irrumpentibus, in aditu portæ, quaſi ferreum vallum obiecit. His medius Rex ipſe cum fortiſſimè dimicaret, aduenientes excipiens Gallos, propellenſque ſubeuntes Farneſianos, prouidi ſimul Ducis, & intrepidi bellatoris partes, cum ſuorum & hoſtium admiratione ſuſtinuit. Nec ante verſari deſtitit in flagrantiſſimo certamine, quàm ſuos omnes intra ferreum ſeptum receptos, alteráque eiectos portá, Ambianum versùs incolumes emiſerit. Mox illos cum ſuis cataphractis quadraginta eſt perſecutus,cum Fœderati quoque poſt abſceſſum lucis receſſiſſent. Hos in caſtra redeuntes, queritanteſque victoriam à Rege, à nocte præreptam, Alexander blandè eſt conſolatus: Macti eſtote virtute commilitones. Si noctem auxilio Hugonotorum ſubeuntem, ſtatione Cæli producta, Sol vt olim, pro Dei militibus militans propulſaret, bellum vtique captiuitate Nauarræ Regis, & exitio Hæreſis Caluinianæ finijſſemus.

Secundùm hanc pugnam, reliquum paucorum dierum iter Farneſio quietum fuiſſe fertur, Nauarræis, & Bironio, facto pluſquam vellent, virium periculo contentis. Haud ſum neſcius,

aliud ab alijs leuioris momenti commemorari certamen, in exitu Galliæ prope Guiſiam variante fortuna, vti cœptum, ita & deſitum à Regijs; virtutem, & diſciplinam exercitus Catholici laudantibus. Verùm vt vt iſta contigerint, Alexandrum Belgio iam proximum, ceſſante moleſtia Nauarræorum, alia cura grauior inceſſit. Cum enim Hiſpanam Emmanuelis Vegæ legionem tranſlatam, Vicarij Mansfeldij iuſſu, è Friſia in Brabantiam accepiſſet, non ſecus ac ſi clades aliqua nunciaretur exhorruit. In tam recenti memoria Cortracenſis flagitij, ab Hiſpanis felici contumacia peracti, metuebat ne in cauſa pari, ab eadem gente, occaſione ſimili, non abſimile facinus tentaretur. Idque adeo Comiti Petro Erneſto ætatis, & experientiæ maturo Duci, non ſuccurriſſe mirabatur. Cumque res tanti momenti, deliberationem haberet ancipitem, cur Imperatoris in propinquo verſantis, non requiſitum conſilium, expectatumque? Niſi fortè ob id ipſum à Mansfeldijs feſtinatum. Vt videlicet demerendorum ſibi militum facultatem per aduentum Farneſij interituram præoccuparent: Carolus præſertim filius, qui vetus Hiſpanorum odium, hac noua gratia obliterauit. *Famianus Dec. 2. lib. 10.*

Cum Guiſiam Fœderati veniſſent, digrediens

diens Parmenſis, quatuor peditum millia Hiſpanos, Italoſque, cum quingentis equitibus tradit Maineo Duci; iuſſis pariter parere Germanis, qui ſub Comite Collalto Lutetiæ præſidio impoſiti, ſtipendio Hiſpanico merebant.

Diem Guiſiæ totum impendit, militaribus copijs in hyberna collocandis. In Picardiæ finibus hoſpitium Idiaqueſij, & Capiſucchij legionibus deſignat. Bremum, & Feritatem Miloniam Neapolitanis Petri Caietani militibus, atque Hiſpanis Zunnigæ attribuit. Sueſsionibus, & in finitima regione, quam Mainei Dux, aulæ ſuæ ſedem legerat, Vvallones, Germanoſque hyemare conſtituit, cum parte Hiſpanici equitatus. Sufficere Fœderatis has vires viſum, cum Nauarræ Regi, ex inopia pecuniæ, haud quaquam iuſtus exercitus ſub ſignis eſſet.

Fert Milon. Breme.

Soiſſõ.

Quare vbi primum remiſit hyemis rigor, vti aſſolet in Gallia auris tepentibus emollitus, Capiſucchius, & Zunniga cum ſuis legionibus ex hybernis egreſſi, ſub auſpicio Mainei Ducis Hugonotorum arces inuadunt, partim deditione, partim vi capiunt, Sanctum Lambertum, Sanctum Gaulinum, Theodorici caſtrum, cum alijs octo minoris famæ oppidis; quibus in poteſtatem Fœderatorum redactis, & arma Nauar-

S. Lambert. S. Gaulin. Chateau-Thierry.

ræorum ſubmouebantur longiùs, & vberior cibariorum copia Lutetiam confluebat. Quippe vrbis ampliſſimæ, meritiſſimæque ſecuritatem, Philippus Rex Alexandro, Alexander ſuis Ducibus, enixè commendauerant.

FINIS SECVNDI LIBRI.



DE

DE REBVS IN GALLIA GESTIS
LIBER TERTIVS.

SOLVTI Pariſienſis obſidij, & liberatæ in Gallijs Catholicæ Religionis gloriá, Farneſium auctiorem, Belgium recepit gratulabundum, tamquam particeps laudis armis communibus partæ. Quam porro abijſſe ſenſerat cum ſummi Ducis virtute fortunam, hanc poſtliminio redituram, illo redeunte, augurabatur. Sed quemadmodum ſanandi morbos, quàm præcauendi cura eſt operoſior; ita, quæ ſubmouere mala potuiſſet præſentia Ducis, ijſdem per occaſionem abſentiæ inuectis, corroboratiſque, redux mederi, ſine magnis impendijs temporis, & laboris haud poterat. Quin & militares copiæ, quales viris, armiſque florentes in Gallicum bellum eduxerat, in nauandá illic fortiter operâ, non ſecus ac ferrum, cùm duriſſi-

Belgij ob Alexandrum e Gallia reducẽ gaudium, & gratulatio.

Difficultas medendi vulneribus, quæ Belgium per abſentiam Ducis acceperat.

Farneſiani exercitus, quem in Belgium reducebat dimi nutio & cauſæ diminutionis.

riſſima terit, attritæ, neque numero, neque vigore pari reuertebatur. Prætęrquam quod incommodis itinerum, & caſibus præliorum extenuatæ fuerant, ad vltimum varijs morborum generibus affectæ, in ſingulis legionibus ægros numerabant ferè quadringentos; non in obſcura ſolùm vulgi, ſed in ſplendida quoque Ducum nomina, quaſi decus inde peteret, graſſante morte. Binis itaque legionibus Maineo, & Fœderatis ad præſidium Galliarum conceſsis, totidem in limitaneis arcibus, ad hyemandum collocatis, vt inuocatæ ſtatim in Gallias accurrerent, abſumptis haud ſanè paucis violentiá vulnerum, & morborum, quota virium portio, ad nutantem Belgij ſtatum fulciendum, redierat? Quatuor legiones ad tutelam Prouinciarum reliquerat, binas Italicas Ferrantis Gonzagæ, & Gaſtonis Spinulæ, totidem Germanas Zuutzenburgij, & Bentinchij, præter octo cohortes Comitis Vandebergij, & pedites Burgundos, Belgas, Hiberniſque. Lancearioruin quoque turmas, ſub Vaſti Marchione, & Ambroſio Landriano, ſub Comitibus Hocſtratæ, ac de Luna, ſub Alphonſo Mondragonio, & Pradilla; ſclopetarios verò equites ſub Aguia, & Contreras Hiſpanis, tum equites grauis armaturæ ſub Areſchotti Duce, ſub

Milites à Farneſio relicti Belgij cuſtodiæ.

ſub Comitibus Mansfeldio, & Barlamontio, & Barlecutij Domino. Iuſſerat præterea ſupplementa conſcribi pro militibus in Galliam traducendis. Sed hæc admodum lenta proceſſerant, ſtipendijs ab Hiſpania non procedentibus. Neque verò veteri militiæ in Belgio abſente Præfecto ſuus ordo, & forma permanſerat, deſtruente diſciplinam paupertate. Alij flagitiosè ab obedientia deſciuerant; defectionem alij per coitiones clandeſtinas moliebantur; complures quaſi ſoluti obſequio, cuius merces non ſoluebatur, ſtationibus deſertis, errabundi vagabantur. Multò hæc antequàm acciderent, futura proſpexerat Alexander, literiſque denunciauerat Regi conteſtatus, niſi maturè ſubueniretur, ingens malum Belgicis prouincijs imminere. Eò quippe miſeriæ ventum, ob egeſtatem publicam, priuatamque, vt neque veſtes militibus, neque alimenta ſuppeterent. Quamobrem, relictis paſsim ſignis, in remotas regiones, quoniam proximæ inopiâ, & ſolitudine ſqualerent, ad conquirenda vitæ neceſſaria excurrere cogebantur, non ſine periculo cædis ab hoſte, & cum indubia clade diſciplinæ. Se quidem rem labantem hactenus omni induſtriâ ſuſtinere conatum; pro miraculo tamen ducere, quòd pecuniâ, & com-

Horũ ſeditio, & dilapſio ob ſtipendia non perſoluta.

Mala hæc ab Alexādro præuiſa.

Regique per litteras pridẽ ſignificata.

commeatu vacuæ legiones tamdiu durare potuerint. Non ſecus ac ſi ſubductis fundamentis domus, aut ſuccifis radicibus, arbor inſiſteret. Id acceptum maximam partem referre inſitæ venerationi erga Regiam Philippi Maieſtatem, non nihil attribuere beneuolentiæ in qualemcumque Ducem, ſed vehementer vereri, ne, quæ duriſsima quæque perrumpit extrema neceſsitas, hæc adamantina quoque officiorum vincula diſſoluat. Ita Parmenſis, priuſquam Gallicum bellum ſuſciperet, ſuperuenturas Belgio calamitates Hiſpano Regi concinebat. Cùm autem in reditu eſſet, accepto nuncio de ſeditione legionis Hiſpanicæ, Alfonſum Idiaqueſium Tribunum, Ioannis filium, qui præcipuus inter Aulæ Regiæ miniſtros habebatur, in Hiſpaniam ablegat. Huic in mandatis dedit, vt Galliæ, ac Belgij ſtatum Regi aperiret. Quibus è periculis Lutetia, & res Fœderis erutæ forent; quas vt ſuſtentare Rex pergat, quantas nunquam aliàs militum vires ex Italia, Belgio, Germania contrahi oportere. Occurrendum enim maximis belli apparatibus, quos inſtrui pro Nauarræ Rege fama erat, vbicumque terrarum vigebat Hæreticum nomen, apud Hollandos, Britannos, Heluetios, Germanoſque. Nec omittendam

Redux è Gallia ab eodem Rege noua militum ſubſidia exire petit.

defen-

defenſandi Belgij curam, cui Comes Mauritius Eliſabethæ Reginæ ſubſidijs formidandus immineat. Illud præterea Idiaqueſio commiſit, vt ſi qua inuidorum calumnijs iniecta ſuſpicio in Regis animo hæreret, eam amoliri conaretur: ſe petitum iniquis criminibus gnarus, ijſque nonnullos ex proceribus de more adſpiraturos, propter Aulæ commune malum inuidiam. Nam hæc perpetua comes, & aduerſaria virorum virtute, ac fortunâ præſtantiũ, ſicut olim Scipionem perculit, & Annibalem, ita nec Alexandro pepercit, poſteaquam illorum faſtigium, magnitudine animi, & gloriâ factorum adæquauit.

Suſpiciones etiam Regis animo ab aduerſarijs iniectas, per Idiaqueſium amouere contẽdit.

Ioannes Moreus equitum Hieroſolymitanorum Commendatarius ingenio fuit, & induſtriâ, quàm ſanguine, vel opibus clarior. Hiſpanienſi matre, Gallo parente genitus, cùm in Aulam Philippi II Regis irrepſiſſet, blandiendo alijs, alios criminando, bonis maliſque artibus mixtus, eò ſe auctoritatis extulit, vt vnus Hiſpanici triumuiratus, cum Bernardino Mendozza, & Ioanne Baptiſta Taſſio, rerum Hiſpanarum in Gallijs arbitria gereret. Is aulici moris extra Aulam retinens, apud Catholicum Regem, Alexandrum falſorum criminum inſimulauerat. Intercepit literas Nauarræ Rex, perque interpretes arcana-

De his vide p. 137. lib. 1.

Morei literæ, quibus Alexādrum inſimulauerat, a Rege Nauarræ intercipiuntur.

Eiuſdem Regis operâ deueniunt ad Alexandrum.

Ex literis Morei ad Regē 30. Ianuar. 1590. Thuā. Dauila Caſtro anno 1590.

rum notarum ſenſum venatus, non omiſit occaſionem, quá Hiſpani Regis adminiſtros mutuò irritatos inter ſe committeret. Operam ergo dedit, vt faſciculus literarum ruſum complicatus in Farneſij manus deueniret. Summa criminum erat: Malè animatum Parmenſem erga Hiſpanam amplitudinem eſſe. Quippe Italum Principem cum ſuis popularibus conſentire, ne res Hiſpana per Gallias cum periculo Italiæ augeſceret. Actum enim de Italica libertate fore, ſi, præter vinculá ſeruitutis ab Hiſpanijs nauigantia, nouæ in alpibus compedes de propinqua Gallia cuderentur. Ea propter auxilia Sancto Fœderi malignè, vel ſerò præbita; pacem verò, quæ cum Hollandis facilè coire potuerit, artificiosè diſcuſſam, ne per eam, conuerſis in Galliam totius Belgij viribus, debellaretur. Seditionum quoque turbamenta eiuſdem vitio tribuebat, ſeu perditæ valetudinis, ſeu fortunæ reflantis. Quaſi langueſceret in affecto corpore animus, & de culmine rerum, quo eum ſuſtulerat, retro volui more ſuo fortuna inciperet. Quin etiam in ſermonibus domeſticis obloqui ſolitum Hiſpanis adminiſtris, quod regno Galliarum Borbonios deijcere contra ius faſque poſtularēt, illudque adiungere Auſtriacæ ditioni, non inſipien-

Summa criminum, quæ Moreus obijciebat Farneſio.

ſipienter minùs, quàm arroganter. Nam licèt Gallicas vrbes auro, ferroque ſingulas aggrederentur, & occuparent, diem tamen Orbi ſupremum ante adfuturum, quàm Hiſpanis imperio Galliarum potiri contingeret. Hæc, aliaque id genus, Parmæ Duci Moreus obijciebat, aut omnino falſa, aut partim vera, ſed calumniæ fuco in ſpeciem criminis deformata; quæ niſi ſummum gratię locum Dux teneret, vix diluenda viderentur apud Regem ſenio, & experientiâ rerum humanarum, ad ſuſpicandum deteriora procliuem, occultum offenſionum, & odij, triſtique prudentiâ cuncta metientem. Siquidem ea Farneſio dicta, ſententiæque affingebantur, quæ Principem regnandi artium non incallidum, ſuiſque compendijs enixè ſeruientem ſentire, ac dicere à vero non abhorrebat. Sed excelſior erat Parmenſis animus, quàm vt vtilitatis cauſâ contra dignitatem, & fidem loqueretur, aut faceret. Quin arcto cognationis, arctiori officiorum, & beneuolentiæ vinculo, domui Auſtriacæ innexus, ab Hiſpanis incrementis adeò non timebat, vt eâdem decempedâ metiretur Auſtriacam potentiam, & Farneſiam felicitatem. Regi autem Philippo nuper gratijs refertas literas dederat, ob impetratam à Gregorio Pontifice Vaticanam Purpurã Odoar-

Dauila

Vel falſa, vel mendacijs immiſta.

do Principi natu minori, de duobus liberis, quos ex coniuge Luſitana ſuſceperat.

Præter inuidiam, diuerſitas iudiciorũ cauſa fuit cur Alex. obtrectarent Moreus & aulici.

Secundùm inuidiam, altera obtrectationum cauſa fuerat diſſidium opinionum Farneſium inter, ac Moreum, cæteroſque eiuſdem farinæ aulicos aſſentatores; qui Regi ſuo omnia tribuere ſoliti, Parmenſis diuerſa iudicia trahebant in crimen auerſæ voluntatis. In quo, ſicut in ſententijs, & fallebantur, & fallebant. Cum ſibi perſuaderent, perſuaſumque aulæ Hiſpanicæ vellent, Philippo Regi ex facili ſubigi poſſe Regnum Galliarum. Longè ſecus, veriuſque opinante Alexandro. Qui occaſione bellorum priùs, dein fœderum Gallicorum, ſenſus nationis intimos perſcrutatus, ab externa qualibet, ſed ab Hiſpana maximè dominatione Gallos abhorrere cognorat. Nec omiſit eius rei Regem facere certiorem, cum ſcriberet: Hiſpanicæ Maieſtatis patrocinium Gallos cupienter appetere, longè cupidiùs aurum; at nequaquam pro ea gratia, ne veſtigium quidem Gallici ſoli, Hiſpaniæ Regi condonaturos. Hiſpanis porro Ducibus, & curatoribus Gallici fœderis arma, vel negotia tractantibus, aſſiduò inculcabat, ne quam Hiſpanicæ dominationis in Gallia proferendæ voluntatem oſtenderent. Vtcumque verò illi

17. Ianuar. 1590.

Par-

Parmenſis monita penſi fecerint,ipſe conſilij certus palàm ſemper ferebat, ſe vnicá tuendæ Catholicæ Religionis cauſá, circumferre per Gallias Hiſpana arma. Nec aſpernandum fructum eius prudentiæ, ac moderationis retulit. Nam & vulgus Gallorum ſimplex mirum in modum conciliauit, & nobilitatem,quæ haud perinde, ac plebes externis fidere ſolet, placatiorem, æquioremque Hiſpano nomini reddidit.

Cum illi in expeditione Gallica priuatas Hiſpanici Imperij rationes aperte nimis proueherent; Alex.verò armis vnicũ Religionis titulum prætenderet.

Corbolio adſidebat XI.Kalendas Nouembris, cum ad eum literæ plenæ maledictorum delatæ ſunt. Et Moreus quidem, poſt infixos alienæ famæ malignitatis aculeos, in vrbe Meldarum deceſsit, incertum ſua ne morte, an per venenum properatá? certè repentiná, poſt conuiuiũ,& immaturá citra ſenectutem. Prout verò mordacitate oris,& ſtyli non paucos violauerat,eoſdem præcipitis lethi ſuſpicionibus aſperſit, in primis Alexandrum. Quaſi maledicentiæ virus, quo ille dignitatem ſuam perditũ ierat, ipſe viciſsim, vt paria redderet, mortifero veneno vltus eſſet. Equidem vt ab hac noxia longè abfuiſſe Farneſium credam, præter cœteram vitam nunquam talium facinorum rumoribus decoloratam, illud me adducit, quod Moreus diem ſuum obijt ſiue octauo, ſiue pridie (nam in hoc Scriptores variant)

In Alex. manus deueniunt Morei literæ contra ipſum ad Regẽ ſcriptæ.

Pet. de Caſtro Carolus Coloma anno 1590.

Morei repentinus interitus imputatur varijs, quos lingua vel calamo leſerat, & præcipuè Alexandro.

Cauſa huius opinionis.

Sed parum firma.

riant) Kalendas Septembis, hoc eſt ante menſem vnum, & alterum quàm Alexandro redderetur obtrectatoria eius epiſtola, quæ propinandi veneni fuiſſe cauſa à Nauarræis vulgatoribus ferebatur. Quod autem nummùm aureorum quatuor ſupra quinquaginta millia, in arca defuncti reperta regio fiſco Parmenſis addixerit, non inimicè factum interpretor, ſed quoniam à vero non aberat, eam pecuniæ ſummam ſpectare ad Regis ærarium, cuius Moreus fuerat, Hiſpano Hiſtorico teſte, nimis largus adminiſtrator.

Exceſſivo gaſtador dell' azienda del Rey Car. Colerna de Bel. Belg. l. 3.

At Farneſius licèt ineptum, & ſuperuacuum iudicaret iurgari cum mortuis, calumniæ tamen indignitate commotus, an veritus quoque, ne ſilentium conſcientiæ, vel timori imputaretur? reuerenter cum Rege, cùm Idiaqueſio liberiùs in literis conqueſtus eſt: Patefactas à Regia maieſtate ſuis obtrectatoribus aures eſſe, neque refellendi facultatem ſtatim oblatam, neque delatum delatorem. Quaſi Parmenſis innocentiæ Rex diffideret, & calumniatoris maligna mendacia digna eſſent, quæ ab Rege tacito expenderentur. Hanc mercedem pro tot laboribus, vigilijſque, ſanguine, ac vitâ ſæpius periclitato rependi, poſt viginti ampliùs annos in obſequio auunculi Regis

De Morei calumnijs conqueritur cum Rege & Idiaqueſio.

Summa literarum.

Alex: litera ad Regẽ breuiter, ad Idiaqueſiũ prolixius exarata Corb. 5. Decemb. 1590.

gis conſeneſcenti? Nimirum in dubium fidei Farneſiæ conſtantiam reuocari; pro qua ipſe opes, principatum, & vitam paciſci non dubitaret? Et iſtud non ſine magno tam famæ ſuæ, quam publicæ rei intertrimento. Vulgatas enim à Nauarræis Farneſij apud Hiſpanum accuſationes in Gallia, in Belgio, in Britannia, in Germania, & in Italia per ora hominum volitare. Ideo ne quindecim Belgij prouincias, operâ ſuâ de hoſte Batauo receptas, & Hiſpanæ dominationi reſtitutas? Ideo Antuerpiam, Traiectum, aliaſque inexpugnabiles arces expugnatas? Ideo nouiſsimè, nutantem in Lutetiæ periculo collabentemque Catholicam Galliam, cum ſancto Fœdere, ſubleuatam, vt Moreus, in literis ad Regem, de Alexandri inuidia ſplendorem quærat? Vt Imperatorem ſuæ ætatis non vltimum (fas enim magnificè loqui, pro neceſsitate defenſionis, non libidine gloriandi) homo nullius in armis pretij inſectetur? Vt Moreus in Parmenſis conſilia inquirat, interpretetur dicta, facta ſugillet, de bello, de pace, de fortunæ varietate, ſi Deo placet, ſententias dicat, ineptiùs delirans, quàm Phormio ille Athenienſis, coram Annibale, de munere bellico diſceptator? Eiuſmodi monſtra, & probra in otioſis ciuitatibus, Auliſque

Cic. 2. de Oratore.

Re-

Regum longâ pace laſciuientibus naſci, educarique; in acie, in caſtris; militaribus ingenijs eſſe prorſus intoleranda. Quare Idiaqueſium etiam, atque etiam orare, vt Regiæ Maieſtati ſuppliciter inſinuet: impeditam ſibi fore in poſterum adminiſtrationem Belgicæ Præfecturæ, & Gallici belli, niſi tanta ſuæ dignitatis iniuria præpotenti Regalis clementiæ ſtudio reparetur. Vnde Orbis terrarum intelligat, quanti apud auunculum Regem Hiſpaniæ ſit, præ vno mendaculo aſſentatore, Alexander Parmæ, ac Placentiæ Dux, Pauli Pontificis pronepos, Caroli Cæſaris nepos, Belgij domitor, & liberator Galliarum.

Philippi Regis reſponſum perbenignum, & honorificentiſſimum Alexandro.

Litteræ Regis ad Alexan. 5. Dec. 1590.

Huic Parmenſis expoſtulationi, ſatis prolixè factum à Philippo Rege comperio, perbenigno reſponſo Regalibus literis reddito. Tam grandia eſſe, tenerique conſcientiâ generis humani, Parmenſis erga Catholicam Religionem, & Hiſpanam amplitudinem glorioſa promerita, vt, quantâcumque malignitatis, & inuidiæ caligine, obſcurari non poſsint. Id ſe voce, id ſcripto, populis, & ſeculis omnibus, palàm, teſtatum facere, facturumque. An, ſi viſæ fuiſſent dignæ, quæ ab Rege tacito expenderentur, criminoſæ Farneſio literæ (quas ne vidiſſe quidem recordaretur) eodem tempore, in eiuſdem fidem, Hiſpa-

Hiſpanos exercitus, rem Belgicam, atque Gallicam, cum omni ſpe Catholicæ religionis, fuiſſe commendaturum? Niſi vtrumque, ſanguinis, & amoris coniunctio tanta intercederet, quantam in alterutro diſſolui aliter, quàm fatali ſupremæ neceſſitatis ictu, ſit nefas? Hinc & ſuis adminiſtris, vbicumque terrarum, in Occidente, in Oriente verſantibus, diligenter mandaſſe, vt Farneſij auctoritatem, exiſtimationem, & famam, non ſecus ac Regiam, ſeruatam curent, auctamque. Quippe Hiſpanici imperij Regales humeros prementis molem, non alio adiutore fulciri validiùs, & fatigatam Orbis vtriuſque curis Philippi auunculi ſenectam, in iſtius Alexandri virili firmitudine conquieſcere.

Verùm ex ijs, quæ hoc anno improſpera contigerunt, nullâ magis re perculſus fuit Parmenſis animus, quàm Hiſpanicæ legionis, quæ ſub Emmanuele Vega merebat, contumaci ſeceſſione. Nihil accepit ægriùs, nihil dolentiùs cum Mansfeldijs expoſtulauit, quàm anſam oblatam fortiſſimæ legioni, vt ſe ab obſequio Hiſpani Regis abrumperet. Egregiè ſibi conſcius, hanc tempeſtatem præcauiſſe, quantumque humanis opibus occurri poterat, propulſare conatum. Cùm aduertiſſet iam pridem legionariorũ animos,

mos, ex dilata ſolutione ſtipendiorum turbidos, & in tumultum, vbi facultas daretur, erupturos, inuitante exemplo ſeditionis fortunatæ Manriquianorum. His enim virtute belli cùm inferiores non eſſent, ſuperiores æquitate cauſæ ſe rebantur, vt pote ſummæ duplo maioris, quadringentorum millium aureorum creditores.

Fremere igitur egens miles, de die in diem ſpes extrahi ſuas, inanibus literis, fallacibus blandimentis; quaſi verbis, & promiſſis exigeretur inopia. Neque fortium bellatorum querimoniæ Farneſio iniquæ videbantur: modò intra verba conſiſterent. Sed impos veræ medicinæ per aurum adhibendæ, ſuſtentare nitebatur arte varia ægros animis, ne deficerent, omneſque præcidere commouendorum humorum occaſiones. Itaque ſub ſtrenuis Ducibus Franciſco Verdugo, & Emmanuele Vega, in Friſia infeſtâ maximè Batauorum incurſionibus prouinciâ, eos detinebat. Vbi neque ſpatium ad res nouandas dabat hoſtis perpetuò laceſſens in campo, neque in ciuitatibus populi; qui communiter Hiſpanum inopem tectis arcebant, perniciem dubiam præoptantes ab aggreſſoribus externis, quàm vt certò domeſticis à cuſtodibus expilarentur. Vnde factum, vt aſsiduè ſub pellibus verſando, duraretur ad pa-

Thuá. l. 100. Pet. Caſtro in Comm. anno 1590. Colonna Card. Bentiu. & alq.

Hiſpanorum querimoniæ non iniquæ.

Farneſius prudenti conſilio eos in Friſia ſub ſtrenuis Ducibus detinet.

Vt promoueat imperij fines, & irritamenta ſeditionis amoueat.

patientiam miles,iraſque conceptas in Quęſtores Regios, contra hoſtem innocenter effunderet; ſimulque ſatiatus inimico ſanguine, prædis per victoriam partis, pauperiem aleret, & ſolaretur ſuam. Ita geminum commodum ex vno facto capiebat reſpublica; quod & imperij fines promouebantur, & occupato procul ab vrbium laſciuia militi, irritamenta ſeditionum longè aberant. Cùm verò, per nouum Regis imperium, nouam militiam capeſſeret Alexander, in cardine tantæ expeditionis, fortium bellatorum pro religione, ac Rege pugnantium non eſt oblitus. Veſtimenta ſingulis, & calceos, tum pecuniæ modicum ſubmitti iuſsit, quod dimidij ſtipendij ſummam efficeret. Tenuitate quidem ſubſidij literis amantiſsimis excuſatâ. Quibus ab ſe commendatam Regi teſtabatur, ſpemque habere, remuneratum iri virtutem fideliſsimæ legionis. Quantulácunque hac ope literis exornatá Imperatorijs mitigati fuiſſent egentiſsimorum militum animi, ſi, vti Farneſius mandauerat, ad illos tempeſtiuè delata eſſet. Hæſit vſque ad reditum Ducis inutilis defectu cuſtodiæ, quæ deduceret. Siue ea fuit Hollandorum vias obſidentium diligentia,ſiue ſocordia Ducum Regiorum, qui armis iter expedire neglexerint. At, quo

Gallicæ expeditioni ſe accingens partem ſtipendij miſit, quæ ad eos delata nõ fuit.

Res in Friſia geſtæ ab Hiſpanis.

tempore Alexander in Gallia grauiſsimum bellum adminiſtrabat, eodem Hiſpanæ legiones in Friſia, non inutilem operam poſuerunt. Hanc breuiter commemorandam ante duximus, quàm defectionis flagitium perſtringamus.

Gulielmi Naſſauij cõſilium in detrectanda pugna cum regijs.

Gulielmus Naſſauius Friſiæ Hollandis ſubiectæ gubernator, fretus recentibus copijs, quæ de Britannia cum Comite Chieſterno aduenerant, e caſtris prodierat contrà Regios. Ex aduerſo Franciſcus Verdugus, & Emmanuel Vega Tribuni, cum binis legionibus Hiſpanorum, numero impares, non virtute, obuiam progrediuntur. Naſſauius, qui militi nouitio haud perinde fideret, ac veterano Verdugus, an quia diſtinere tantùm Farneſianos, ne in Galliam tota mole virium incumberent, non præliari, conſilium erat? intra munimenta ſe tenebat. Vt in apertum elicerent, ſin minùs, confeſsionem detrectati certaminis extorquerent, Hiſpani Emitelium proximum caſtellum adoriuntur. Quod initio cùm repugnaret, binis aduectis è Groninga tormentis verberatum, deditionem fecit. Inde ad arcem Lopeslaquium, quam Hiſpani anno ſuperiore conſtruxerant in aggere Groningam, & mare interiacente, tamquam finitimam Batauorum munitionem Niehuſium nomine aggreſſuri ſe

Hiſpanorum Ducum conatus ad eliciendos in pugnã Batauos.

Emitelium caſtellum in deditionem accipiunt.

Lopeslague.

Nieuchil.

ſe conferunt. Cùm appareret, Naſſauium neque periculo ſuorum, neque damnis à propoſito dimoueri, Verdugus hoſtis patientiá abuſurus in ſua commoda, ad rem maiorem adijcit animum, & nouum propugnaculum in extremo aggere fabricari aggreditur. Id breui, continuato labore dies, noctesque, præter opinionem omnium, ad exitum perducit, vnà cum militibus Hiſpanis, Groningæ quoque ciuibus, materiem, manuſque conferentibus. Neque Groningenſibus tantum cordi erant commoda Hiſpanorum, ad quos gemini propugnaculi patrocinio, ſecuri commeatus ab vrbe in caſtra deferebantur: quantum, quod ipſi quoque duarum arcium beneficio, non modicam frugiferæ glebæ poſſeſsionem ſibi vindicabant. Serò experrectus Naſsauius è Colmenſibus caſtris tandem mouit. Cùm primo ſuorum agmine ad Hiſpanorum munitiones accedentem, milites quidam in propinquo riuo veſtimenta lauantes aſpiciunt. Cùmque obſeruaſſet Naſſauianos incompoſitos, demiſsiſque capitibus languidè incedere præ laſsitudine ab itinere, æſtuque (medium diei fermè erat) in caſtra properè reuertuntur, vt ſumptis armis, cum ſuis commilitonibus integri de feſsis, atque torpentibus victoriam referãt. Lucas Linares vetus

Nouum propugnaculum extruunt prope Groningã.

Groningenſes opus id adiuuant ob ſuam vtilitatem.

Naſſauius damno ſuo motus ad Hiſpanorum municiones accedit.

tus

Luc. Linares ad Verdugum relatio de Hollandorum laſſitudine, & iudicium de facilitate victoriæ.

Pet. de Caſtr. in Com. anno 1590.

tus ex cohorte Portocarreri miles, Verdugum adit; ſuum,& ſociorum iudicium exponit. Si ducenti pedites, equites quinquaginta ſecum vnà impetum dent in trepidos, & inopinantes, certam in fugam auerſum iri. Experto ſibi pluribus prælijs hoſtem, numqum opportuniorem ad clades viſum. Strenuorum militum relatio multùm, plus iudicium Verdugum mouebat. Sed exquirendam alterius Tribuni Emmanuelis Vegæ ſententiam duxit. Hic ſummæ grauitatis Dux, minimèque in vulgus militum blandus, negauit,ad iuuenum audaciorum voluntatem attemperanda Ducum imperia eſſe. Ducentos, & quinquaginta certamen, aduersùs tot millia equitum, peditumque depoſcere, quo conſilio, quâ ſpe animis prçceptâ victoriæ? Vidimus,inquiunt, hoſtem ordinibus interruptis, quaſi ſomniculo-

Alterius Tribuni ſententiam exquirit Verdugus.

„ ſum incedere. Fac ita eſſe, nec (vt interdum
„ fit) procul intuentium oculos, in errorem in-
„ ductos. Ecquis in agmine non tyro modò de
„ grege nouitiorum, ſed miles veteranus, & gra-
„ uis tam erectus, atque alacer viam, quàm præ-
„ lium ingreditur? Equitum aliquos in itinere
„ ſomno ſopitos,non minùs bellè vehentes,quàm
„ cùm vigilarent, aſpicimus. At ſimul increpuit
„ tuba, ſomnus excutitur, expediuntur arma,

Negat Vega tentandã pugnæ aleam cũ hoſtibus numero ſuperioribus.

equos

„ equos aut procurſuri immittunt, aut in orbem „ pugnaturi circumfleƈtunt, quantum extra certamen ſoluti, tantùm dum geritur attenti, & diſſimiles ſui. Fingite Naſſauianos in hunc modum mutato, pro re nata, corporum habitu, & „ animorum, occurrere, quæ tunc vobis, mens, „ & ſententia milites erit? Belli aleam tentare, in „ tanta iniquitate virium, perſeuerabitis? Quanta temeritas? An, mutatâ vos quoque ſcenâ, „ facti ex audacibus cauti, effugia circumſpectabitis? Quantum flagitium? Peribimus in veſtigio, ſi quid temeritate peccatum, ſanguine luituri. Non eſt veſtrum, milites, non eſt, facere tam ſplendida vulnerum, & mortis arbitria. „ Vos plena animorum pectora reipublicæ deuouiſtis: ea conſilio, imperioque Ducum gubernanda reſeruate. Plena dignitatis oratio Verdugum, & ſeniores exercitus mouit, vulgò minùs accepta, cui Vega ſeueritatis nomine inuiſior erat.

Verdugus, & primores exercitus Vegæ auctoritati, & indicio aquieſcunt.

Inſequenti luce, magno numero equites ad exploranda hoſtium conſilia profecti, ſeſe munientes intra noua caſtra reperiunt. Inde aliquot dies, leuibus vtrinque certaminibus, abſumpti. Naſſauius ad vltimum, ſeu cupidus explorandi animos Hiſpanorum, ſeu quod ad prælium tunc

Naſſauius Hiſpanos prouocat ad certamen.

fortè

Verdugus prouocatione accepta ſuos in hoſtē educit.

Cunctantes Naſſauianos per præconem citat ad prælium.

Naſſauij detrectantis certamen contumelioſa reſpōſio.

Alphōſus Mēdes irrumpit in hoſtilium equitum ſtationes, ijſque fugatis hoſtiū aliquot capit.

Verdugus ad Naſſauiū captos gratis remittit cum ferocibus minis.

fortè animatus eſſet, miſſo præcone ad pugnam aduerſarios prouocat. Aſſentitur de Ducum conſilio Verdugus, vno Tribuno Vega diſſentiente. Primo mane, relictis ad cuſtodiam caſtrorum binis cohortibus Germanorum, præeunte equitatu, legiones aduersùs hoſtem ducit. Cum hic nullus, ad caſtra iam propinquantibus, appareret, mittitur ad Naſſauium tubicen, qui doceat, inuitatos ad Martis ludum Hiſpanos, in procinctu ſuos colluſores opperiri. Huic ſubridens Naſſauius: abhorrere ſuos milites (reſpondit) à congreſſu, cum hominibus deſperatis, ac perditis, quibus vulnera,& cædes pro perfugio forent, extremæ paupertatis mala fugientibus. Præcone vltro, citroque commeante, cum impatientes moræ milites fremerent, Alfonſus Mendes equeſtris alæ præfectus, in binas equitum Naſſauianorum ſtationes impetum dedit, actaſque in fugam vſque ad munimenta perſecutus, incaſſum procellá pilarum obturbante, aliquot ex hoſtibus capit, & ad Verdugum adducit. Qui, Mendo inter laudandum increpito, quod iniuſſu Ducis pugnans, non ex diſciplinâ viciſſet, ad Comitem Gulielmum captiuos gratis remiſit, minas muneri ferociter addens. Caueret in poſterum ab Hiſpanis irrita prouocatione irritandis

dis, qui vel exciſis, intra quæ deliteſceret, munimentis, eum ad certamen vi eſſent extracturi. Tum conuerſus ad Linarem, qui ſuperioribus diebus de aduentu hoſtis incompoſiti indicium tulerat; ſi tua (inquit) ſententia vir fortis valuiſſet, ita Naſſauio ſpiritus contudiſſemus, vt laceſſendos poſthac Hiſpanos nunquam duceret. Ex inconſtantia hoſtis, & metu haud falsò coniectās, inſigni clade multari potuiſſe, ſi priuſquam ſibi munimenta circumdaret, ad conſerendas manus adigeretur. Nec alia reliquorum Ducum opinio fuit. Hinc indignatio, & odium gliſcere in Tribunum Vegam, quo dehortante conficiendi in Friſia belli præteruolaſſet opportunitas. Cuius quidem ſententiæ ſi ſtaretur, adhuc Hiſpanis inſultaret hoſtis, tam certaminis metuens, quàm in prouocationibus ferox.

Collaudat Linaris iudiciū à Vega ſuperiùs reprobatum.

Nec intra irriſiones, & mordacia dicta militum ira ſe tenuit. Tres præ cœteris audaciores, cadum ſulphureo refertum puluere tabernaculo Tribuni ſubijciunt. Tum, ſilentio noctis concubiæ, applicant funem incendiarium ita attemperatum, vt cum totus flammam conceperit, correptis propinqui pulueris inſtitis, ignem ad vaſculum differat. Non procul inde, præſtolantes feralis machinationis euentum conſiſtunt. Cùm

Petr. Caſtro anno 1590.

Milites aliquot nitratum puluerem Vegæ tabernaculo ſubijciunt.

Eee res

res procedere lentiùs præ cupidine, atque expectatione videretur, illorum vnus, ad veſtigandas moræ cauſas, inconſultus acceſſit. Eo fortè tempore maturata pernicies erat, igniſque, funiculo deuorato, nitratum puluerem corripuerat. Flamma igitur violentior ex arcto prorumpens, tum

Tribunitij tabernaculi incendium.

adſtantis militis faciem peruſſit, tum Vegæ tentorium ingenti fragore quaſſatum, partim in aera ſuſtulit, partim longè, latèque diſiecit. Euerſis quibus incubuerat ſtratis, excutitur præceps Tribunus, foraſque ſeminudus proſiliens, familiam inclamat. Ad ſonitum ruinæ, & vocem Domini accurrunt famuli, militemque alterum fugâ procul auectum conſpicantur, alterum in proximo hærentem, ictu ignis, & conſcientiæ attonitum.

Miles in crimine deprehēſus ad ſuſpendium rapitur.

Hunc in crimine, quo conflagrauerat, deprehenſum, nec inficiari auſum, iuſſu Ducis illico rapiunt ad ſuſpendium. Mox variæ in facinus exercitæ quæſtiones; quas vt euaderent, non modò fugam conſciuere ſontes aliquot, ſed plerique innoxij, cùm ſe perſtringi Tribuni ſuſpicionibus viderent. Vulgus igitur militum,

Paucorum facinoris, omnes rei, voto, propter tribuni acerbitatem, quodammodo fiunt.

ſupplicijs commilitonum, vel exilijs triſte, cùm ipſe Dux periculo, & contumeliâ exacerbatus aſpectu truci, ſermone aſpero, abalienaret etiam meliorum animos, iam facinoris, quod pauci admiſe-

miſerant,rei omnes, votis, & execrationibus eua-
ſerant. Hoc odium tam atrox Hiſpanorum ad-
uersùs Tribunum, non parum momenti ad ſedi-
tionem poſt paulo ſuſcitandam contuliſſe,credi-
tum eſt.

Pet. de Caſtro inCõm. anno 1590.

Interim incitatus aquilonaribus ventis, quaſi
ad puniendas legionariorum militum noxas,
præter morem Oceanus intumeſcit. Ad grande
trium leucarum ſpatium, nouem Italica millia-
ria in terrarum ſinus penetrat vndas, cum inco-
larum pernicie magna, metu maiore. Iam exæ-
ſtuantis pelagi caſtraHiſpana circumtonante fra-
gore, regreſſi excurſorij equites, marinos flu-
ctus, pro Batauis ad prælium venire renunciant.
Verdugus confeſtim, per inſtructorem legionis,
Vegam de colligendis vaſis conſuluit. Negauit
is de ſuorum Ducum ſententia, citra palmare
dedecus, caſtra moueri tunc poſſe. Quippe in-
terpretaturos Naſſauianos,timori ſuarum virium
prætendi ventorum, ac fluctuum terrores. Nec
Oceanum cum rebellibus inijſſe fœdus, vt, cõtra
naturæ fas, ad inuadendos Hiſpanos, medias ter-
ras introrumpat, fineſque tranſiliat, quos adhuc
inuiolatos indigenæ ſuâ, & patrum ætate fuiſſe
recordentur. Siue ea conſtantia, & magnitudo
animorum in Hiſpanis fuit, quâ procellis Ocea-

Oceani tumor inſolitus, & exundatio.

Caſtrorũ Hiſpanorum inde periculum.

Verdugus de mouendis caſtris conſulit Vegam.

Huius ſententia negans loco cedendum eſſe.

Cauſę cur Hiſpani Duces, & milites contra Oceani furias animum obfirmauerint.

ni in irritum fortè caſuris cedendum non putarent, ſiue odijs acerbiſſimis in mutuam perniciem inflammati, modò Dux militem, miles Ducem pereuntes viderent, vnà periclitari non abnuerent. Non eſt auſus Verdugus fortiori ſententiæ refragari, & inſipientior, quàm meticuloſior, haberi maluit. Dum ergo Hiſpani Duces animosè contra Oceanum ſententias dicunt, ille ſuſceptum bellum, proximis campis inundatis, ad caſtra promouerat, iam foſſas aggeri prætentas impleuerat, iam victor immiſſis vndecunque fluctibus vallum intrabat, cùm tandem, per

Hiſpanorum pertinacia tãdem fluctibus cedit.

aduentum mali, factâ periculo fide, Hiſpanorum peruicacia ceſſit. Raptim cariſſima quæque auferentes, ad ſuperiorem Friſiæ oram contendunt.

Cum detrimẽto ſarcinarum & aliquotum militum interitu.

Pleraque impedimentorum hauſta gurgitibus, & nonnulli, dum ſarcinas viles amplexi, ſuæ paupertatis theſaurum ſubducere naufragio parant, aquis intercepti pariter periere.

Varijs prætextibus a Groningenſibus Hiſpanæ legiones vrbe excluduntur.

Fruſtra dein actum cum Groningenſibus, vt in ſuam vrbem, vexatas naufragio legiones, ad hyemandum exciperent. Quippe increbuerat rumor, auctus aſtu Naſſauianorum: Verdugo iniunctum ab Alexandro, vt quàm maximè multis Friſiæ arcibus, Hiſpanum præſidium imponeret. Seu vera hæc, ſeu ficta, pro veris habere ciuium ſecu-

ritatis

ritatis interfuit. Seditionis Cortracenſis recens exemplum addebat metum, ne Hiſpani ſibi Groningam occuparent, non Regi: vt eâ ſcilicet vrbe, tamquam pignore ad extorquenda ſtipendia abuterentur. Paucis itaque primoribus admiſſis, vulgus militum excludunt; ſuam ipſam contumaciam, quaſi fidelem operam imputaturi Belgij Præfecto, quod militibus ob egeſtatem turbidis, occaſionem furendi præbere noluiſſent. Hinc Hiſpanis neceſſitas maior, finem grauis militiæ à Vicario flagitandi, & honeſtior cauſa, Comiti Petro Erneſto, gratificandi imperatrici nationi, in ſuo breui imperio.

Aeſtate iam tranſactâ, cum hybernorum tempus appeteret, & Alexander, ſubleuatis in Gallia ſancti Fœderis rebus, ad ſuos redire diceretur, anteuertunt Vegæ milites, ſtipendia debita ſummâ contentione depoſcere. At quoniam nullam pecuniæ copiam adeſſe conſtabat, prouinciæ mutationem, clementioremque ad hyemandum ſedem pro dilato ſtipendio deprecari. Aequa viſus petere miles emeritus, opulentas Brabantiæ vrbes, ad hybernandum impetrat, à facilitate Mansfeldij ſenis ignari, quantum è republica largiretur. An iuſta miſeratio erga patientiſſimos milites inflexit animum Ducis? Neque à ca-

Vegæ milites ab Herneſto comite loco ſtipendij commodiora hiberna depoſcunt.

Dieſtemium, aliaq; oppida ad hyemandũ imperrant à Mansfeldio.

à caſtrenſi duritia, & egeſtate rerum omnium, ad commoda ciuium, & delicias euocatos, beneficio tanto ſtatim abuſuros in largitoris contumeliam, credibile fuit. Ita Princeps probitatis, & candoris antiqui, è ſuo alios ingenio æſtimabat. Hiſpani ergo milites in Brabantiam deducuntur; ſeptem cohortes Dieſtemium cum Tribuno Vega, totidem Erentaliam ſub Didaco de Lermâ, Lieuum quinque ſub Hermanno Tello Portocarrero, aliæque alia in loca cum ſuis Ducibus hyematuræ. Illic non defuit otioſis, quærentibuſque cauſa deſciſcendi, haud abſimilis defectioni Manriquianorum; ſtipendij ſcilicet accipiundi ſpes in irritum cadens, & deluſa expectatio legionis. Cùm, pro quadringentis aureorum millibus quæ debebantur, tantum ſingulis pecuniæ diribendum eſſet, quantum vix mediam ſtipendij menſtrui ſummam efficeret. Vbi hoc in vulgus certis authoribus manauit, confeſtim fremitus, & murmur eſt ortum. Mox audaciores ad quinquaginta, ſclopis grandioribus armati conueniunt in euerſi templi parietinis, coniurantque eâ ipſa nocte, quâ Regij Quæſtores promiſſis graues, at pecuniâ vacui, Dieſtemium intrauerant. Inter ſe datâ fide ſeditioſi, primò ad Prætoriam ſtationem expugnandam, ſilen-

Dieſt. Erẽtal. Lieuu.

Eorum coniuratio ob ſpẽ deluſam accipiendi ſtipendij.

Coniurationis initia, & progreſſus.

lentio ſummo,contendunt,interpellante nemine Ducum, militumque. Seu quia rebantur de numero eorum eſſe, qui profecti ad Quæſtores deducendos, obſequio functi domum redibant; ſeu, licèt id quod erat, ſuſpicarentur, noluerunt obuiam ire facinori, cui occulti fauebant. Cùm itaque ad ſtationem perueniſſent turbulenti, ſuſpenſas è cancellatis fulcris haſtas deijciunt, ne præſto ad manum eſſent, ſi qui fortè vellent è legionarijs obſiſtere. Sed hi tumultuoſis clamoribus, & concurſatione vana, ſpeciem repugnantium magis, quàm rem exhibuere. Mox dimidiæ horæ ſpatio pacati omnes, vnamque in aciem confuſi, ad occupanda capita viarum, & vrbis portas, de ſuo corpore milites mittunt. Vtrumque facili negotio peractum.

Tribuni domus inuiolata ſupererat, bellatoribus viginti ad cuſtodiam ſedentibus. Qui ſtrepitu defectionis audito, arma corripiunt, morituros pro Duce, quaſi renouato iureiurando ſpondentes. Hinc orta Tribuno fiducia, cum fideli, & forti manu ad forum accurrendi; cùm ſperaret optimum quemque militum, ciuiumque, cum plebe pernicioſis conſilijs intacta, per viam ſe aggregaturos, atque ita ſeditionem nondum corroboratam, nefaſque, quod initio timidum

Tribunũs cum paucis domus cuſtodibus ad forum accurrit, vt turbulentos authoritate ſua cõpeſcat.

eſſe

eſſe ſolet, verâ virtute diſcuti poſſe. Secus res, quàm opinabatur, euenit. Cùm enim fortè in cohortem tumultuantium incidiſſent, protinus Vegæ propugnatores, conſalutatione factâ, manipulos miſcent, oſtenduntque deuotionem qua capita ſua Tribuno obſtrinxerant, vel infidam fuiſſe, vel fluxam. Deſertus à ſuis Tribunus domum cum binis contubernalibus regreditur, ſollicitus iam de vita, non de legione retinenda. Memor militaris inuidiæ, ſubducere ſe oculis debacchantium, & perſonam Ducis latebrâ, non ſacramenti maieſtate defendere. Sed iuuentus à turbidis iubetur ſubſcribere ſchedulis geminis, in quibus Tribuni nomine præcipiebatur cohortibus Erentaliam ac Lieuum tenentibus, vt Dieſtemium, ad conſortium ſcilicet deſciſcentium, commearent. Renuit Vega, vno opere perduellis & proditoris crimina ſuſcipere, mortemque minitantibus reſpondit: Non ignorare, ſuæ vitæ ac necis arbitria penes eos eſſe. Sed & illud ſcire, neminem ante hac Hiſpanorum Ducum, fuiſſe violatum à gente, qua nulla reuerentior legitimarum poteſtatum ſit. Quod ſi ſui commilitones cœptum furorem furere pergant, ſe vitam libenter daturum, vt reum ſeruatæ, cum diſciplinæ in militiá, tum fidelitatis in Regem. Viderent ipſi,

Sed cuſtodes obuiam facti ſeditioſis aggregant ſe, atque immiſcẽt.

Dieſt. Erétal. Lieu-ua.

ipſi, quam Deo, hominibuſque rationem patrati tam inſolentis flagitij, infamiæque Hiſpano nomini aſperſæ, reddituri eſſent. Cùm eiuſmodi orationem imperatorio ſpiritu, & minaci propior quàm ſupplici habuiſſet, captiuum Vegam & cuſtodiâ cinctum, non minùs timuerunt milites, quàm liberum antea, dominantemque. Omiſſa petitione ſubſcriptionis, Tribuno diſceſſum indicunt, quaſi vltra progredi eo præſente, contumaces non auderent, & vnius Ducis vel exauthorati ſupercilium, vniuerſam legionem refrænaret.

Cum Vega centuriones, & ſigniferi, tum quidquid in legione ſanum, ab vrbe faceſſere iuſſi ſunt. Differre autem in poſteram lucem profectionem conatos (nam ſpes erat per eam fœditate flagitij detectâ rediturum obſequium militibus) id ipſum metuentes auctores turbarum, ante noctis exitum abire compellunt, adiuncto præſidio, quod Louanium vſque comitaretur. Seu tantum venerationis inuiſæ virtuti tribuerunt, ſeu veriti ſunt, ſi ab hoſtibus interciperentur, inuidiam Belgij, grauioremque offenſionem Alexandri. Quo iubente fideles milites, quicunque vel eiecti, vel ſua ſponte à turbidorum ſocietate ſe abiunxerant, bina ſtipendia Imperatoris

Vega aliíque ſcelere intacti exire ab vrbe compelluntur.

Additum expulſis præſidium, quod eos Louanium vſque deduceret.

cumulata laudibus accipiunt. Hos fuiſſe admodum paucos hinc liquet, quod vix vllum inſignem reipublicæ vſum, donec ſeceſſio legionis durauit, præſtare potuerint.

Cùm in hunc modum præſidia tuendo Belgio deficerent, augebantur Hollandorum vires, ad impugnandum, Eliſabethæ Reginæ opibus, ſuper veteres irarum cauſas, in Hiſpanos recèns irritatæ. Hi nuper, immiſſa claſſe, Blauetum Galliæ arcem in minore Britannia ex aduerſò Angliæ poſitam occupauerant, munierantque; videlicet, vt retenturi. Hæreditario quippe iure debitam affirmabant Infanti Iſabellæ, quam Philippo Secundo Iſabella ſoror natu maxima Henrici III Regis genuerat. Neque enim per Salicam legèm fæminas, vt à regno vniuerſo Galliarum; ſic à ſucceſſione partis excludi, Britanniæ præſertim minoris, quæ non ita pridem, per Claudiam Britãnici principatus hæredem, Franciſco Primo nuptam, Gallico ſceptro coaluerit. Anglorum quidem Reginæ, Hiſpanum veterem hoſtem in Gallijs pedem figere, moleſtum admodum erat, at multò moleſtius, eumdem è regione regni ſui conſiſtere; vnde, ob traiectum breuiſſimum, Angliæ rebus plurimum officere poſſet. Quamobrem nullá morâ interpoſitá ſexcentos

Blauet

Cauſæ præcipuæ, quæ Anglorum Reginam in Hiſpanos côcitauerint.

Thuã. Heraus in annal. Belg. 1591. Pet. de Caſtro in Comment. 1591.

centos equites Anglos, Hugonotis minorem Britanniam obtinentibus auxilio ſummiſit, tum ipſi Nauarræ Regi binas peditum legiones, & Batauis aduersùs Hiſpanos inſtigandis, iuuandiſque toto pectore incubuit.

Hugonotos, & Nauarræ Regem militaribus ſubſidijs iuuat.

Noritzius Anglorum tribunus Oſtendam gubernabat, quam vrbem Reginæ Hollandi, pro acceptis, proque ſperatis beneficijs obnoxij, tradiderant pignori. Is, recentibus è Britannia ſupplementis, queis præſidium duplicatum propemodum fuerat, confirmatus, in Regiorum fines excurrere cœpit, prædas abigens, & vaſtitatem relinquens. Blanchemburgenſe propugnaculum obſtabat effuſiùs in omnem partem populanti. Antequàm aggreſſionem tentaret, præconem ad poſcendam deditionem miſit. Hunc, vnus è præſidiarijs, contra fas belli temere iaculatus, interimit. Quare Angli, vltionem feſtinante ira, ſcalas continuò admouent, & armata multitudine ſuperfuſi, arcem expugnant, cæſiſque ad vnum propugnatoribus, funditus euertunt, æquantque ſolo, vindicati iuris gentium monumentum. Per idem tempus, geminæ in Brabantia arces belli furto interceptæ, Turnohutum, & Vuenſterloa. Hanc, per occaſionem Hollandi, cùm eius Gubernator in venatione eſſet, præ-

Blanchemburgenſis propugnaculi per Noritziũ Oſtendæ Prefectũ expugnatio & euerſio.

Vveſterloey Turnhaut.

Venſterloã & Turnohutum arces belli furto Batavi occupant.

dam fecere; illam Bredæ præſidiarij, cum onuſtum ceruiſiâ currum ſimulato mercimonio Turnohutum adduxiſſent. Effractâ enim de induſtria in ponte arcis rotâ, dum expediendæ rei cuſtodes dant operam, fictus mercator alterum impulſu ſubito in foſſam deijcit, alterum educto, quem veſte tegebat, pugione transfigit. Tum accurrentes Bredani ſocij, qui proximis in ruderibus euerſæ domus delituerant; portam, & arcem redigunt in poteſtatem. Sed leuia iſthæc incrementa, præ ijs, quæ Hollandicæ rei addidit Comes Mauritius, bello vltra Rhenum in Friſiam tranſportato. Decem peditum, duo equitum millia, hyeme exeunte contraxerat, triginta maioribus tormentis, varioque expugnandarum arcium inſtrumento nauibus impoſito. Sub initium Maij, aggerem ad Moſam locis aliquot perfodi iubet, quaſi viam ad tranſmittendum nauigijs bellum moliatur. Tum nonnullas equitum alas Bredam ſubmittit, vnde ſuſpicio Regijs oborta, in finitimas arces Siluam Ducis, aut Bergas Diuæ Gertrudis intentari arma. Quamobrem, & Buſcoducenſes paratis rebus opportunis defenſionem inſtruunt, & aucto commeatu, præſidioque Gertrudembergam in longum munijt Alexander. At Mauritius, centum

Mauritius copias in Friſiam vltra Rhenum traducit.

Bolduc Gertrudembergh.

Harens. Caſtro in com. anno 1591. Zutphen.

tum varij generis nauigijs vndecumque ad præſtitutam diem coactis, exercitum extemplo imponit, Rhenumque ſecundo vento nauigans, breui Arnhemum appellit. Zutphaniam vrbem peramplam expugnare ſtatuerat, quá prærepta Hiſpanis, aditus inde in Hollandiam præcludebatur. Victoriæ ſpes, non tam in paruo numero hoſtium, octingenti cuſtodes erant,cohorte inſuper vná recēter aucti,à Franciſco Verdugo Friſiæ moderatore, quàm in mœrore ſummo,ac deſperatione Regiorum militum. Quorum extremam inopiam ſtipendijque neceſſitatem cùm VerdugusBruxellas profectus renuntiaſſet,à Farneſio plures iam menſes ex Hiſpania pecuniam præſtolante, præter verba beneuolentiæ, atque commiſerationispleniſſima,retulerat nihil.Priùſquàm obſidionem Orangius admoueret, propugnaculum in aduerſa Zutphaniæ fluminis ripa poſitum, intercipi curat. Cohors vna negotium ſuſcipit, conficitque. Ante lucem eò profecta in inſidijs prope portam ſubſiſtit, præmiſſis duodecim adoleſcentulis militibus, qui muliebri ornatu puellas ruſticas ementiti, oua, caſeos, butyrum, tamquam venalia deferebant in calathis, de more ſupra verticem elatis, abditiſque intra ſinus veſtium armis. Non ante auroram intromiſſi ſunt;

Zutphaniæ expugnationem meditatur.

Propugnaculū è regione Vrbis fraude occupat.

ſunt; quo tempore præſidiarij è propugnaculo egreſſi partim ſcaphis flumen Zutphaniam versùs traijciunt, partim ad eſcarias merces coemendas, perſonatis iuuenculis circumfunduntur. A raritate cuſtodum facti audaciores Bataui, deſtinata perficere maturant. Illorum vnus extractum è gremio ſclopulum, in Regium militem intentum merci, quam licitabatur, explodit, humique proſternit exanimem. Ad hoc ſignum vertendæ veluti ſcenæ, reiectis muliebribus tunicis, apparēt loricati bellatores; læuáque ſclopulos, gladios dexterá, impigrè ſtringunt. Momento eodem commilitones, qui non longè à porta opperiebantur, accurrunt cum vociferatione, ac ſonitu timpanorum. Tot circumuenti terroribus præſidiarij, vix tentato prælio, deditionem faciunt, vno vtrinque milite deſiderato. Tam facili negotio Zutphanienſe propugnaculum ab Hollandis occupatum, pignus & rudimentum fuit vrbis citò capiundæ. Nam poſtridie Comes Mauritius Zutphaniæ exercitum admouit. Ducendo vallo, & imponendo Iſulæ ponti biduum inſumptum. Proxima luce tormenta de claſſe extracta, & ſitu ad verberationem accomodato locata ſunt. Tertiò Kalendas Iunias meridianis horis, triginta ferreæ baliſtæ fulminare cœperunt.

Vrbem obſidione claudit.

Poſt-

Poſtquam ternos in vrbem globos eiaculatæ ſunt ſingulæ, tubicen à Mauritio Zutphanienſes adit, deditionem imperans. Poſcentibus ad conſultandum ſpatium, ſimulque inducias breues, vt Verdugum ſui periculi admonerent, neutrum conceſſum. Quin tranſigere intra horam iuſsi, conditiones accepere, quales victis, ac territis dici ſolent; vt cum gladijs tantùm exirent milites, tamque ipſis, quàm ciuibus, aſportare fas eſſet, quantum vniuſcuiuſque vires ferrent. Flagrauit huius deditionis inuidiâ Loquemanius Gubernator; quoniam paucis ante diebus de ſtatu arcis percontanti Verdugo, neceſſaria tolerandæ obſidioni adeſſe cuncta reſponderat. At Mauritius exercitum Dauentriam duabus inde leucis diſtantem adducit, ad vrbem opportunitate loci Zutphaniæ non imparem (in eadem ripa Iſulæ fluminis poſita erat) nec minori cuſtoditam numero præſidiariorum, ſed eo firmiorem, quod tenebatur à Duce prænobili, ac ſtrenuo Comite Hermanno Bergenſi, altiſsimi ſpiritus iuuene Mauritij conſobrino, quippe qui à ſorore Gulielmi Auriaci Principis genitus fuerat. Circumuallatâ caſtris vrbe, atque ad obſidendum flumen, ne ſubſidia commearent, geminis infra, ſupraque conſtructis pontibus, verberationem

Deditionem breui à Preſidiarijs extorquet.

Hauans. Pet. de Caſtro. Carnerus. Coloma

Nonnulla Loquemanij Gubernatoris inuidiâ.

Deuēter.

Dauentriam inde obſidionē transfert Mauritius.

Dux

Dux inſtituit quadraginta obſidionalibus tormentis. E quibus octo & viginti mæniorum partem debiliorem quatiebant, quam firmare aggeſtu terræ neglexerant oppidani, cùm latiſsimæ foſſæ aquis abundantes, pro munimento circumdarentur. Reliqua in vrbis latera, in portas, in propugnacula collineabant. Poſtquam aliquot horas fragore magno detonuerant, caduceator mittitur, qui ſalute Mauritij nomine nunciatá, ad vrbem conſobrino tradendam Comitem Hermannum inuitet. Hic, iuſſo per eumdem præconem benè valere Mauritio, negauit ſibi ſalutem à propinquo, niſi ſaluá Hiſpano Regi cum vrbe fide, optabilem eſſe. Quo accepto reſponſo, repetita ſtatim verberatio eſt furore tanto, vt ſuper quatuor millia globorum in vrbem euomuerit, cum ſtrage muri ad centum vlnas proſtrati. Eodem tempore ſubuectus nauigijs pons, vt porrigeret aggreſſoribus viam, ad mœnia ruinis nudata nauigabat. Sed magna clade remigum, nauitarumque ea pontis molitio ſtetit. quandoquidem à ſclopetarijs de proximo propugnaculo iaculantibus, plumbeo pilarum nimbo ſunt obruti. Neque pontis mox vſus aggredientibus Britannis felicior, quàm inſtructio Hollandis molientibus fuit. Britannis enim adorien-

Hermannus Bergenſis Gubernator deditionem ſtrenuè abnuit.

Strages murorum à tormentis.

Aggreſſio infeliciter tentatur.

Car. Coloma l. 4. an. 1591. Pet. de Caſtro ibid. Ceſar Cápana ibid. Card. Bentiuolus par. 2. l. 6.

riendæ vrbis primæ, ſecundæ Scotis, vltimæ Batauis partes obtigerant. Cùm itaque ad primum claſsici ſignum in pontem irruiſſent Angli, Scotis inſequentibus, pons breuior repertus eſt, quàm opus foret, ad ruinas vrbis ripæ committendas. Priores igitur Angli, vrgentibus à tergo poſterioribus, in aquas detruſi præcipitant, & ſubmerguntur. Nonnulli, vires augente neceſsitate, atque audaciâ, iaculati ſaltu corpora, de ponte ruinas inſiliunt. Quod illis eatenus profuit, vt manibus hominum mortem oppeterent, ſpecioſius in ſuo ſanguine quàm in aquis, naufragium nacti. Cùm enim alij ſuper alios inciderent mutuò hærentes, impeditique, ad hæc, ipſo ſaltandi niſu defatigati, à præſidiarijs virium integris, per otium obtruncabantur. Canente denique receptum tubâ, cædes Anglorum finita eſt. Triſtem tamen victoriam Regijs, & ſecundum Batauis certamen id fecit, vnius hominis vulnus. Dum enim Comes Hermannus in acerrima dimicatione verſatur, emiſſus è tormento globus in murum incidens, effractos minutim lapillos aliquos excuſsit, impegitque pugnantis in faciem, ita vt oculis grauiter ſaucijs videndi penè vſum ammitteret. Apparuit quantum res militaris authoritate Ducis nitatur. Nam

Aggreſſio infeliciter procedit.

Hermannus Gubernator graue vulnus accipit.

Inde Regiorũ conſternatio tanta vt hoſti ſe traderent.

ciues, militeſque, qui, ſtante Bergenſi, Mauritij præconem ſuperbè reiecerant,& incohata feliciter propugnatione, ne cogitatum quidem dedendæ vrbis admiſerant, poſt Comitis vulnus, quaſi eodem ictu proſtrata præſidij virtus eſſet, ad paciſcendum in caſtra de conditionibus egrediuntur. Quæ mutatio cùm præter ſpem hoſtium contigiſſet, ingenti perfudit gaudio, tum Comitem Mauritium, qui aggreſsionem renouare meditabatur, de ſucceſſu obſidionis valdè anxius, tum Hollandicas copias, quæ ab heſterno commilitonum infortunio, fortitudinem propugnatorum edoctæ ſollicitudini, quàm ſecuritati propiores erant. Itaque dum ciuitas dederetur, honeſtiſsimis pactis aſſenſum eſt. Vt armis inſtructi, vexillis explicatis, tubis, timpaniſque concinentibus abirent; ſuaſque ſarcinas, quocumque collibitum eſſet, vltro commodatis curribus, & iumentis aueherent. Aucti ſpe Bataui à proſpero curſu armorum, ad expugnationem Groningæ principis Friſiæ vrbis, adijciunt animos. Guilielmo Naſſauio ciues nonnulli tumultus, & ſeditionem, ſub eius aduentum promiſerant, atque inde occaſionem Hiſpanici præſidij eijciundi, quod perexiguum numero, conſenſum deſciſcentis ciuitatis, haud remoraturum vide-

Groningam ex improuiſo adoriri feſtinat Naſſauius à nonnullis ciuibus inuitatus.

Pet. de Caſtro anno 1591.

videbatur. Naſſauius, ad occultandum conſilium, conuenire iuſsis in propinquum pagum ſilentio copijs, mox itinere dies, noctesque continuato, Groningæ improuiſus acceſsit. Furtiuos Naſſauij motus perſenſerat Verdugus, qui cum Comite Federico Vargas Cobordemi ſedebat. Is, quod erat Hoſti maximè ex vſu, id attentari, clandeſtino armorum apparatu coniectans, Groningam celeritate ſummâ, paucis comitantibus aduolat, commilitonibus, & Comite Federico ſubſequi iuſsis. Vix vrbem intrauerat, cùm primum hoſtium agmen mœnibus appropinquare cœpit, & ciues turbulenti, vti conuenerat, in foro diſperſi concionari populo, direptionis pericula, & feſtinæ deditionis commoda memorantes. Contrà Verdugus, oſtentare prompta Hiſpanorum auxilia, qui iam contra præcurſorios equites Batauorum ante vrbis portas certamen capeſsiuerant. Aliquantiſper Vrbis conſul animo eſt fluctuatus, vtrum Hiſpanos, an Batauos in ciuitatem reciperet. Et initio quidem Hiſpanos tamquam ſuſpectos reijciebat, non tam ſalutis diligens ab inimicis aggreſſoribus tutandæ, quàm libertatis, ne ab amicis auxiliatoribus præriperetur. Tandem, vt intra vrbem ſuos liberatores admitteret, fas, pietas, &

Verdugus prior in Vrbẽ aduolat.

Præſidiũ Hiſpanum ægrè, ſed tamen impetrat intromitti.

Burgomeſter.

pudor peruicere. An metus quoque? ne, ſi obruente multitudine Batauorum Hiſpani caderēt non inulti, conditiones iniquiores darentur à victoribus cæde ſuorum, ac ſanguine irritatis. Vno eodemque actu Hiſpanus in ſuburbia receptus, & ſeditionis incentores expulſi. Spe proditionis

Naſſauius obſidionem fruſtra tentatam omittit.

euaneſcente, Naſſauius aperta vi vſurus, aggeres promouere inſtitit; ſed breui fulminantibus bombardis, & aſsiduis eruptionibus Hiſpanorum, à fiducia ſubigendæ vrbis deiectus eſt. Vt obſidionem Groningæ ſalua dignitate deſereret, vires confert ad expugnandum propugnaculum in aggere poſitum fluminis, quo nauigia de mari proximo Groningam ſubuehuntur. Cuſtodiæ propugnaculi adſidebat cohors ciuium Groningenſium, quibuſcum fruſtra Verdugus egerat, vt in tanta propinquitate hoſtilium armorum, augeri præſidium cohorte Hiſpanica paterentur. Propter ſuſpiciones aliàs narratas negatum id fuit. Itaque, dum cauent ab amicorum fide incerta,

Sed in receſſu proximū propugnaculum occupat.

certam ab hoſte perniciem nacti ſunt. Vix enim Naſſauiani arci paruæ circumfuſi vim oſtentarunt, cum, ne vnica quidem tormenti diſploſione expectata, deditionem fecere.

In hunc modum oppugnatam à Gulielmo Naſsauio Groningam, perque Franciſcum Ver-

du-

dugum defenſam Petrus de Caſtro commemorat: nullo eius narrationis veſtigio apud alios Belgicæ hiſtoriæ ſcriptores extante. Quamuis ijdem Comitem Mauritium per illud tempus de obſidenda Groninga cogitantem, circumpoſita minora oppida, in poteſtatem redegiſſe narrent. Nobis neque res tanta vnico nixa teſtimonio affirmanda pro vera videtur, neque refellenda tamquam falſa, cum hominem de Alexandri familia oculatum penè teſtem authorem habeat. Quare in medio, vt aliàs, dijudicandam Lectori relinquimus.

Pet. de Caſtro in cõm. a. 1591

Cæſar Campana an. 1591.

Ad primum Zutphanienſis obſidionis nuncium, Alexander modicas Belgij vires collegerat. Germanas comitum Arembergij, & Berlamontij legiones; Vvallonicas comitum Octauij Mansfeldij, & Boſſuuij, cum Italica Gaſtonis Spinulæ, Leodienſi Capelæ, atque Hibernica Tribuni Eſtanlei. His vt adderet robora peditum Hiſpanorum (nam Zunnigæ & Idiaqueſij legiones peregrè bellabant in Gallia) Petro de Caſtro intimo ex domeſticis Dieſtemium miſſo, ad ſuſcipiendam cum ſuo Imperatore expeditionem, Vegæ legionarios inuitauit, interpoſita fide: ſi recenti merito, priora benefacta cumulaſſent, breui ſtipendia omnia ſolutum iri. Conſulta-

Alex. exercitũ cogit vt Zuophaniæ obſeſſæ auxilium ferat.

Car. Colonna de Bel. Belg. l. 4. Harens 1591. de Caſtro ib. Card. Bentiu. par. 2. l. 6.

Inuitat legionarios Vegæ, cum amplis promiſſis.

ſultatum eſt, dein pernegatum à contumacibus: cum, in vitiato legionis corpore, pars maior ſaniorem viciſſet. Læſam dignitatem legionis præſeferebant, quod vnus ex familia, non ſummates duces deprecatum pro re tanta veniſſent. Cum Aſculanum Principem anno ſuperiore Cortracum, in cauſa pari, allegatum ad Manriquianos memorarent. Metus quoque prætendebatur ne, ſi vires, & nerui legionis ad bellum contenderent, qui reſidui erant opprimerentur ab indigenis, vſurpatam per impotentes tyrannidem, in reliquias debiles vindicantibus. Ne tamen Duci ſuo nihil gratificari viderentur, operam detulere pro cuſtodiendâ Brabantiâ, finitimiſque arcibus, quæ nudatæ præſidijs ad augendum Parmenſis exercitum euocatis, hoſtium incurſionibus patebant. Legionis purgationem, ſimulque oblatum qualecunque ſtudium boni conſuluit Parmenſis; offenſione vel diſsimulatâ penitùs, vel condonatâ communi cauſæ. Quando contumaces vlciſci, neque ſi vellet, citra periculum poſſet, neque ſi poſſet, id è republica duceret. Brachium nempe dexterum eâ tempeſtate præcidere, quâ Catholica Religio, in Belgio, Gallijſque fide potiſsimum, & fortitudine Hiſpanorum ſuſtentabatur. Pro Vegæ legione,

Qui abnuunt; cauſaſque varias prętexunt.

Operam tamẽ exhibẽt pro tuendis propinquis arcibus.

Hanc boni cõſulit Alex. offenſa diſſimulatâ, vel neglectâ.

gione, nouam ex Hiſpanis cohortem auctorauit. Præter ducentos milites, qui cum duce Antonio Moſquera, ſe à tumultuantibus ſegregauerant, ſigniferi, centuriones, inſtructores legionis, & cum Tribuno Vega, eiuſdẽ contubernales, alijque claris natalibus Hiſpani nomina dederant. Agmen modicum (neque enim triginta ſupra trecentos excedebat) ſed vt numero, ſic & virtute, Romano Fabiorum manipulo comparandum, iuſtæ legionis cum animos, tum dignitatem in caſtris Farneſij retinens. Qui Ruremundá in ſedem belli deſtinatá, quarto Idus Iunij, Bruxellis profectus, vltra Thenas equitum ſibi turmas adiunxit inſignes præſtantiá ducum, militumque. Cum his, Moſa per Traiecti pontem ſuperato, cum Ruremundam veniſſet, ſeptem circiter millia peditum, equites mille quingentos recenſuit, inferiorem aciem Naſſauianæ multitudine bellatorum, ſed ab experientiá, & diſciplinâ militari, parem viribus, aut ſuperiorem. Illic præcipiti Zutphaniæ deditione auditá, Loquemanio Gubernatori non nihil ſuccenſens, cum inſtructo ad certamen exercitu, ne deeſſet obſeſſis Dauentrienſibus, properabat. Miſſo ad Bergenſem nuncio cum mandatis, vt milites accinctos ad eruptionem haberet, vbi primùm à Regijs per-

Carolus Coloma. Pet. de Caſtro & alij.

Ne careat exercitus Hiſpanis militibus nouam ex ijs cohortẽ 330. militũ conflat.

Simile Fabianæ ex 310. patritijs.

Coactas Ruremundæ copias recenſet Alex. 7. millia peditũ, equites 1500.

Audita Zutphaniæ deditione, atque obſidione Dauentriæ, tanto magis properat.

perrumpi hoſtilia caſtra ſenſiſſet. Iuſſo pariter Franciſco Verdugo de Friſiâ cum tribus millibus peditum, ad amplificandum Regium exercitum accurrere. Hæc, aliaque ſapienter imperata irrita caſus fecit, per omnia humana (vt ait ille) maximè in res bellicas potens. Prope Geldriam erat, cum de graui Comitis vulnere, deque orta inde Dauentrienſium ad vrbem tradendam conſternatione cognoſcit. Quamuis hos ad maturandam deditionem, præter deſiderium, Ducis inopia impulerit pulueris tormentarij; quæ cum hoſtem diu celari nõ poſſet, metuebatur ne iniquiorem conditionem ſeriùs paciſcentium faceret.

Sed fruſtra, deditione facta à ciuibus conſternatis Bergenſis vulnere & inopia rei tormentariæ.

Congeminatis infortunijs, quorum in ſe culpa nõ reſidebat, haud quaquam ſubmittendum putauit Parmenſis animũ, nec (vt prouerbio dicitur) abiecit haſtam. ſiue ex inſita mentis firmitudine, conſtantiâque, vnde conſueuerat difficultatibus belli quo grauioribus, eo peruicaciùs obluctari; ſeu quod, multo ante his prouiſis tempeſtatibus, denuntiatiſque (vti memorauimus) Regi, qua ratione ingruentibus occurreret, minimamque pro iniquitate temporum, iacturam faceret, diù attentèque meditatus fuerat. Nauarcho ſimilis; qui, ventis inſurgentibus, mediamque abripientibus ratem, à prora, ad puppim quaſſatam fluctibus,

Inuictus aduerſitatibus Farneſij animus.

Nauclero ſimilis qui fluctus irruentes eludit, aut ſuperat peritia artis.

ctibus, clauo imperterritus adſidet, & iactu mercium cum mari pactus, incurſantes vndas aut eludere certat, aut ſupergredi, ſcientiâ gubernandi.

Cæſar Campana an. 1591. Pet. de Caſtro ibid. Car. Colonna de Bel. Belg. l. 4. Card. Bentiu. l. 6. par. 2.

Geldriæ manenti, ex inſperato de Italia ſuperuenit filius natu maior, Parmæ ac Placentiæ Princeps Ranutius, in primo annorum flore non minùs præclaris dotibus animi decorus, quam formâ egregiâ & liberali. Auidus bellicæ laudis iuuenis, haud petitâ, metu repulſæ, Parentis veniâ, mutatis ad celeritatem equis, in Belgium aduolauerat. Vbi videlicet rudimenta militiæ ſub Genitore magiſtro clariſsimo poneret, ſimulque vt aduerſa valetudine magis, quam ætate debilitatum (duobus enim annis aberat à quinquageſimo) iuuentâ ſuâ, & firmitate fulciret. Retulitque probi cônatus fructũ vberem filij pietas: Quamuis enim iniuſſus, & repens aduentus è regione longinqua, initio paternum animum váriâ periculorum imagine commouiſſet, mox tranquillitati redditus, & aſpectu, alloquioque cariſsimi pignoris eſt recreatus, & alleuatus participatione curarum, & in ciuilibus, bellicíſque rebus haud mediocriter adiutus, promptâ operâ fideque.

Ranutius Alexandri filius, Parmę ac Plac. Princeps, in Belgium venit 22. ætatis anno.

Patrem præſentiâ & operâ ſuâ recreat, & ſubleuat.

Occaſionem nacti, quod Parmenſis in proxi-

mo cum exercitu verſaretur (à Geldria enim ad cœnobium Marienboom Cliuienſem ditionem copias duxerat) eò Neomagēſes vrbis Gubernatorē Guileynum, cum ciuium primoribus mittunt oratum, vt obſidione ſubitò admota expugnet, ac diruat propugnaculum in ripa Vahalis è regione Neomagi à Mauritio anno ſuperiore conſtructum, quod aſſiduis iaculationibus ciuitati infeſtiſſimum erat. Naues ad tranſitum, cibaria, rem tormentariam, cæteraque opportuna ſe affatim præbituros pollicentur. Salus, & ſecuritas vrbis peramplæ, Catholicæque cum ciuium promiſſis, & conditionibus opulentis, in anguſtiá ſummâ regalis ærarij, ad expeditionem capeſſendam perpulere Farneſium. Conſilia in omnem euentum reipublicæ commodo attemperauerat. Nam, ſi propugnaculum expugnaretur, operæ pretium futuram incolumitatem Neomagi, & victoriæ decus. Sin oppugnatio lentiùs procederet, adhuc in lucro deputandum, quòd, ab inuadendis Regiorum arcibus, ad ſuas defenſandas, Bataui retraherentur, diſcerentque, in quantacumque rerum aſperitate, ſupereſſe animos Farneſianis. Rumore diſperſo, Schenchianam arcem armis Catholicis peti, ad Vahalim extemplo ducit, & nouem

Neomagenſes Alex. orant, vt propugnaculum Knodſenburgicū vrbi perinfeſtum aggrediatur, & expugnet.

Rationes quibus ad id tentandum inducitur.

nouem pontonibus Neomagenſium curá præparatis, incolumes copias traducit, ſeruatis diligenter ordinibus, cùm, à ſecundá poſt meridiem horâ, vſque ad alteram lucem, alæ, cohortes, impedimenta, cum tormentis militaribus transſmearent. Poſt fluminis tranſitum, rectâ copias ad propugnaculum Knodſenburgicum dirigit. Primam aciem cum trecentis Hiſpanis Antonius Moſquera ductabat, ſubſequentibus Italis peditibus, & Hibernis. Mediam Germanæ legiones, extremam Vuallonicæ, cum ſuis ducibus conficiebant. In primo ordine primi agminis, Princeps Ranutius, inter Hiſpanos (id honori Regnatricis nationis Farneſij dabant) cum haſtá militaturus Tyro ſereniſſimus apparuit.

Vahalim cum exercitu in ratibus Neomagenſium tranſmittit.

Ordo copiarum.

Princeps Ranutius inter haſtatos Hiſpanos tyrocinium militiæ ponit.

Vt Parmæ Ducem Vahali appropinquare Comes Mauritius comperit, quid illum illic potiſſimùm vreret ſuſpicatus, proximo Tilæ Gubernatori mandat, vt immiſſis quàm primum auxilijs, obſidioni Knodſenburgici propugnaculi anteuertat. Protinus lectæ Batauorũ cohortes per aggerem Groningenſem accelerabant, cùm eluctati tandem cænoſæ viæ difficultates vniuerſi pedites primi agminis, Hollãdis venientibus occurrunt, initâque pugnâ, ne in arcem ſe pe-

Mauritius iubet augeri præſidium propugnaculi Neomago aduerſi 300. militibus.

Quos Catholici prohibere non poſſunt, ne arcem ingrediantur, defectu pulueris tormentarij.

penetrent, omni conatu prohibere contendunt. Interclusuſque omnino aditus foret, exuperante multitudine Regiorum, niſi ſclopetarios Catholicos, in medio certamine, nitratus puluis defeciſſet. Siue id à milite peccatum in legem belli, quod ad iter magis, quàm ad prælium paratus veniſſet, ſiue crimen fuit paupertatis extremæ, vnde, cùm ſtipendia non procederent, interdum alimenta vitæ, ne dum inſtrumenta belli neceſſaria deerant. Parua res non parum momenti ad ſummam rerum habuit. Trecenti auxiliatores introgreſſi tantum virium, & animorum intulerunt, vt Alexandrum à ſpe occupandæ per ſubitam aggreſſionem arcis, ad conſilia lentæ, ac laborioſæ expugnationis auerterint.

Vnde is defectus,

Et quàm damnoſus.

Primum omnium ſecuritati obſidentium copiarum conſultum voluit. Circumducto celeriter vallo, ſepire caſtra, attollere aggeres, hos receptaculis, tormentiſque munire, vt Regius miles externæ violentiæ impenetrabilis, per otium arcem impugnaret. In excitatum è ceſpitibus tumultuario opere ſuggeſtum, decem obſidionalia tormenta collocata ſunt, non ſine labore multo, ac ſanguine vtrinque fuſo, propter eruptiones frequentes Batauorum. Interim comes

Alex. castra munire curat.

Et tormenta idoneo loco conſtitui.

Non ſine certamine.

mes Mauritius cum denis peditum, binis equitum millibus Arnhemum, ſedem belli ſe confert, tres leucas ab obſeſſo propugnaculo diſtantem. Sed aggredi Farneſij munitiones non auſus, neque pro depellenda obſidione ſubire martis aleam, interuertere tantùm cibaria; & milites pabulatum profectos excipere dolis, aut vi deſtinauerat. Eiuſmodi tentamentis iam animo præceptis, obuiam ibat præſens vbique conſilio Parmenſis, ita vt moleſtiam potiùs, quam damnum ab inquieto hoſte ſentiret. Cùm in velitationibus aſſiduis, vt virtus Catholicorum, qui plurimum erant veterani, ſic & fortuna præcelleret. Vnde pudor, & indignatio Mauritij ſolertiam acuere ad inſidias faciendas: queis obnoxios Duces Regios fecit, bonæ fortunæ mala ſoboles ſuperbia, & temeritas.

Comes Mauritius Arnhemum venit.

Eius conſilia.

Quibus Alex. occúrrit.

Cum res Catholica in leuibus prælijs eſſet ſuperior, Mauritius inſidiàs molitur.

Diditus rumor fuerat, ſiue caſu, ſiue aſtu Naſſauianorum, Batauos, cum tota mole virium, oppugnatum caſtra Hiſpanorum aduentare. Prodire obuiam, ad ſpeculandum quid ageretur, Parmenſis imperat Petrum Franciſcum Nicellum Prætorianorum equitum Ducem, cum Alfonſo de Aualos, Hieronymo Carafa, & Hernando Pradilla, ſuas vnoquoque turmas ducentibus, Italici nominis equites quadringentos.

Occaſio inſidiarum.

Alex. monita ad duces equitatus,

tos. Illud in primis inculcat, vt conſilia hoſtium explorent, aliquot interceptis; à grauiori prorſus certamine abſtineant manus, caueantque etiam, atque etiam ne, ſpe victoriæ quantæcumque, abduci ſe ſinant in interiora regionis, ob aggeres crebros, anfractuſque, equitibus iniquæ, ac bellicis fraudibus opportunæ. His profectis occurrunt pari fermè numero Naſſauianæ turmæ, ſub Solmæ comite, & equite Vera Anglo. Commiſſo ſtatim prælio, productoque ad ſemihoræ ſpatium, Batavi, nonnullis ipſorum cæſis, quadraginta captis, terga conuertunt: ſeu verè pulſi, fuſique, ſeu ſimulatâ fugâ, ex conſcientia inſidiarum. Tunc equitibus Regijs, qui iam ſatis deſiderio Ducis, & muneri bellico, tamque gloriæ ſuæ, quam ſaluti egregiè fecerant, ſi victoriæ temperaſſent, elatis aurâ fortunæ mandata imperatoria exciderunt. Et licèt in mentem reuocare conaretur Prodromus equitatus, ad hoc ipſum comes additus ab Alexandro ſuorum ferociæ gnaro, cæco tamen impetu abrepti, dum fugientibus inſiſtunt, in inſidias præcipitantur circumpoſitas pontibus, foſſiſque, vbi Mauritius pedites quadringentos cum ſclopis grandioribus abdiderat. Vix locum præteruecti fuerant Regij, cùm à fronte, à tergo, à lateribus

Regij equites cum Batauis cõgrediuntur.

Eos auertunt in fugam.

Et perſequuntur cõtra præceptum Ducis.

Tandẽ in inſidias incidunt.

in eos coorti Batavi pilarum effundunt procellam, & promiſcuâ ducum, militumque cæde proturbant. Pradilla plurimis confoſſus vulneribus poſt paulò extinguitur: Nicellus, de Avalos, Carafa saucij, cum alijs compluribus, in poteſtatem hoſtis venere, ſeptuaginta interfectis. Petrus de Caſtro auctam cladem affirmat, amiſſis tribus vexillis, infortunio vſque ad eam diem inaudito, in exercitu Farneſiano. Confirmatus hâc victoriâ Mauritius, educere Arnhemo copias non dubitavit, & ad obſeſſam arcem appropinquans, caſtra ſua mille quingentos paſſus procul à caſtris Farneſij poſuit. Qui, punitam ab hoſte Batavo ſuorum Ducum contumaciam, graviter dolens, proximâ nocte, cum maiori parte copiarum ad certamen inſtructa, circumiectam Naſſavianis caſtris regionem percurſat populabundus, vt Mauritio (qui ſuos per id tempus in munimentis continuit) ſatis liqueret, Regiorum militum animos, heſternâ calamitate laceſſitos magis, quàm fractos, in vltionem ardere. Exinde conceptas iras effuſurus in arcem, quæ poſt victorioſam tot annorum militiam, prima Farneſianis obſiſtere viribus gloriaretur, cuncta expugnationi neceſſaria feſtinabat. Iam ſepta corbibus contexta, & vimineas ciſtas, ad propugna-

Pradilla occiditur alijduces militeſque cõplures vulnerantur 70. extinctis, & vexillis tribus amiſſis.

Vnde Mauritij audacia.

Farneſij dolor & prudens ac forte conſiliũ, quo comprimit audaciam Batavorum.

Multimodis obſidionẽ vrget.

gnaculum admouerat: iam ferreæ pilæ tormentis excuſſæ in murum aggeſtu terræ firmatum, ruinæ ſpatium aperuerant modicum quidem, ſed amplum futurum Farneſij militibus, loci defectum, virtute, atque arte penſare ſolitis: cùm aquas in foſſis profundas exhaurire cæmentis, & ramalibus nequiuiſſent, dolijs pontem ſuper imponere parabant, per quem foſſæ labrum exterius interiori iungentes, tranſitum in arcem aggreſſoribus præberent. Nono Kalendas Augu-

Pontem dolijs imponi mandat, nocte diē feſtum D. Iacobi præcedente.

ſti, D. Iacobi peruigilio, Gaſpari Zappenæ, & Alfonſo de Luna centurionibus Hiſpanis, moliendi eâ nocte pontis negotium eſt datum. Sed

Sed mandatū reuocat.

intra horam reuocatum præceptum fuit, propter Alfonſi Idiaqueſij de Hiſpanijs aduentum,

Propter imperium Regis ad bellum Galli-cum reuocantis.

cum Regijs literis ad Alexandrum. His iubebatur curas omnes, & conatus armorum in Gallias vertere, omiſſo penitùs, præterquam vbi vis propulſanda eſſet, Belgico bello.

Quod non libenti animo accipit.

Tam certo, deffinitoque Regis imperio, quod Alexander haud ſanè libenti animo excepiſſe viſus eſt, optatiùs illi nihil obtigiſſe, quidam ex Hiſtoricis contendit; propterea quod cauſam obtulerit ſoluendæ cum dignitate obſidionis perdifficilis, funeſtæque cæde nobilium Ducum, Comitis Octauij Mansfeldij, Federici

Cara-

Carafæ, Achillis Triſſini, & aliorum; prætento Regalis obſequij ſtudio, bellicæ neceſsitati. Equidem ſcriptoribus alijs libenter aſſentior, qui Farneſij frontem à pectore diſcrepaſſe negant; cum obſeſſum propugnaculum magis, magiſque in dies premendo ſperare poſſet, per aſſultus frequentiſsimos, abſumpta defenſorum paucitate, tandem ceſſurum ſibi, victoriá quidem non incruentâ. Sed Regis iuſſu coactus inimicæ arci parcere, ac florem copiarum integrum expeditioni Gallicæ reſeruare, animum intendit ad præſtandam profectioni ſecuritatem; opus militarium facinorum, quotquot in Belgio egerat, maximè arduum, exceptum proinde conſentienti Scriptorum omnium laude.

Caſtro Campana an. 1591. Bentiuolus p. 2. l. 4.

Paret tamen, & ad profectionem ſe comparat.

Bentiuolus. Coloma. Campana. Carnerus. Caſtro. Hareus

Antiquiſsima cura fuit, vt ex aggere, vnde propugnaculum verberauerant, æneæ baliſtæ in tutum reportarentur. Inchoatum id ſub eius diei veſperam, intermiſſumque propter pilarum nimbum ex propugnaculo depluentem, repetitũ feliciter primis tenebris fuit, à cohorte Hiſpanica, honoratis reliquijs legionis, quæ ſeceſſerat. Cumque vnum ex tormentis, inter moliendum, decidiſſet in ſubiectam lacunam, immerſumque ita eſſet, vt vulgò extrahi poſſe deſperarent, audaciſsimi iuuenes in profundam cæni voraginem

Primo tormẽta referenda in tutum curat.

Eius rei difficultates.

A cohorte Hiſpanica ſuperatæ cum laude.

gnam. Quam cùm Bataui non abnuerent modò, ſed in caſtris defixi, ne ſolitas quidem velitationes obirent, interea loci Farneſiani otioſi non erant. Sed Parmæ Princeps, quem Pater poſtremo agmini præfecerat, ex tyrone iam Dux, aggerem à caſtris Hiſpanis ad flumen vſque quinque horarum ſpatio perduxit, foſsis præcinxit, & propugnaculis in ambitu, bombardis militibuſque communijt. Deinde ſub meridiem, ad oſtentandam fiduciam, hoſtiſque contemptũ, pontonibus, & nauigijs equitatus primò, mox peditatus, ad vltimum Princeps ipſe traiecit cum præſidiarijs bis mille, qui munimenta ſeruauerãt, & cum tormentis campeſtribus, quæ ſupererant, nam obſidionales machinæ, ſarcinæque militares auectæ noctu iam fuerant. Nullæ autem Batauorum cohortes, aut alæ, ad iter infeſtandum (vt mos in bello) apparuerunt; ne aggreſsione vel irritâ, vel caſtigatâ augerent abſcedentis exercitus famam. Quamuis ea ipſa certaminis obſtinata detrectatio non parum ad cumulandam Farneſiorum gloriam pertinuerit. Vbi enim Hoſtis, ex reuerentia virtutis, congredi non audet, ſpecioſius eſt non dimicare, quàm vincere.

Bentiuolus p. 2. l. 6. Carolus Coloma de Bel. Belg. l. 4. Cæſar Camp. Pet. de Caſtr. a. 1592 & aly.

Interim Rauutius Dux tertii agminis aggerem fabricat & munit.

Meridie Regius exercitus flumen tranſit.

Nullis Batauorum cohortibus aut alis iter infeſtantibus.

Cùm adimere obſtaculum Neomago perinfenſum, Regij præcepti neceſsitas vetuiſſet, quod

erat proximè ſaluti vrbis conducibilius, Parmenſis inſtitit ciuibus, vt præſidium, quod ex paucis Vvallonibus, Germaniſque conſtabat, pro re præſenti duplicari permitterent. Ne videlicet, per occaſionem abeuntis in Galliam Imperatoris, adorti Bataui peramplam vrbem, & incuſtoditam facilè occuparent. Non eſt impetratum à Neomagenſibus magis attentis, ne ſua libertas leuiter decerperetur ab Hiſpano, quàm ne funditùs tolleretur à Batauo. An quia periculum quamuis leue ab amico magis afficere ſolet, quàm periculum ab hoſte grauius, quod vt externum, etiam longinquum reputatur? Neque deerant aliquot ſtudioſi Hæreticarum partium, qui callidè inſinuarent, abunde in ipſis ciuibus fore præſidij ad prohibendum, ne inuiti expugnarentur. Quod igitur vnum, in tanta iniquitate temporum, hominumque prouideri poterat, Verdugo Farneſius mandat, vt quale ciues, hoſtes, & opportunitas rerum patiantur, Neomagenſibus auxilium ferat. Ipſe, dum pecuniâ, quæ modica de Hiſpanijs aduecta fuerat, delectus militum in Belgio habetur, dum accerſuntur ex Burgundia, Italia, Germania legiones, ad Spadanas aquas recurrit, vt, quam inde ſalutem antequam primam ſuſciperet expeditonem receperat,

Alex. cũ Neomagenſibus agit de augendo præſidio vrbis.

Non impetrat.

Cauſæ.

rat,

rat, earum hauſtu repetito inſtauret, roboretque.

Angliæ Regina Farneſij reditum in Gallias diſturbare conatur.

At Eliſabetha Britanniæ Regina, cui maximè cordi erat, ne ſanctum in Gallijs fœdus, Alexandro redeunte reſurgeret, rurſus Comitem Mauritium ſubſidijs pecuniæ, & militum liberaliter ſubornatum, ad Regias adoriendas arces impellit, quò videlicet Parmenſem conſeruandi Belgij cupidum, aut à Gallica expeditione omnino retrahat, aut quàm diutiſsimè remoretur. Exploratum habebat Regina, exercitum non aſpernandum in Italia, ſtipendio Gregorij XIV. Romani Pontificis conflatum, ſub exitum menſis Iulij alpes tranſiturum, ijſque adiungenda de Inſubria, & Neapolitano Regno, quatuor lecta Hiſpanorum millia, queis inuicta Belgij robora ſi aggregarentur, Hiſpanicæ, Italicæ, Vvallonicæ legiones, cum Belgico, Germanico, & Gallico equitatu ſub Alexandro Duce, in Gallia de Caluinianis partibus actum fore. Nec inficior, per hanc remoram nonnihil ſecundam Farneſij profectionem fuiſſe retardatam. Sed alia præterea ducendæ moræ in cauſa fuere. Primum omnium inopia ſumma in extrema neceſsitate rei pecuniariæ, quam Gallia, Belgiumque, quaſi geminæ labes, & voragines, vtroſque theſauros diuitis Indiæ abſorbere capaces, ratione diuerſa

Farneſium remoratur defectus pecuniæ adſumptus immanes in Gallia & Belgio faciendos.

ſa

ſa exigebant æqualiter, atque inhiabant. In Gallijs Duci Maineo centum aureorum millia in ſingulos menſes, pro nobilium equitum turmis conducendis: dena millia pariter menſtrua eius familiæ vſibus deſtinata iam fuerant. Neque minor Duci Mercurij ſumma, pro gerendo aduersùs Hugonotos, & Anglos in minori Britannia bello. Duci quoque Guiſio, qui nuper ex Turonenſi arce profugerat, altiſsimæ ſpei adoleſcenti, noua erant addicenda ſtipendia; tum horum Principum aſſeclis diſpertienda ſua ſingulis donatiua Iannino, Roneo, Iattrheo, SanPaulo, alijſque, qui arcanorum non conſcij modò, ſed & arbitri, per officij ſpeciem, imperantibus imperabant. Ad hæc Hiſpanicæ binæ, totidem Italicæ legiones, cum Iacobi Collalti Germanis, in eadem Gallia merentes; in Belgio autem, nullæ non cohortes, nullæ non turmæ debitam dudum pecuniam, pretium laborum, & vulnerum repoſcebant. Grauiores cæteris erant Hiſpani Vegæ milites, qui, nobilibus Brabantiæ oppidis occupatis, niſi quadringenta aureorum millia numerarentur, ad vlla inde militiæ munia ſe prodituros negabant. Quorum exemplo, peſtilenti veluti contagio, ne infectæ reliquæ copiæ, paria per occaſiones auderent,

me-

metus inceſſerat; cum iam Comitum Arembergij, & Berlamontij legiones tumultus incœptarent. Neque delectus nouorum militum, Belgij prouincijs, & in Germaniá, Italiáque imperati feliciùs procedebant. Quippe Duces non ignobiles, qui à Parmenſi grandem in id negotium pecuniam acceperant, militibus, quos conduxerant, fortè, an dolo? dilapſis, expeditionis tempore appetente, defecerant. Quòd promiſſis non ſtaretur, à Ducibus in milites, à militibus in Duces, culpa referebatur, à neutris falsò, ſi vera rumore vulgi iactata ſunt: Vtroſque Britannico auro corruptos, grauis, & periculoſæ militiæ abieciſſe onus. Cum alterum tantum mercedis daretur ab Angla, vt omitterent Gallicum bellum, quantum, pro eo capeſſendo, acceperant ab Hiſpano.

Pet. de Caſtro a.1591

Graue hoc incommodum, ab inimica Catholico nomini Regina illatum, aliud excepit eò Parmenſi grauius, quod, ab amicis Catholici Regis adminiſtris, vnde auxilia ſperari decuit, profectum. Cum deſignata in Belgium ab Hiſpanijs auri ſubſidia morarentur, Alexander, de ſuis in Italia redditibus, Inſubriæ Gubernatori, Neapolitano Proregi, & Hiſpano Oratori apud Pontificem, pecuniam tranſmiſerat, qua millia quin-

In lit. Alex ad Regem 17 Maij 1591.

Alex. de ſuis redditibus in Italia milites curat conduci ad ſupplendas Italicas legiones.

que

que peditum conducerentur, ad ſupplendas Italicas legiones Petri Caietani, & Camilli Capiſucchij per id tempus in Gallia ſtipendia facientes.

Committit negotium Appio de Comit. & Petro Caietano.

Eam porro curam opportunè commendauerat Petro Caietano, & Appio de Comitibus ex Belgio Romam reuertentibus vt, in Pontificio exercitu à Gregorio XIV. pro Gallijs deſignato, militarent, tamquam equitum Magiſter Caietanus, Appius vt Præfectus caſtrorum Generalis. Hi ambo nouæ militiæ ſub ea conditione nomina dederant: modò confecto Gallico bello, in caſtra Farneſij, ad priſtina redire munia ius eſſet, alteri Tribuni peditum, alteri Lancceariorum equitum ductoris. Tanti æſtimabatur mereri ſub Alexandro, vt poſt exercitas alibi ſupremas armorum Præfecturas, ad inferiores reuolui, ſub tali militiæ Magiſtro, honori foret. Cum itaque bina peditum millia in regno Neapolitano, totidem in Inſubria, conſcripta eſſent, cum inſuper mille pedites, in ditione Pontificia, collegiſſet Tarquinius Capiſucchius, vetus in ſui gentilis legione centurio, vniuerſi per Inſubriam, & Allobroges in Galliam iter intenderant. Verùm extemplo à Mediolanenſi Gubernatore Italicæ copiæ in Sabaudiá ſubſiſtere iuſſæ ſunt; operamque Farneſio oppigneratam, præſtare Allobrogum

In exercitu Pōtif. militaturis.

Conductæ pecuniá Farneſij copiæ iubentur à Mediolanenſi Gubern. Sabaudiæ Duci militare.

gum

gum Duci, cum Hugonotis Delphinatus, & Prouinciæ bellum gerenti. Vnde factum, vt legiones itineribus, & prælijs defatigatæ ſupplemento ipſæ indigerent, ne dum alienæ indigentiæ ſupplendæ vires afferrent pares. De hoc detrimento Regijs commodis, & de iniuria ſimul ſibi irrogata, Farneſius literis in Hiſpaniam datis querelam habuit æquam, & vehementem. Quare iubente Rege, Inſubriæ Gubernator Parmæ Duci per epiſtolam ſe purgauit, cauſatus Infantis Catherinæ Sabaudo nuptæ auctoritatem: Preces filiæ Regis auxilia illa de proximo poſtulantis, apud ſe pro Regali imperio valuiſſe. Neque ſecus opinaturum, ſi præſens conſuleretur Parmenſis. Quin & ipſe gratificari mallet Auſtriacæ Principi; quæ, cùm vnicam virilem prolem Rex haberet, ſucceſſioni tot regnorum, cum generoſa ſobole deſtinabatur. Excuſationem admiſit (quid enim aliud faceret?) Alexander, ratumque habendo, quod mutare non poterat, donum ſuum fecit, ne periret.

Ex lit. Alex. ad Regem 16 Octob. 1591.

Queritur de hoc facto Farneſius cum Rege.

Atque eo mãdãte Moderator Inſubriæ Farneſio ſe purgat per epiſtolam.

Mediol. Gub. Dux Terræ nouæ ad Alex. 31. Decemb. 1591.

Sed quamuis copia militum, & pecuniarum abundè ſuppeteret, à reducendo in Gallias exercitu, Farneſium auocabat id maximè, quod animaduerterat eâ translatione armorum nihil in Gallijs profici, perdi multum in Belgio. Quorſum

Alex. animus à Gallica expeditione alienus, quod eam Galliæ parum vtilem Belgio valde damnoſam experimẽto didicerat.

ſum enim Hugonotorum arces expugnari cum graui incommodo auxiliarium legionum, quibus in terra Gallica non minùs cum humanis neceſſitatibus, quam cum hoſtilibus copijs confligendum ſit, ſi poſtmodum negligentiâ, vel proditione Gallorum, eas ipſas arces in poteſtatem Henrici Regis relapſuras eſſe conſtaret? Ita Corbolium, aliaſque ab Hiſpanis labore, ac ſanguine multo ſubactas, poſt paulo in manus Nauarræorum nullo negotio recidiſſe. Cùm in Foederatis Gallis, neque ſatis conſtantiæ eſſet ad tutandas per ſemetipſos vrbes ſuas, neque tantum animi, vt Hiſpanorum fidei committendas exiſtimarent. Quamobrem illud altè propoſitum animo Parmenſis inſederat, niſi neceſſitas extrema, (qualis Lutetiæ nuper) vrgeret, etiamſi cuncta opportuna adeſſent expeditioni, cui ſanè cùm pecunia abeſſet plurima deerant, omnino ſuperſedendum Gallico bello. Interim non omittebat Mainei Dux, literis, nuncijs, miſſiſque fidiſſimis amicorum, ad reditum ſollicitare Farneſium, ſpemque facere debellandi, ſi Pontificijs, & Hiſpanis legionibus, quæ ſub Duce Montis Marciani, ab Italia Gallias ingrediebantur, Belgicum exercitum, & ſemet Imperatorem adiungeret.

Mainei tamen Dux eum ad reditum ſollicitat.

Id ne facilè, etiamſi vellet, exequeretur, Eliſabe-

ſabethá incitante, Batavi negotium rurſus in Belgio faciunt. Neomago primùm monſtrauere arma. Sed, cùm factioſorum conſpiratio nondum in vrbe coaluiſſet, & Verdugus in proximo cum lectis militibus verſaretur ad obmoliendum paratus, in remotiſsimam oram inopinatum transferunt bellum. Impoſitis in claſſem quatuor peditum millibus, & ſexcentis equitibus, Comes Mauritius in Flandriam vehitur, atque in Vuaſsianam regionem extemplo exſcenſione factá, Hulſto vrbi in omnem eum tractum dominanti, admouet caſtra. Aberat Gubernator, Bruxellas profectus ad ſua, & præſidiariorum exigenda ſtipendia; cuſtodibus, vt in abſentia Præfecti, & inopia magna rerum, valde numero imminutis. Præclara occaſio turbandi viſa factioſis, præter abſentiam Ducis, præſentia hoſtilis exercitus, quem ab ipſis accerſitum, credibile poſtea fecit feſtinata deditio. Cùm enim ſpeciem oppugnationis magis, quam vim Batavi exhiberent, ſeditioſi ſtatim obſtrepere in vulgus: citra direptionis, excidijque diſcrimen vltimum, obſidionem tolerari non poſſe: defenſante præſidio permodico, tribus cohortibus, nec integris Germanorum. Ad quæ verba, cùm duces militum ex fraude, ciues conniuerent ex metu, ſuccum-

Sed Batavi rurſus obturbant.

De Vaſs. Hulſt.

Qui. Hulſtum in Flandria repentè aggrediuntur.

Et adiuti à factioſis adigũt ad deditionẽ.

bendum cœteris fuit, miſſoque ad Mauritium præcone, conditiones pacis petitæ ſunt, & acceptæ. Auditá interim Hulſti oppugnatione Chriſtohporus Mondragonius Antuerpienſi arci Præfectus, cum equitibus mille, quatuor millibus peditum, auxilio properabat; queis mille Hiſpani, de contumaci Vegæ legione vt ſe adiungerent, Alexander ſuis tandem hortatibus peruicerat. Cum ea manu Mondragonius, vel opem ferre, ſi ſpatium dabatur, obſeſsis, vel recedentes Batauos prælio ſe oppreſſurum ſperabat, & per victoriam amiſſam vrbem recuperaturum. Deſtinata ſapienter euertit præceps ciuitatis deſperatio, celeritaſque Mauritij. Qui firmatá præſidijs arce, ne punctum quidem temporis illic immorandum ſtatuit, ne videlicet periculum virium, ſine vllo vſu, facere cogeretur à Regijs, vndique ex omni Flandria conuolantibus. Impoſito rurſus nauibus exercitu, quem equis viriſque duplo ampliorem victoria fecerat, primò, Flandriæ maritimam oram percurrit omnem minabundus. Neoporto, Dunquerchæ, alijſque circum arcibus bellum oſtentat. Exinde per notos canales, & aquarum ſinus, in Geldriam improuisò illapſus, ad Vahalim tandem ſubſtitit, iniectoque ponte, cùm exercitum traduxiſſet,

Neo-

Eó properat Mõdragonius cum quatuor peditum millibus, equitibus mille.

Eius conſiliũ.

Sed nihil agit fruſtratus celeritate Mauritij.

Qui mox Neomago obſidionem circumdat.

Nieuport.

Domkerke.

Neomago obſidionem circumdat, ac diſpoſitis circum idoneâ ſede tormentis grandioribus quatuordecim, ſpeciem præbet vrbem vehementer oppugnaturi. Maturauerant eius occupandæ fiduciam, præter Hulſti celeriter capti famam, diuturna incommoda ciuium, tum à Knodſenburgico propugnaculo, perpetuis iaculationibus infeſto, tum ab Hollandicis nauibus, quæ, cum ingenti publicæ, priuatæque rei detrimento flumen obſederant. His prope inueteratis malis, acceſsit recens à depopulato agro mœſtitia, & vltimi excidij metus: promptis quidem, ſed raris in ampla vrbe propugnatoribus; quandoquidem oblata non ſemel à Belgij Præfecto ſubſidia repudiauerant. Hinc facile quibuſdam Comitis Mauritij aſſeclis fuit, deditionis mentionem ingerere, ſpemque facere, præter mutationem Principis, de republica mutandum nihil. In quo illos, aut illuſiſſe ciuium credulitati, aut ambos à Batauis fuiſſe deluſos apparuit; direptis mox templis, & prophanatis, atque exulare publicè iuſsâ Catholicâ Religione. At Farneſius haud multum commotus fuiſſe dicitur iacturâ vrbis prouiſâ dudum, comploratâque; quæ, inſtar ægri remedia inculcata ſæpius aſpernati, iamdiu perire maluerat. Animum itaque con-

Et breui deditionem extorquet à ciuibus vel factioſis, vel metu conſternatis.

Alex. ad Gallicā profectionem curas cōuertit.

contulit ad rem Gallicam, quò Regis imperio reuocabatur, & quotidianis Fœderatorum literis, nuncijſque. Vt certiorem ſui aduentus fiduciam Gallis penè deſperantibus ingerat, apparatum

Eò apparatum tormentorum & rei cibariæ præmittit.

tormentorum cum Belgico equitatu præcedere ad fines imperat. Exinde tranſmiſſâ per literas ad Didacū de Ibarra pecuniâ, negotium dat, vt rem cibariam comparet, ne penuria victus adigat Bel-

Cauſa.

gicā aciem amicæ Galliæ oneri eſſe. Quin & furnos geſtatorios magnâ copiâ conſtrui mandauit, & cum reliquo exercitus inſtrumento, in Gallias vehi. Quibus, alijſque id generis apparatibus eò ſpectabat, vt Galliæ populi rerum ſuarum ſecuri, Hiſpanis veluti fortunatis aſtris opem tantùm, & ſalutem debere ſe ſcirent. Valentianam ve-

Valentianam venit, Mainei reſponſum expectans. Sed eo Lutetiam reuerſo, ipſe Bruxellas redit.

nerat, iamque Guiſiam cogitabat, Ducis Mainei, de iungendis exercitibus, reſponſum operiens; cùm audit, euocatum repentè nuncio ſuſcitati grauiſsimi Lutetiæ tumultus, eò conuolaſſe; præhabitâ curis omnibus tutelâ vrbis, quã, cum ſua auctoritas, tum principatus Gallicani Fœderis nitebatur. Ergo Alexander quoque, ne otioſus Valentianæ deſideret, Bruxellas celeriter redit, excepturus Comitem Salatinum ab

Vt excipiat Cæſaris Legatos actutos de pace.

Iſenberg, & Baronem Berenſteinium Oratores Henri. a. 1591 miſſos à Ceſare occultis Philippi precibus dante

vt

vt, pro reconcilianda inter Hiſpaniæ Regem, & Fæderatas prouincias pace, ſequeſtrum ſe interponeret. Quam licet tractationem fruſtra futuram, pro certo haberet Parmenſis, quo præſertim tempore, cum Hugonotis Gallis, Hæretici Batavi, Angli, & Germani, ad abſtinendum Galliæ rebus Hiſpanum coniurauerant; ſuam tamen ſententiam diſsimulandā ſapienter cenſuit. Quin officijs maximis, ac ſignificationibus honoris, amoriſque plenis indulſit; ſiue vt reſponderet beneuolo Cæſaris animo, ſiue vt malignitatem obtrectatorum euaderet; ne, quod criminatus Moreus fuerat, ideò aduerſari paci putaretur, quòd eam coalituram non putaret. Verùm Legati, ab Regis adminiſtris, & proceribus Belgij, ſplendidis hoſpitijs, & lautijs exculti ſumptuoſis, poſtquam in Regio Belgij Senatu propoſitas à Parmenſi concordiæ conditiones exceperant, cùm ad Hollandos profecturi, per literas fidem publicam quæſijſſent, ingrato reſponſo reiecti ſunt: Satis Batauos domi habere quietis, per arma, & victorias partæ; nec Hiſpanæ paci, vtpotè fallaci fidere. Proinde pacificationis curam, vt ſuperuacuam remittere Cæſari, & Oratoribus Cæſarianis. Cùm in hanc ſententiam reſcriberent, per idem tempus Legatos Brittannicæ Reginæ, ac Na-

Qui à Farneſio, & Hiſpanis benigniter excepti, ab Hollandis reijciūtur.

Cauſæ.

Nauarræ Regis Hagæ Comitis magnificentiſsimis exceptos conuiuijs amplexabantur. Vnde apparebat, eaſdem ob cauſas reſpui pacem à Batauis, propter quas Hiſpanis vehementiùs appetebatur, quò videlicet totis hinc, atque illinc viribus, Nauarræ Regem aut auerterent, aut admouerent Gallico ſolio. Quod ſanè inſtar Helenæ Græcorum votis, ac Troianorum ambitæ, vniuerſa Europæ ſtudia, & arma bipertita concierat. Et quidem Henrici Regis fortunâ, poſt Alexandri diſceſſum, per Galliam refloreſcente, res Fœderis in præceps vergere, ac ruitura credebatur, niſi rurſus exercitus, & Imperator Belgicus ad ſubleuandum accurreret. Autricum Carnutum paucis ante menſibus venerat in Regis poteſtatem. Idem in Picardia nuper Nouiodunum ad deditionem compulerat; cùm Aſculi Princeps, qui cum ſenis Vuallonum millibus à Farneſio præmiſſus in Galliam eo abſente Regis Hiſpani copijs imperabat, opem ferre obſeſſæ vrbi recuſaſſet, ne contra Farneſij præſcriptum, rem Sancti Fœderis, ambigui certaminis fortunæ committeret. Quamobrem Fœderatorum ciuitates terror ingens inuaſerat, exultante contra Nauarræ Rege, totumque Galliæ Regnum impunè peruagante. Ad quem nuper ſe aggregauerant au-

Henrici Regis vires & potentia poſt Alex. abſceſſum in Gallijs creſcit.

auxilia prævalida gentium externarum, millia quinque peditum ex Anglia, ę Germaniâ decem, quinque pariter millia equitum Germanorum, à Principibus hæreſum ſocijs Brandeburgico, Saxone, Haſsio, Palatino, collecta: pecuniam ſuggerente Britanniæ Reginâ, miniſterium, curamque Vicecomite Turenio.

Auxilia de Anglia, & de Germania Henrico Regi ſe adiungunt.

His virium incrementis Rex elatus, quominùs integram Galliarum poſſeſsionem deſponderet ſibi, vnica retinebat reuerſuri Parmenſis fama, moleſque auxiliorum, quæ à Gregorio Decimoquarto Pontifice, & à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, de Italia properare ferebantur: ſena Heluetiorum peditum millia, bina Italorum, cum equitibus mille, Pontificio ære conducta; quibus præerat S. R. E. Ductor Generalis Hercules Sfondratus Dux montis Marciani, ex fratre Gregorij Pontificis nepos. His Rodericus Toletanus, & Aloyſius Velaſco, cum binis Hiſpanis legionibus in Inſubria ſigna ſociauerant. Quod ſi hæc arma recto itinere in Galliam, vt monebat Dux Mainei, feſtinaſſent, illic addita Gallicis eius turmis, & Alexandri legionibus tantam Hæreticorum agminum coniunctionem facilè interpellare potuiſſent.

Pontificiæ etiã & Hiſpanæ copiæ de Italia tranſeunt in Galliam pro Fœderatis.

Sub auſpicio Herculis Sfondrati S. R. E. Ducis Generalis.

Lotharingiam peragrabat auxiliaris exercitus, obuiam progreſſo nemine, ſiue Gallorum, ſiue Hiſpanorum Ducum; Fœderatis multum ſuccenſente Sfondrato, quod ſua negligere præſidia viderentur. Verùm ſubita belli, & improuiſarum occaſionum neceſsitates, ab ea vrbanitate officij, vtrumque Ducem auocauerant: Parmenſem, aliæ ſuper alias in Belgio interceptæ, aut tentatæ arces, Maineum, ſeruandæ Rhemenſis vrbis cura, ad cuius inchoandam oſibdionem, Rex Henricus extemplo vniuerſum equitatum præmiſerat. Quamobrem Dux Mainei vt anteuerteret, dies, noctesque continuato itinere cum Gallico equitatu, & Hiſpanis Aſculani Principis legionibus, Rhemorum ſuburbia priùs inſedit, quàm pedeſtres copiæ Regis ad vrbem circumuallandam aduenirent. Irritos itaque conatus, & ſuperuacaneam futuram illic operam Rex intelligens, in Lotharingiam ſtatim mouit. Pontificios, Hiſpanoſque prohibere decreuerat, ne Gallis, & Belgis aſſociatis, aciem conficerent inſuperabilem. Maineus pariter, vbi auerſum ab oppugnandis Rhemis Henricum ſenſit, cum equitibus mille in Lotharingiam accurrit. Illic Sfondratum ſubſiſtere in amica regione cogitantem, donec de Alexandro cer-

A nullo Fœderatorum excipiuntur, cum Sfondrati querela.

Rex Henricus obſidionem Rhemenſem inchoat, ſed interuẽtu Mainei eamdem omittit.

Rex in Lotharingiam venit.

Eius cõſilium.

Maineus quoque in Lotharingia Sfondratum conuenit, hortaturque vt progrediatur Guiſiam vſque.

certiora comperiſſet, ad progrediendum impellit, ne, per confeſsionem timoris, audaciam Hugonotis, trepidationem Catholicis ciuitatibus faceret. Virodunum vt peteret, author fuit, honeſtius iter, tutiuſque habiturus inter Galliæ, Belgijque confinia, Guiſiam vſque, cum ſpe Parmenſis tandem conueniendi. Qui eodem tempore per literas monuit, vt moram aliquantiſper in via traherent Fœderatorum copiæ quò conductas Hiſpanico ſtipendio Germanorum turmas aſſociarent ſibi. Inter hæc, Nauarræ Regem, cum exercitu aucto ſubſidijs externorum, aduentare perfertur. Propoſitum illi primùm erat obſtare, ne vires Fœderatorum in vnum coaleſcerent; deinde, ſi qua offerretur opportunitas, adoriendo ſingulos incompoſitos, aut diuiſos, opprimere. Sed quoniam vigilantia Ducum, militumque nullas eiuſmodi anſas dabant, Henricus Rex aperto marte vſurus, octauo Kalendas Decembres, quatuor ingentibus turmis equitum nobilium ſtipatus, & ſubſequentibus binis Draconum millibus, in conſpectum ſe dedit Fœderatorum copiam certaminis faciens. Obuiam prodiere Fœderati equites pariter, pediteſque ad pugnandum inſtructi. Poſtea quam ad teli venere iactum, nihil vtrinque promotæ ſunt acies.

Verdun.

Parmenſis admonet Fœderatos vt in itinere Germanorum turmas à ſe conductas aſſocient.

Pet. de Caſtro a. 1591 Hom. Turtur lib. 18.

Rex & Fœderati occurrunt inuicé ad pugnã accincti.

Cum ij prouocaſſe, hi promptos ad refellendum ſe oſtendiſſe contenti, ſatis ad gloriam ducerent. Nimirum, vt Nauarræi equitatu, ita peditatu Fœderati præualebant. Quare ſe mutuò vt validiores alterá parte virium reuerebantur. At

Obſidet Rex viam qua Fœderatis iter futurum erat ad conueniendum Parmæ Ducem.

Henricus, ne Fœderati ad iungendas cum Farneſio copias, Guiſiam tenderent, obſidere iter cœpit, & caſtra octo illinc leucis, ante Stenæum Stenay collocauit, munijtque. Hæc mora, occupatioque Regiorum armorum, ſalutem Lutetiæ Pariſiorum attulit, eá tempeſtate, in grauiſsimum diſcrimen adductæ. Vbi ſanè, propter coniuratio-

Regis abſentia Lutetiæ ſalutaris hoc tempore.

nem politicorum Regi fauentium, pluſquam trepidatum foret, ſi motus ciuium interior, conſentientium foris Nauarræorum adminiculo niteretur. Neque diutiùs in Lotharingia hærere Regem, tempuſque otioſè conterere, paſſæ ſunt, præter ipſius acrem, mobilemque ſpiritum, An-

Hortante inprimis Anglo Oratore Rhotomagum obſidere ſtatuit.

gli Oratoris preces adhortantis, vt Rhotomagum obſidione circumdaret: Tantum auri, ſanguiniſque Britãnici commodaſſe Reginam, multoque plus in poſterum commodaturam, vnum hoc ſeu beneficium deprecari, ſeu mercedem, ne tamdiu ſpectare cogeretur ex oppoſito Inſulæ littore præfulgentia inimicarum partium vexilla, cum intertrimento communis cauſæ, ac probro

Gal-

Galliarum. Dum floreret exercitus Regius, dum Fœderati languerent, opperientes aduentum, nunquam peruenientis Alexandri, poſſe Rhotomagum ad deditionem vrgeri; cuius fortunam, Lutetiæ mox caſum tracturam. His permotus hortatibus Rex, iam circumpoſitas arces, & vltimò Calidobechum ſubegerat. Iam Hollandi, præter quatuor peditum millia, claſſem quoque nauium ſubmiſerant, per quam maritimæ merces, & commeatus Rhotomago excluderentur; cùm tandem, iuſſus à Rege Bironius obſidionem vrbi admouet; dein ipſe Rex cum reliquo exercitu Kalendis Decembribus accedit.

Bironius prior dein Rex obſidionem admouent.

Dum in hunc modum per excurſiones, & obſidia bellum ardebat, haud quaquam intepuerat tractatio pacis, cui opera dabatur eò prolixior à Principibus factionum, quò propiùs aleam rerum omnium iam erant, fluctuabantque inter ſpem, ac metum, metu plurimùm præualente. Vtri enim vincerent Catholici, an Hugonoti, non magis cladem partium, quàm victoriam horrebant. Acciſis quippe, per exitum prælij qualemcumque, viribus Regni Gallicani (alteram enim factionem clade, alteram victoriá perituram) apparebat, externos auxiliatores Hiſpanos, Angloſue potentiæ integros, præmia ciuilium

Thuan. Cater. Turtura. DeCaſtro. a.1591.

Inter has belli curas non omittitur tractatio pacis inter Gallos vtriuſque factionis.

Gallorum vtriuſque partis ſollicitudo de exitu belli.

lium certaminum ad ſe tracturos. Cùm itaque ſoliti eſſent factionum Duces, prout fortuna belli alterutri propitia variabat, ad ſermonem concordiæ, tanquam ad aſylum ſubinde refugere; tunc velut ex condicto, pacis ambo cōditiones æquiores & petebant, & dabant: quando videlicet in fortuna pari, ſociæ vires, atque hoſtiles propemodum ex æquo timebantur. Angebat enim Mainei Ducem illa formido, ne Hiſpani, qui ſub obtentu ſecuritatis procurandæ, Faram in Regni limine poſitam arcem à Fœderatis magno precum ambitu extorſerant, vbi victores extitiſſent, alias Galliæ vrbes, arceſque præſidijs inſiderent, ne petitâ quidem veniâ, quam ſortis fauor, & vis armorum pro iure potentioribus darent. Nec minorem Henrico Regi ſollicitudinem faciebant Anglicana ſubſidia, & fœneratitia liberalitas Eliſabethæ Reginæ. Quæ cùm aureorum ducenta millia de Regio Britanniæ ærario ſuffeciſſet, alia millia ducenta nomine mercatorum Londinenſium eâ conditione exhibebat; modò expugnati Rhotomagi vrbs, & portus Anglis cuſtodienda traderentur, ad nauigationis & commercij ſecuritatem. Niſi fortè pro Rhotomago Rex Henricus amantiſſimæ ſui Reginæ Caletum reſtituere mallet, vrbem viginti, ſu-

La Fere.

Quòd ſcilicet ſuſpecta haberent externorum ſubſidia.

pra

pra ducentos annos Britannicæ dominationi ſubiectam; cùm præſertim iurati amborum hoſtes Hiſpani, Blauetum è regione Angliæ ſitum per fas, & nefas obtinerent. Omnis ergo Catholica nobilitas, tam in Regijs, quam in Fœderatorum caſtris militans, in pari ambiguitate votorum trepidabat. Nam Religionis occaſum in Gallijs inſtare certum, ſi Rex Hæreticus opibus Hæreticorum fultus Chriſtianiſſimum ſolium inſcenderet. Sin arma Sancti Fœderis, Hiſpanorumque præualerent, non ſecus imperij Francici adeſſe finem. Auulſo ſiquidem ab Regia ſtirpe Diui Ludouici, & Capetiorum ſceptro, per antiquata Salicæ legis antiquiſſima iura, confuſiſque Gallici regiminis rationibus, pulcherrimi Regni corpus, quod inuiolatum vltra mille annos durauerat, quaſi cadauer amotâ animâ, diſtrahendum in partes inutiles,& dilapſuras. Quare in communi conſternatione animorum, cùm amor concordiæ tamquam vnici malorum remedij, vtrinque gliſceret, minimè arduum fuit Nicolao Villaregio pacificationis negotium inter Regios, & Fœderatos Gallos redintegrare, Hiſpanis, Angliſque partium patronis aut neſcientibus, aut, qnoniam prohibere non poterant, neſcire ſimulantibus.

Hinc ad pacē ambo propenſiores.

Stabat

Nicolaus Villaregius Mainei Conſiliarius pacificationis negotiũ agit.

Stabat à Fœderatis Religionis cauſâ Villaregius, inter præcipuos Mainei Ducis conſiliarios; cœterùm erga partes,& nomen Regium,optimè animatus; quandoquidem temporibus Henrici III. Regis ab epiſtolis,& à ſecretis,in Aula Gallica, atque conſiliorum omnium particeps fuerat. Is occaſione vſus, quod vnus ex intimis Nauarræ Regis familiaribus, Lomenia nomine,bello captus Lutetiæ liberali cuſtodia detinebatur, cum eo non ſemèl, nec perſunctoriè, de concordiâ, vti partibus maximoperę expetendâ diſſeruerat. Quando videlicet vtriſque virium integris, & illibatis, formidoloſus pariter videbatur nouiſſimus prælij caſus. Receptâ libertate Lomenia vniuerſum Villaregij ſermonem Henrico Regi diligenter expoſuit, qua tempeſtate, exercituum ab Italia, Belgioque, Sancto Fœderi auxilia portantium fama, rumoribus amplificata per Gallias, Henricum, & Hugonotos conterruerat. Opportunitate Rex arrepta, Philippum Morneum prudentiâ, & doctrinâ, ex proceribus eximium, ſed Hugonotum ſectâ, quam aliàs per Villaregium interpretem cum Duce Maineo inierat pacis tractationem iubet reſumere. Nihilominùs quàm Regem, cupientem finiendi conditionibus belli eâ tempeſtate Maineum

Nauarræ Regem per Lomeniã ad pacis conſilia ſuſcipienda impellit.

Mainei Duci eamdem ipſemet ſuadet.

Cauſæ quæ Maineo pacẽ optabilem faciebant.

Villa-

Villaregius offendit. Præter communes, quas retulimus cauſas, diſſidium ſtimulauerat recens, & contracta ſimultas cum Didaco Ibarra Hiſpano Philippi Regis negotia procurante per Gallias, quo auctore pecuniæ Regiæ adminiſtratio, à Mainei Ducis arbitrio, in ipſius Ibarræ manus auerſa fuerat. Quam priuatam iniuriam, cum publicæ rei (vt ipſi videbatur) incommodo coniunctam, cùm ægrè concoqueret Maineus, quod adhuc facere abnuerat, ad ſingulares conditiones ferendas deſcendit; quæ ſi darentur, ſe in obſequium Henrici Borbonij, tamquam legitimi Galliæ Regis venturum ſpondebat. Prima lex, & ſanctiſſima omnium, vt incolumitati Fidei Orthodoxæ in Gallijs conſuleretur. Cui videlicet, aut ſtatim Rex eiuratâ hæreſi, nomen daret, aut, ſi anceps id foret tali tempore, nondum Apoſtolicæ Sedi reconciliato; ne videlicet deſertus ab ſuis Hugonotis, & ab Anglis, Germaniſque Principibus, de facili Hiſpanorum armis opprimeretur, vt ſaltem vades idoneos offerret (Venetam Rempublicam, & Magnum Etruriæ Ducem exhibebat Henricus) qui, pro Franciæ Rege ad maiorum ſacra propediem reuerſuro, ſponſionem interponerent. Interim vrbium, arciumque, quas Fœderis Principes obtinebant, im-

Conditiones ab eo propoſitæ Regi Henrico.

Ante omnia, vt Religioni Catholicæ caueatur.

Vt hanc Rex amplectatur quàprimùm aut vades det.

Interim Fœderati Principes vrbes & arces retineant ad ſex annos.

imperium ad ſexennium prorogaretur, in pignus perſeuerantiæ Regis. Vt legationem inſuper ornatiſſimam Catholicæ nobilitatis apud ſe verſantis nomine, ad Romanum Pontificem mittendam curaret, pro excipiendo in Pontificiæ charitatis gremium Henrico Franciæ Rege ſupplicaturam: ipſo Maineo & cœteris Fœderis Principibus, preces communiter conſociantibus.

Vt Legatum ad ſummum Pontificē mittar nomine Catholicorū, ſub eius auſpicio militantiū.

Poſt cauſam Religionis diligenter procuratam, conditiones ad priuata compendia ſpectantes à Maineo verecundius inſinuabantur; tamquam vltro ac ſæpius tam ſibi, quàm reliquis Fœderatis proceribus, à benignitate Regis oblatæ. Burgundiæ vniuerſæ, cum ſuprema poteſtate dominationem, addito Lugdunenſi tractu, ſibi ſuiſque poſteris depoſcebat. In Aula inſuper munus non abſimile dignitati Interregis quam gerebat, quale olim Henricus III. pro impetranda pace vltro detuliſſet; vt videlicet vno Regali faſtigio minor, Proceribus Galliæ omnibus anteſtaret. Exinde alijs quoque Sancti Fœderis Principibus curâ non minore cauebatur. Romano Pontifici, vt integra obedientia Francici regni, Hiſpaniæ Regi, vt pax inuiolata conſtaret: Gallis verò proceribus, vt adminiſtrationes prouinciarum, quas ad eam

Procurata cauſa religionis, Maineus ad ſua & ſuorum commoda tractanda deſcendit.

Burgūdiæ Ducatum cum ſuprema poteſtate ſibi ac poſteris depoſcit: præterea in aula munus per quod cunctos Galliæ Principes præcedat.

Alijs quoque Sācti Fœderis Principibus cauet: Rom. Pont. Hiſpano Regi, &c.

eam diem moderati erant, continuarentur; Campaniæ gubernatio Duci Guiſio, Aumalio Picardiæ, Occitaniæ Ioeyſæ Duci, Duci Mercurij Britanniæ minoris, at Nemoroſio, pro Lugdunenſi prouincia, vt alia non inferior ſiue amplitudine, ſiue prouentibus, in Gallijs Præfectura deſignaretur. Ex hiſce conditionibus multum difficultatis in prima, plurimum iniquitatis in ſecunda, ineſſe Morneo viſum. Siquidem perquam arduum, vades reperire pro Regibus. Qui niſi ſuâ ſe fide obligari patiantur, ſponſionibus alienis teneri nec velint, nec poſſint. At, quominùs operoſa videbatur altera conditio (nam penes ipſum Regem, quibus, & quantum vellet, facultas gratificandi) eò plus in illa iniuſtitiæ, ne dicam impudentiæ Morneus reperiebat. Cùm videlicet prouinciarum, exercituum, & Aulæ Gallicanæ nobiliſſima quæque munia ijs attribuenda ſtatueret, qui ante hac hoſtes infeſti, ad obſequium, & pacem, niſi armis, coacti non redirent; poſthabitis viris addictiſſimis Henrico Regi, fideliſſimiſque in omni fortuna, quorum impenſis, laboribus, ſanguine, in eam potentiam Rex venerat, vt inimicis largus vſque ad inuidiam, amicis ingratus vſque ad iniuriam, videri poſſet. Eiuſmodi

Morneo videtur nimis abſurdæ conditiones propoſitæ à Maineo pro Fœderatis.

poſtulata cùm hominem vrerent, præter inſitum ab Hæreſi Caluiniana in Catholicos odium, priuatis inſuper offenſionibus à Lotharingis auerſum, de interprete, ac ſequeſtro pacis, factus eſt præuaricator, atque hoſtis. Quæ igitur Villaregius Mainei nomine, cum vno Rege tranſigenda, ſub arcani fide commiſerat, ea Regi quidem, ſed publicè, in procerum concilio recitauit, ad augendam inuidiam, veniam præfatus; tamquam inuidiam ipſe metueret, quod ex immodico concordiæ ſtudio, intolerandis conditionibus aures dediſſet. Neque ſecus, ac ſpes Morneo fuerat, pacificationis negotium nondum firmatum, dum intempeſtiuè prodit in lucem, extinguitur. Quemadmodum immaturi puerperarum partus, momento eodem, ad ſolis radios, & ad ſepulchri tenebras oriuntur.

Quare de ſequeſtro præuaricator, & pacis hoſtis eſt factus.

Publicè in Procerum cōcilio de induſtria oblatas conditiones exponit Regi.

Vnde grauis omnium offenſio oritur, & negotium pacis corruit.

Verùm, in communi Catholicorum ira, tam illorum, qui Franciæ Regis, quàm qui Sancti Fœderis cauſam complectebantur, quoniam concordiæ tractatum rem tanti momenti, quæ permagno amborum intererat, à principibus factionum celati fuerant, promptius fuit Maineo placare ſuos, nuncijs quoquouerſùs literiſque dimiſſis: cum Lutetiam ad Cardinalem Legatum, ad Præfectum prouinciarum in Belgium, ad Sabaudiæ

Maineus omni arte Fœderatorum à ſe inuidiā amouere nititur.

baudiæ quoque, ac Lotharingiæ Duces, præcipuos amicorum allegaſſet. Per hos, inchoatam quidem ab ſe, Villaregij miniſterio, cum Nauarræ Rege pacis tractationem fatebatur: ſed haud quaquam fuiſſe proceſſuram, niſi priùs conſulti Romanus Pontifex,& Hiſpaniç Rex, tum ſplendidiſſimus quiſque procerum Catholicorum, aſſenſum præbuiſſent. Aequitati enim conſonum, vt quorum eſſet belli cauſa communis, illorum vnanimi iudicio pacificatio niteretur. Quin & conditiones à ſe propoſitas, in ſecretis Villaregij, Morneique congreſſibus, quæ cunctis Fœderis Principibus, ex æquo perhonorificę erant, & commodæ, diuulgari ſcripto, edique inter Catholicos iuſſit. Neque enim obſtringi ſe rebatur arcani fide, quam prior hoſtis inſolenti perfidia violaſſet. Multo autem grauius Henrico Regi ſuccenſebant Catholici proceres, eius auſpicium ſecuti, cum diſpendijs fortunarum, & ſanguinis, vnâ ſpe allecti Regiæ conuerſionis ad Orthodoxam Fidem; quam adhuc dilatam fruſtra ſuis deprecantibus, vltro Catholicis hoſtibus deferre non dubitaſſet; additis conditionibus tam amplis, vt à Fœderatis meliores dici non poſſent, ſi viciſſent. Quare offenſi & ipſi, arcana inter ſe agitare conſilia, mutationem Fidei, fidem non præ-

Henrici Regis affeclæ eadem de cauſa grauiter in eum commoti.

præſtanti comminari, tertiamque moliri factionē, pro Cardinali Borbonio ad ſceptrum euehendo, aſpirante Innocentio IX. ſummo Pontifice Gregorij XIV ſucceſſore, cum Purpuratorum ſenatu, Auláque Romaná, quibus ſpecioſum videbatur, ſi de Vaticani Principibus legerentur & Reges.

Secteta conſilia agitant de Card. Borbonio ſceptris admouendo.

Neque Cardinalis tantæ ſpei admonitus omittebat, ſe populari Catholicorum auræ, arreptis occaſionibus, oſtentare, Orthodoxæ Fidei patrocinium apertè ſuſcipere, & omnibus Hæreſis incrementis vehementer aduerſari. Contigit autem per eos dies, vt edictum de libertate animorum, à prioribus Regibus conceſſum Hugonotis, abrogatumque violentiá Guiſiorum, rurſus ab Henrico Rege reſtitutum promulgaretur in Senatu maximam partem, ex Præſulibus, proceribuſque Catholicis conſtante, cui Cardinalis Borbonius vt ſummus Princeps Regij ſanguinis præſidebat. Is, cùm edictum legeretur, intercedere, obtrectare, diſſentire manifeſtus, exurgendo quoque diſceſſionem incœptare, niſi voce imperioſá Regis retineretur. Qui mox ad amouendam inuidiam, quam Cardinalis fecerat, ſeuocatis Galliæ Præſulibus, ardentioribuſque in ſtudio religionis Catholicis aperuit æquitatem conſilij ſui. Pro magno à ſe Hugonotis venditatam,

Aſpirante Innocentio IX. Pont. Max. cũ Senatu Cardinalium.

C. Borbonius regni ſpem fouet Catholicis patrocinando.

Et aduerſando Hæreticis in Regio Senatus diſſentiendoquè ab Rege.

Vnde Regi neceſſitas purgandi ſe apud Catholicos.

tam, quam ipſi iure, an iniuria? iam pridem poſſiderent, ſentiendi, viuendique libertatem. Id verò ſuum in præſenti munus facere præoccupaſſe ante aduentum externorum, ne precibus armatis Angliæ, vel Germaniæ Hæreticorum potiùs, quàm clementiæ Regis, Regijque ſenatus acceptum referrent. Intereſſe publicæ cauſæ, vt Hugonoti Catholicis per beneficium reipſa nullum conciliati, ad communem tuendum Regem beneuolentiâ, & fide conſpirarent.

At Cardinalis non omiſit nauatam Religioni ab ſe qualemcumque operam Romano Pontifici ſignificare per Ludouicum Balbanum Romam cum venia Regis miſſum, per cauſam commendandæ in vniuerſum Borboniæ ſtirpis, reuera vt priuatim excuſationem afferret præteriti temporis, quo in caſtris Hugonotorum verſatus fuerat, ſpe promiſſæ, iuratæque à patruele Rege conuérſionis, ludificatus. Fixum ſibi eſſe in poſterum, non aliunde, quàm ab Romana ſede rationes vitæ habere ſuſpenſas, &, ne latum quidem vnguem, ab Innocentij Pontificis nutu receſſurum.

Card. Borbonius ad Pontificem mittit.

Vt ius Borboniæ gentis ad Galliæ coronã ſuamque perſonam commendet.

Orare tantùm, & communem Chriſtianorum Principum Parentem, pro ſuo iure deprecari, vt hominis in erroribus obfirmati pertinacia

in-

innocuis gentilibus fraudi ne ſit;nec æquum exiſtimet Pontifex, ob vnius degéneris labem, omnem D.Ludouici progeniem ceu maculoſam reijci à Chriſtianiſſimo ſolio; eum præſertim, cuius patruum Cardinalem, poſt Henrici III cædem, Fœderati Galli Franciæ Regem Carolum X acclamauerint, qui & ipſe cum Patrui nomine Romanam Purpuram gerat, rudimentum & commendationem ad Regiam, venerator in præſentia religioſiſſimus Pontificiæ Maieſtatis, futuruſque, ſi Regalis potentia facultates addiderit, liberaliſsimus amplificator.

Cùm amplis pollicitationibus obſequij & remunerationis.

Profectò cum his mandatis Balbano, Portiæ Dominus à Duce Maineo & ipſe Romam legatus, in itinere caſu, an conſilio? ſocium ſe adiunxit. Vt populares erant, ſuorumque curabant negotia Principum, de rebus primò communibus loqui, quæ plurium conſcientiâ tenebantur. Mox opportunitate continuandi ſermonis, & familiari conſuetudine pelliciente, arcana legationis inuicem credere; parcè Portius, vt aulæ vetus, atque in ſpeciem tantùm, profuſiùs, & ſine fuco Balbanus, qui recenter in obſequium Cardinalis Borbonij, rudis adhuc aulicarum artium tranſierat. Acceſſit ſolertia alterius; qui vt faciliùs intima conſiliorum erueret, Mainei fauorem,

Portius Mainei Legatus ad Pontificem in itinere, à Balbano Legato Card. Borbonij omnia tertij Fœderis arcana expiſcatur.

Catr. lib. 12. Thuan. l. 101.

uorem, & Fœderatorum, operá ſuá conciliandum oſtentauit, haud ſanè ſpernendum Cardinali ad Francicum imperium adnitenti. Tantæ ſpei hamo, non ſolùm coniurationis nouæ initia, progreſſuſque expiſcatus eſt, cum fautorum nominibus (hi Principes Catholici, Regij ſanguinis, aut primores procerum erant) verùm etiam ipſa autographa, ſubſcriptaſque à conſpirantibus tabulas cognoſcendi per otium, & deſcribendi copiam eſt nactus. Quare in epiſtola notis arcanis ad Maineum ſcripta, quæcumque ex Balbano cognorat Portius accuratè complexus, duplici exemplo tranſmiſit in Galliam. Hanc diligentiam Duci Maineo qualitercumque profuturam, in grande Franciæ Regis commodum fortuna conuertit. Cùm enim primæ literæ ad Maineum inuiolatæ perueniſſent; alteræ ab Auxerræ præſidiarijs finitimas vias percurſantibus interceptæ, atque ad Regem delatæ ſunt. Quem, ab interprete ſenſuum reconditorum, ſeriem domeſticæ coniurationis edoctum, ſolicitudò, mœſtitia, & prope deſperatio rerum ſuarum inuaſit: animo inter aduerſas voluntates fluctuante. An Fidei ſe Catholicæ redderet, vt ſuos Catholicos retineret in fide? Verùm à ſuis Hugonotis, & ab Anglis, Germaniſque deſertum iri

Et ad Maineũ ipſum per literas duplices tranſmittit in Galliam.

Exemplar literarum alterum à Nauarreis intercipitur, & Regi defertur.

Eo perlecto ingens Henricum curarum æſtus inceſſit.

prouidebat. An conuerſioni ſuperſederet, ne auxilia Hæreticorum intercidérent? Actum de regno, ſi cum Fœderatis Catholicis Catholici Regiarum partium conſentirent. Hactenus illis vix parem in bello ſe Regijs adiutoribus extitiſſe: nunc Regijs cingentibus latus, & appetentibus, Fœderatis apertè oppugnare perſeuerantibus, nec obſiſtere poſſe, nec velle. Abominari enim victoriam venalem lectiſſimo ſanguine vtriuſque factionis Catholicorum. Neque tanti Regnum videri, ſi vrbes in vacuas, vaſtaſque ſolitudines imperitandum ſit. His anxium cogitationibus Regem amici ad conſilium aduocati erexere. Nam procellam ingruentem, fortunæ clementioris aurâ diſcuſſam gratulabantur, ſyrtes cœcas, & breuia, quæ inexplorata naufragium minarentur, iam patefacta declinaturum: fuiſſe formidoloſiſſimum tempus, cùm tecta coniuratio graſſaretur, nunc deprehenſam nocere non poſſe, in bonum, gloriamque verti poſſe ſapientiâ, & dexteritate Regis. Nec illos tam præclarè ſentientes de Principe, ſpes & opinatio fefellit. Siquidem Rex Henricus, in auito regno recuperando, cùm imputare felicitati multa potuerit, plura virtutibus debuit. Nam (quæ illius prudentia, & humanitas fuit) Catholicos

Qui ſedatur ab amicis cõſiliarijs.

Humanitas, & prudentia à Rege adhibita ad placãdos Catholicos.

Borbonium in primis, eiuſque miniſtros, & familiares ſibi conciliandos.

pro-

proceres aut in conſilium accitos, aut priuatim ſeductos, neceſſitatem edocuit conuerſionis in opportunius tempus extrahendæ, ne videlicet à Galliæ, Britanniæ, Germaniæque ſectarijs, quorum copijs pars maior exercitus Regij conſtabat, ſtatim derelictus, ab Hiſpanis, & Fœderatis Gallis, minimè ſuâ conuerſione placandis obrueretur. At Cardinalem Borbonium, ambitione compertâ, æmulum Regni, perque nouam conſpirationem, principatum interuertere parantem, non odiſſe fas putauit, non iraſci, ſed obtentu honoris, vt Senatus Regij Præſidem apud ſe retentum in caſtris, prohibere ne peccaret, quàm peccantem vlciſci maluit, paternâ vſus in patruelem pietate. Fratrem quoque Sueſſionis Comitem participem arcani conſilij (vt in literis Portij apparebat) à Pictauienſi Præfectura remouiſſe contentus, ne occaſionem nouandi haberet, ſubſtituit illi mitiſſimum ex fratribus Contij Principem coniurationis inſontem. Parem induſtriam adhibuit, vt fidiſſimum quemque, de Borbonij familiaribus, regiâ comitate, donis, ac promiſſis ingentibus conciliaret ſibi. Aderant enim adminiſtri doctrinæ, ac prudentiæ non vulgaris: qui mediocre Domini ingenium ita ſuâ ſagacitate ſupplebant, vt par negotijs videretur. Gratiâ,

& fide omnes antecedebat Ioannes Toccardus Abbas Belloſannæ, qui Cardinalis adoleſcentiam, & iuuentam liberalibus diſciplinis imbuerat; vir non modò ingenij, & ſcientiæ, quantum id munus requirebat, eximius, verùm etiam ſupra paleſtram, & ſcholam ciuili ſapientiâ, & aulicis artibus expolitus. Hic, alumni animo introſpecto, nouæ cupiditati, quæ initio opprimi poterat, obſiſtendum non putauit. Sed glorioſum illi, ſibi decorum ratus, & proficuum, ſi diſcipulus, operâ ſuâ de gymnaſio migraret in Regiam, omnes induſtriæ neruos ad concilianda ſuffragia potentium contulit. Cùm autem ſuas vnius vires molimine minores intelligeret, & negotium tam operoſum velut immane nauigiũ ad promouendum ſtrenuis adiutoribus egeret, in laboris, & ſpei conſortium viros inſignes adſciuit duos: alterũm Gallum, Iacobum Dauy Perronium nomine, in tenui cenſu, ſplendore generis, & opulentiá doctrinarum illuſtrem; cui poſtea Rex Henricus Galliæ ſuæ compos, Romanam purpuram impetrauit; ex Italis alterum Ludouicum Balbanum Lucenſem patritium, orationis copiá, & ſuauitate à natura inſtructum, admirandæque in ſuadendo quidlibet, & diſſuadendo efficacitatis. Romam hunc miſit eo conſilio, vt Pontificem, Aulamque Ro-

Io. Toccardus Card. Borbonij præceptor.

Illius ambitionem fouet.

Et parare conatur regni inſtrumenta,

Duos induſtrios viros Perronium, & Balbanum adiungit.

Romam Balbanum mittit.

Romanam, cum argumentis euictos, tum obſequijs delinitos, in cauſam Borbonij Cardinalis inclinaret, illum Catholicos Regiarum partium in Gallia circumire iuſsit, & exaggerato Fidei Orthodoxæ periculo, paulatim inducere ad nouum fœdus ineundum cum fratribus Borbonijs, queis iam Longauillæi fratres adhæſerant. Propoſitum huic tertio Fœderi erat alterutrum efficere, vt Henricus aut hæreſim abijceret, ſi Regnum Franciæ tenere mallet, aut ſi tergiuerſari pergeret, vt eo expuncto, Catholicorum vtriuſque factionis conſenſu, Cardinalis Borbonius regnaret. Neque modicos progreſſus per induſtriam Perronij noua ſocietas fecerat, cùm interceptis Portij literis, ad Regis oculos vniuerſa peruenit. Hic Perronium ex fama doctrinæ iam cognitum ſepius, & benignius appellando, intimâ ſibi familiaritate coniunxit; cùm palàm ferret, ingenio ſe delectari iuuenis amænitate poeticâ, ſtudia ſapiētiæ grauiora temperantis. Quamobrem ille legitimam Regis amiciſsimi cauſam, iniquæ Cardinalis ambitioni præhabendam putauit; etiam ſi pares præmiorum ſpes vtrinque penderent, tam à Regis Patruele alieni conſilij ad res agendas indigo: quam ab illa Henrici ſublimitate, quantæcumque molis capaci, & celeritate mentis igne

Vt ſummum Pont. Card. concilict.

Perronium ad proceres Gallos, in nouum fædus inducendos.

Rex Perroniū mira humanitate ſibi deuincit.

quo-

quodam volucri actæ. Perronij ad Regias partes tranſgreſsio, tutum in præſentiá Regem á tertij Fœderis tentamentis, quæ per eum perſpecta omnia habebat, haud tamen ſecurum in poſterum reddidit. Nam quemadmodum á ſagitta vulnus inflictum, arcus remiſsione non tollitur, nec incendium admotá face ſuſcitatum, eiuſdem remotione reſtinguitur, ita ortum, propagatumque operá Perronij tertium fœdus, eo deſiſtente non deſijt, ſed nouis accedentibus cauſis magis, magiſque conualuit: tempore autem Comitiorum, vna è machinis extitit, per quam ſupremi Numinis prouidentia expugnatum Regis Henrici animum ad meliora conuertit.

Tertium fœdus á Perronio excitatum, ab eodem extingui non poteſt.

Tempore Comitiorum fuit vnum ex inſtrumentis Regiæ conuerſionis.

Nam alterum diuini conſilij inſtrumentum ad maturandam Regis conuerſionem ipſe Perronius fuit. Quem ſuas ad partes dum Henricus adduxit humanitate, ac beneficētiá ſingulari (nuper eum Ebroicenſem Antiſtitem dixerat) ipſe viciſſim doctriná, & eloquentiá Perronij, ad auitam religionem reductus eſt. Tanto nimirum doctore opus fuerat, vt ſophiſmata, & fallacias diſſolueret Philippi Mornei de Caluini ſchola ſectarij, qui vſque ad eam diem erroris magiſtrum, & conſcientiæ Regiæ arbitrum egerat. Ambo eruditione, & ingenio ſummi ſuarum par-

Alterū inſtrumētum Perronius ipſe.

Dum fallacias diſſoluit Mornei Hugonoti.

partium habebantur, quamuis inter ſe compoſitis, longo interuallo Hugonotus à Catholico ſuperaretur. Opibus, & armorū ſtudio Morneus, Perronius innocentiâ vitæ, ac modeſtiâ ſcientiam ornabat. Is, inter argumenta, quibus diſſerens coram Principe, Hugonoticam perfidiam iugulare conſueuerat, duo validiſsima eius animo impreſsit: alterum prudentiæ Regis, alterum fortitudini congruens. Nimirum, cùm facultatem ſempiternæ ſalutis conſequendæ, in alterutrâ religione ineſſe concederent Hugonoti, Catholici negarent extra Fidei Orthodoxę arcam, è miſerabili huiuſce ſeculi cataclyſmo ad alterius beatam ſtationem enauigandi ſpem dari, prudentiæ Regis eſſe conficiebat Perronius, in deliberatione ſummi momenti, Eccleſiæ Romanæ inſiſtere tutiorem viam, venerandæ antiquitati calcatam, conſecratam Diui Dionyſij, & innumerabilium Martirum ſanguine, Diui Ludouici, & ſuperiorum Regum, vſque ad Magnum Clodoueum, tritam veſtigijs, in œcumenicis demum concilijs, comprobatam à Senatoribus Orbis terræ, viris in ornamenta ſeculorum, ſanctitate, ac ſapientiâ refulgentibus. Quod ſi ad maiorum ſacra regreſſo Regi nouæ dimicationes, & pericula inſtarent, ſuæ fortitudinis admonebatur, per quam ſuccin-

Perronij duo argumēta validius animo Regis imprimuntur.

Buſſier.

tus

tus armis omnium Galliæ Catholicorum; aut Francicum Regnum iure debitum; manu aſſerturus putaretur, aut ſi effundere ſpiritum pro vera Religione contingeret, ſidera conglobaturus eſſet in diadema. Mornei porrò auctoritati, Henricum à Turri Bullionij Ducem, & prudentiſsimos Hugonotorum opponebat; qui apertè Regi auctores erant, vt eiuratis Caluini erroribus, Romanæ Miſſæ ſanctitatem coleret, dum Galliæ Regnum in pretium cederet nouæ pietatis. Adeò ſectarij ſuas vili hæreſes habent! vt perindè ac veſtes, pro conditione temporum, & præſenti vſu mutare non dubitent. Quin idem conſilij ſibi datum, poſt Henrici III. exceſſum, ab Angliæ Regina, Rex ipſe memorabat; quamquam illa poſtmodum leuitate muliebri ſententiam reuocauit, obtentui ſumptâ charitate in Hugonotos, quos fratres appellabat ſuos; reuerâ, intendens alendis diſsidijs inter finitimos Gallos, Belgas, Hiſpanoſque, vt illorum cladibus potentiam ſuam firmaret, ex præcepto deteſtabilis diſciplinæ, quæ Politice vocatur ab imperitis, pretioſo virtutis nomine, ſcelus inaurantibus. An odijs quoque indulgens Romanæ Religionis, inuidiæque in Gallicam felicitatem? Nam, ſi quando Rex Henricus ad Orthodoxam Fidem reuertere-

teretur, redituras in Galliam cum ciuium concordia bonas artes, pietatem, iuſtitiam, literarum, & armorum gloriam, Fœmina prauæ, ſed magnæ ſolertiæ prouidebat. At digreſſus fortaſſe ſum longiùs, dum tractatum pacis, & ſucceſſus, qui connexi eam traxere, ſub vnum quodammodo aſpectum Lectori ſubieci; ad interruptam belli narrationem redeo.

Poſtea quam ampliſsimam vrbem Normanniæ caput, & alteram Sancti Fœderis arcem obſideri accepit Alexander, quem cœteris rebus comparatis, vnica pecuniæ propediem expectatæ mora, ſuſpendere profectionem coegerat, Aſculano Principi mandat, vt ex Germanis, Vuallonicisque legionibus delectos, fortiſsimum quemque, ſubſidio Rhotomagenſibus mittat. Dein ipſe Bruxellis profectus cum decem peditum millibus, tribus equitum, tormenta militaria quadraginta, & bina curruum millia ſecum trahens, Lādreſium contendit. Illinc Duci Montis Marciani perſcribit quinto idus Decembris: in limine Franciæ ſe ſtare, tribus millibus paſſuum diſtantem. Si citra periculum fieri poſſet, immittere paratum agmina, vt morem gerat Innocentio Pontifici vetanti, Pontificiam aciem vltra ſubſiſtere in Gallia, niſi Belgicus

Alexander auxilia ſummittit Rhotomagenſibus obſeſſis.

Landreſium cum exercitu venit.

Die 9. Decēb.

Ooo exer-

exercitus intra idus Decembres intraret. Quominus intulerit pedem maturiùs, per Mainei Ducem ſtetiſſe, qui iam diu inuitatus ad ſociandas copias, adhuc non aduenerit. Reputaret ingreſſurum proximè, haberi pro ingreſſo: & prout res exigunt, non vt verba ſonant, interpretanda mandata Principum. Nam cui dubium, id Pontificem malle? tractari videlicet ex momentis occaſionum conſilia belli; ne importunè inhærendo abſentis imperio, dum ſeiunctis conſilijs tres exercitus adminiſtrantur, in caſum ancipitis diſcriminis offerantur vniuerſi. Hæc Alexander ad Generalem Eccleſię Ducem. Ibarræ verò præcipit vt, ſi quo caſu diſſolui contingat Pontificias copias, propter continuata Pōtificum Gregorij, & Innocentij funera, eas Hiſpani Regis nomine authorare ne dubitet, præſertim Heluetios. Tandem Guiſiam Farneſius, & Sfondratus profecti, ſuperueniente Maineo, millia octodecim peditum, ſex millia equitum coniungunt.

Purgat ſe apud Pōtificij exercitus Ducem, quod non maturius aduenerit.

Guiſiæ Fœderatorum copię omnes in vnū contrahuntur.

Cater. l. 12. Turl. l. 18. Campana vol. 2. l. 13. Thuā. Caſtro a. 1590

Iam pridem egerat Farneſius cum Duce Mainei, vt arcem ad Galliæ fines in belli ſedem traderet, vbi tormenta militaria, & ſupellex, exercituſque Belgici impedimenta aſſeruarentur. Aegrè Fara conceſſa eſt, in quam Germanos quingentos præſidio Farneſius induxit, voce ac ſcrip-

Alex. impetrat Faram in armorum ſedem a Maineo.

ſcripto perſanctè pollicitus, poſteaquam, ceſſante belli neceſsitate, ſua inde Farneſiani extraxiſſent, Maineo arcem reddituros. Cùm ea in vrbe Ferias Natalis Dominici de more celebraſſet luſtrato confeſsionibus animo, & cœleſti dape refecto, lento itinere Nellas pridie nonas Ianuarias venit. Hoc in ſpatio ſibi adiunxit octingentos grauis armaturæ equites, cum parte tormentorum, Vegæ quoque legionem iam pacatam ſtipendijs acceptis, nouoque Tribuno Alphonſo Mendozza pro Vega, quem Ducem cœtera egregium, at inuiſum Hiſpanis, Philippus Rex ad præfecturam Portus Herculei in Etruriam euocauerat.

Die 4. Ianuar.

Cum eodem in oppido dies duodecim ſubſtitiſſet ad milites, & commeatus colligendos, luſtratis legionibus primum ſtipendium erogauit. Ante quam Nellis abſcederet Parmenſis, Ducis Mainei ſuaſu binas cataphractorũ, totidem leuis armaturæ equitum turmas præire iuſsit, vt percurſis finitimis viæ locis, iter tutum legionibus præſtarent; quandoquidem Nauarræi, qui Nouioduni præſidio inerant, omnem circumiacentem regionem infeſtam habere dicebantur. Nec inanis ea Ducum diligentia fuit. Siquidem Regios equites, qui propinqui exercitus immemores licentiùs euagabantur, à receptaculo arcis excluſos

Nauarræi equites temere populabundi à præmiſſis Fœderatorũ turmis opprimũtur.

ſos ita multarunt, vt non paucis cædes, pluribus captiuitas, paucisſimis fuga contigerit. Proſpera hæc initio belli velitatio, à Fœderatis habita tamquam vniuerſæ expeditionis omen, & rudimentum. Moreuillium deinde ſe conferunt; vbi commorandum aliquot dies Parmenſis cenſuit, dum exploratores certiora de Rege, eiuſque conſilijs afferrent. Is enim, vbi externum exercitum cum Farneſio Gallias ingreſſum comperit, conuocato Ducum concilio deliberationem inierat de ſummâ belli. Geminæ fuere ſententiæ inuicem aduerſantes. Prima Bironij Mareſchalli: Non omittendam obſidionem ad perfectum, operibus militaribus ferè perductam; extruenda tantùm aduersùs hoſtem exteriorem propugnacula; quæ incluſas Regis copias, foſsis aggeribus, tormentis, contra Farneſianorum irruptionem tutarentur. Adeſſe ſupra octo, & viginti millia peditum Regi, equitum decem penè millia, maximam partem ex Gallica nobilitate; per quas vires, cum Fœderatis par in æquo campo futurus videretur, quanto ſuperiorem fore, ex munimentis depugnantem? Cùm, in eo certaminis genere, propter prærogatiuam loci, pluſquam aggreſſores deni, ſinguli valeant propugnatores. Anno proximè circumacto, non

Henricus deliberat de ſummâ belli.

Bironius non deſerendam Rhotomagi obſidionem cenſet.

Eius conſilij rationes.

excuſationem modò meritum, verùm etiam prudentiæ laudem Galliæ Regem; quòd ſub aduentum Hiſpani exercitus Lutetiæ obſidionem ſoluerit. Cùm, in aperto campo tendenti, ſine munitionibus, ſine vallo, neque Pariſienſium, neque externorum irruptionem ſuſtinendi facultas eſſet. Nunc, Rhotomago vndique foſsis, & aggeribus circumcluſo, adſidere Regias legiones, largo commeatu, multitudine militum, claſſe quoque ad prohibendam vrbi annonam inſtructas, ſi rurſus abduci ſe ab obſidione ſinant, circumagiq; pro Farneſij redeuntis arbitrio, non id modò pernicioſum, ſed indignum priſtinâ gloriâ, plenumque dedecoris futurum. Quin animos vnà cum Rege fortiſsimo omnes obſtinarent, ante de vita, quàm de inchoatâ proſperè oppugnatione decedere; docerentque genus humanum, ſub auſpicijs Henrici Regis, quam in exercitibus profligandis, tam in expugnandis arcibus valere Gallos, prærepturoſque Farneſio, & Hiſpanis hanc vnicam, quâ ſe maximè venditarent belli laudem, tantâ exuperantiâ, quantâ ignobilibus Laniaci, & Corbolij arcibus præcellat Vrbs Rhotomagenſis, amplitudine, firmitate, copijs, poſt Lutetiam prima Galliarum. Hæc Bironius.

In contrarium diſſeruit Vicecomes Turenius, à do-

Contrariæ ſententiæ author eſt Bullonij Dux.

à dotali vxoris ditione, recens Bullionij Dux. Profeciſſe quidem Regiam aciem aduersùs Rhotomagum aggeribus, cuniculis, aſſultibuſque, ſed non in tantum, vt obſeſsis animos, vireſque ad quotidianas eruptiones ademerit. In munitionibus verò externis, cùm aduentus exercitus Belgici non ſperaretur, longè minùs eſſe inſudatum, quàm oportuerit, aduersùs experientiſsimos eius generis pugnæ Duces, militeſque. Quod ſi ab altera parte Farneſius, cum arcium expugnatore exercitu, ab altera Villarius cum præſidiariorum, & ciuium victrice ſæpius manu, haud ſatis firmas munitiones inuadant, in quantum venturam periculum aciem Regalem, geminis hinc, atque hinc, iuſtis exercitibus conflictatam? Cùm præſertim inuicta illius robora, & nerui Gallicæ nobilitatis equites, inutiles futuri ſint, inter impedita aggerum, foſſarumque; exultante contra pedite Farneſiano ſiue haſtato, ſiue ſclopetario; quo genere virium excellant Fœderati. Optandum quidem Gallis, vt quemadmodum equeſtris, ita & pedeſtris gloriâ militiæ cunctis nationibus antecellant. Sed quoniam non omnem vnicuique genti bellicæ rei laudem, ſeu benignitas Cœli, ſeu ſuum cuiuſque ingenium, aut exercitatio conciliat, num propterea

Eius rationes.

Bi-

Bironio aſſentiendum authori, vt huiuſcemodi diſciplinam Galli ab hoſte condiſcant, magnâ ſanè mercede vulnerum, cædiumque? An illud verius conſilium, vt, quam quiſque maxime callet, eâ potiſsimùm arte graſsetur ad victoriam? Cùmq; multitudine equitum, & robore præſtet acies Regia, vt in apertum prorumpere geſtiat, vbi ſeſe liberiùs iactare, generoſoſque expromere impetus virtus Gallica poſsit? Ita Bullionius. Neutra Regi ſententia omnino arriſit, ſed potiùs vtraque ex parte approbata eſt. Nam & continuari obſidionem placuit, Bironio cum peditatu, & Germanorum equitum turmis, ad Rhotomagum ſedere iuſſo: & ipſe rapere ſecum Fœderatis obuiam ſtatuit ſena Gallorum equitum millia; binis additis militum millibus iumentis vilibus inſidentium, qui pro re nata equis deſilientes tubis grandioribus præliantur, recenti vocabulo Dracones (vt alibi diximus) appellati. Audito Regis ab vrbe Rhotomagi abſceſſu, eo cautiùs Parmenſis incedendum ratus, cùm Poieſium appropinquaret, ad Fameſenium arcem modicam non longè à via poſitam tubicinem mittit deditionem imperans. Noluit hoc breue diuerticulum declinare, ne quid infeſtum commeatibus à tergo relinqueret; ſimulque vt gratificaretur Ambia-

Rex Bironium cum peditatu Rhotomagi ad continuãdam obſidionem ſubſiſtere iubet.

Ipſe cum equitatu Fœderatis obuiam progreditur.

bianenſibus, quibus Fameſenij præſidiarij erant ſuis excurſionibus permoleſti. Detrectauere oppidani primò imperium, numero defenſorum, promiſſoque ab Rege auxilio freti. Sed vbi, conuerſis repentè ſignis, Fœderatorum exercitum aduersùm ſe venire, biduique tantummodo ſpatium ſuo excidio à Parmenſi præſcriptum accipiunt, clementiam feſtinant captare ante victoris, quàm, comportatis ad verberationem tormentis, inexorabilis fiat. Inter hæc Nauarræi equites fermè viginti, cùm nimis auidi vires inſpiciendi Fœderatorum, in Belgicas turmas incidiſſent, impares certamini capti ſunt. Per hos cognitum, Galliæ Regem, cum equitatu copioſo Aumaliam veniſſe. Poſterâ itaque luce, Nonis Februarijs, itineri paratam, & prælio aciem Poieſio educit Alexander, ſpeculatorijs præmiſſis equitibus, qui circum omnia vias, campos, nemora, fluuios anfractus, riparumque crepidines explorarent. Ex ijs triginta cum Duce Magnofonte, Regiorum excepti inſidijs inter vineas, & ſiluas abditis, in poteſtatem venere Regis. Qui comperto ex ijs, Poieſio mouiſſe Farneſium, ipſe quoque procedere Aumaliâ conſtituit. In animo habebat, copias Fœderatorum luſtrare oculis, partemque ſi quam offenderet à corpore virium abiun-

Alexander in itinere Fameſenium occupat.

A captiuis Gallis, de itinere Henrici Regis edocetu.

Die 5. Februarij.

Poieſio copias educit.

Speculatorij eius equites Regiorum inſidijs intercipiuntur.

iunctam, aggredi, & delere. Poieſium,& Aumaliam interiacet ampla planities, quæ vtrinq; præcincta collibus amœnis, viridi nemorum, vinearumque veſtitu, pari formoſarum vallium interiectu, propè Aumaliam in arctum deſinit, & faucibus anguſtis iter ad oppidum præbet. Inde cum trecentis cataphractis, totidem armaturæ leuis equitibus, præter cuſtodem corporis Prætoriam turmam, egreſſus Rex Giurio, & Lauardino Ductoribus præcipit, vt cum reliquo leui equitatu, & quatuor ſclopetariorum alis, decemque draconum manipulis, ſua veſtigia ſubſequantur. Niuernij pariter, & Longauillæ Ducibus mandat, vt omnes tam grauis armaturæ equites, quam ſclopetariorum turmas, Aumaliâ eductas vltra fluminis ripam collocent, diſponantque in omnem euentum accurſuras, quo Regis imperium, vel belli ſubita poſtularent. Haud multum itineris emenſus Rex inſcenderat collem mediæ viæ interiacentem, cùm excurſorij Fœderatorum equites apparent tam propè, vt nullus tergiuerſandi locus, & vix ad expedienda arma ſpatium daretur. Poſt experimentum breue virtutis, cùm in fronte agminis Rex ipſe, cum Bironio iuuene, & promptiſsimis nobilium certaret, Fœderati robore, ac numero impares

Henricus cum equitum turmis egreditur, Fœderatorum copias è proximo inſpecturus.

Caterinus lib. 12. & alij.

Confert manus cum excurſorijs hoſtium equitibus.

Eoſque fundit, & fugientibus inſtans, ex edito colle vniuerſum Fœderatorum exercitum cõtemplatur.

terga conuertunt. Inſtanti fugientibus Regi, decliuitas collis aperuit Catholicorum exercitum, *Cater. ibid. Turr. l. 18. & alij.* ſubdita plana camporum, porrectis quoquo verſum ordinibus occupantem, & quadratâ totius agminis formâ pandentem ſpectaculum, quale mox ipſe Rex enarrare ſolebat, planè pulcherrimum. Peditatus gradiebatur quatuor tributus in partes, quarum ſingulæ ternis vt minimum, ad ſummum ſenis legionibus conſtabant. Tres Hiſpanas Antonius Zunnica, Alphonſus Idiaquez, Aloyſius Velaſco ductabant. Totidem Germanas, Ioannes Manriquez, Barlamontius, & Arembergius Comites; è ſenis Vvallonicis, primæ, quæ legio Parmæ Ducis dicebatur, ipſius nomine Verthius præerat, reliquis Marchio Ranthiacus, Comes Boſſuuius, Claudius Barlotta, & Norcamius. Camillus Capiſucchius legionem Italicam regebat, cui cohortes aliquot acceſſerant ex legione Neapolitana, quæ Lutetiæ Pariſiorum præſidio impoſita, Petro Caietano paruerat. His addita ſunt quatuor millia peditum Heluetiorum, ſubiecta imperio Appij de Comitibus, qui caſtrorum Præfectum Generalem in Pontificio exercitu agebat. Tormenta militaria variæ magnitudinis circiter quadraginta, ſub Valentino Pardeo Belga, & Baſſompetra Gallo Duce, primam

aciem

aciem ſubſequebantur. Idem Valentinus pro Parmenſi, & Rhoni dominus pro Maineo caſtrorum Præfecti munia, concordibus animis curabant. Protegebat latera legionum equitatus, quem Belgicæ, Hiſpanicæ, Gallicæ, Germanicæ turmæ conflauerant. Equites cataphractos, quos loricatos vocant, quingentos è Belgio Chimacij Princeps ducebat, & Georgius Baſta equitum Commiſſarius equites leuis armaturæ, de varijs gentibus, mille octingentos. Baro Suarzenburgicus octingentis Germanis loricatis præerat, Gallis pariter loricatis mille quingentis, in quaternas turmas diuiſis, quatuor Lotharingi Principes moderabantur, Comites Vaudemontij, & Salinij, Guiſiæ, atque Aumaliæ Duces. Equites Pontificios ex Italia prope ducentos, Ludouico Melzio gubernante. Imperatoria pariter munera, vt in prima expeditione, ſic & in ſecunda, primoribus Gallorum gratificatus fuerat Alexander. Honorem ducendi primi agminis detulit Guiſiæ Duci, Iathreo, & Vitrio eximijs Gallis ductoribus, comitato. Poſtremi Rectores legerat Salinij Comitem, & Aumaliæ Ducem, queis Boſco Delphinus, & SanPaulus clari armis proceres adiuncti erant. In acie verò media Mainei, & Montis Marciani Duces, Comes

Vaudemontius, & ipſe Parmenſis verſabantur. Cui præter Principem filium, comites aderant, ſtudio addiſcendæ militiæ, ex Hiſpanis Magnatibus Aſculanus & Vaſtius, ex Italis Proceribus MarcusPius à Sabaudiâ Saxoli Princeps, Fridericus Spinula Marchionis Ambroſij frater, alijque. In hunc modũ diſpoſitam Fœderatorum aciem, tamquam vagantem vrbem, bina curruum millia circumuadebant, quaſi mobiles lignei muri, externiſque aſſultibus reddebant prorſus impenetrabilem. Cùm in perpetua munitione carrorum, ſuæ non deeſſent veluti ſemitæ, portæque interiectæ, per quas equiti, peditique, tum erumpentibus ad prælium exitus, tum receptus refugientibus paterent.

Car. Coloma de Bel. Belg. a. 1592

Bis mille carrorũ vallo exercitus Catholicus cingitur.

In huiuſmodi ordinatiſſimi exercitus contemplatione iucunda ſimul, & ingrata defixum Regem, quatuor interpellant equitum ſclopetariorum alæ de imo vallis emerſæ, quarum vna ex Italis Hieronimo Cuſano parebat, præeuntibus ad vltionem reliquijs, quæ de profligatâ turmâ ſupererant. Pugnam itaque ambo ſtrenuè redintegrant, hi pudore, atque irâ, conſcientiâ illi virium, & fiduciâ victoriæ concitati. Et quidem equites Regij, licèt plus laboris in ſecundo certamine experirentur, quia tamen in virtute pari, ad-

Nõ ſinitur Rex inhærere diutius huic ſpectaculo à turmis fœderatorum in eũ coortis.

Inſtauratur pugna.



A. Exercitus Foederatorum.
B. Alexander Parmensis.
C. Henricus Rex.
D. Fistulatores Hispani.
E. Speculatorij Equites Foederat.
F. Currus qui Parmensis Copias circumdant
G. Conflictus inter Regios, et Foederatos.
H. Dracones Regij.
I. Fuga Regiorum.
L. Long
M. Duc
inter
N. Agm



Longauilla Regi succurrere properat. O. Rex Vulneratur. Q. Aumalia. Oppidum
Ducis milites, qui Henrico reditum P. Sylua, in quam Rex ad curan- R. Flumen.
interdudere conantur. -dum Vulnus se recipit.
Agmen Volucre festinat ad prelium

adhuc numero ſuperiores erant, ad alteram palmam anhelabant. Cùm Rex, interprælian-dum, è ſpecula collis aduertit, binas equitum ingentes alas à corpore Farneſiani exercitus abiungi, inque cliuum eniti. Eodem pariter volucrem aciem ex haſtatis peditibus, & fiſtulatoribus compoſitam Capiſuchio duce promoueri. Quare inſurgentem procellam auerſatus imperat ſuis, vt remiſsâ ſenſim pugnâ, receptum circumſpectent. Poſt quingentos quoſque paſſus, circumactis in orbem equis, obuertant frontem; at impreſsionem omnino ne renouent. Ita pedetentim ſe recipiebant Regiæ turmæ, quantum ab ijs deſerebatur ſpatij, tantumdem occupantibus Farneſianis, nec quidquam amplius. Propterea quòd, cùm repreſſam, ſubitâ modeſtiâ, Regiorum ferociam viderent, ſubeſſe fraudem, inſidiaſque collocatas in abdito vallium, ſuſpectabant. Memores nimirum cladis non ita pridem in Belgio illatæ à Comite Mauritio, equitibus Italis victoriâ inſolenter vtentibus. At vbi, obſeruatis inter pugnandum finitimis circa locis, nullos latere dolos conſtitit, impreſsionem Fœderati inſtaurant vehementiſsimè. Stimulos addebat diditus rumor: intereſse certamini Galliæ Regem, qui conſpicuus inſuper decoris armis,

Fæderatorum numerus vndique augetur.

Creſcente mole belli Rex pedetentim ſuos retrocedere iubet.

Inſtãt fæderati primò cautius metu inſidiarum.

Caterinus. Turr. l.18. & alij.

Deinde vehementius.

Vulgata fama, certamini adeſſe Regem.

Qui à noſcentibus monſtrabatur.

mis, & candidis galeæ criſtis, procul à noſcentibus monſtrabatur. Quamobrem opimum Regiæ captiuitatis decus expetentes, alij Regem ipſum in medio belli turbine verſantem circumfunduntur, congreſſi tam prope quidam nobiles Itali, vt eum appellare (quod poſtea gloriati ſunt) de deditione non dubitauerint; alij eodem conſilio, globum circa Regem propugnantium nobilium, pilarum nimbo diſijciunt, & imminuunt; alij denique prætermiſsâ pugnâ, quam incendebat ſuperueniens multitudo, præcurrere feſtinant ad latera, circumuehique à tergo, vt effugium intercludant.

Ardens certamen circa Regem.

Bartol. Pelizaro, in l. de inſtruct. equitatus tract. 12. in quo & nomina Italor. refert.

Eadem fama Regij periculi, ad Catholicum exercitum perlata, ita Mainei Ducem, & Georgium Baſtam commouit, vt hic omnes, quotquot ſupererant, ſclopetarios equites, vnàque leuiter armatos effunderet, ille complures loricatorum turmas immitteret; & volucre pariter peditum agmen ſariſſis, fiſtuliſque terribile, pleno gradu ad certamen accelerarer. Tot pulſatum terroribus Regem, neque conſilium deſtituit, neque ſui fiducia. Nam & binas equitum turmas alios aliò fugam intendere imperauit, quò ſua poſt veſtigia magnam (vti contigit) partem hoſtilis equitatus abducerent: & ipſe comminus congreſ-

Rumor periculi Regij Duces Fæderatorum mouet ad turmas pene omnes effundendas.

Regis in tanto diſcrimine ſpectata ſolertia.

greſſus, omnem belli molem ſubijt in deſcenſu collis, vbi, ne pertubarentur ſuorum ordines, inter primos acerrimè dimicans, aduerſarios ingruentes reprimebat. Neque ſegniùs amore Regis, exemploque prouocati, nobiles Galli ruebant in ferrum ſui prorſus obliti, cùm in Regiæ Maieſtatis oculis mortem oppetere, inſtar triumphi ducerent. Et ſanè recedendo partim, partim obſiſtendo, ſeruatis ordinibus, deſcendere licuit Regijs turmis, qúoad pugnæ, ac periculi conſortem habuere Regem. Poſtquam huic ſclopi pila, renibus, quà lorica deſinit, plagam inflixit, neceſſitate vulneris, cuius conditio ignorabatur, fidelique amicorum ſtudio, ſubducentibus certamini Regem, Gallicus equitatus in apertam fugam ſe conijcit. Inſtabat victor per decliue præcipitantibus, cùm, propter iniquitatem viæ prouoluta conciderent equorum corpora, equitumque. Furioſum inſequentium impetum, aliquantum retardarunt milites quadringenti, qui ex mandato Regis exſcenſione ab equis facta, in ſubeuntes Farneſianos è ſemirutæ domus ruinis, grandioribus tubis fulminabant. Verùm his breui tempore à multitudine hoſtium circumfuſis, atque obrutis, haud dubia cædes, aut captiuitas cœteris imminebat, niſi ſclo-

Tum cōſilium & fortitudo.

Gallis proceribus ad imitationem prouocatis.

Regi vulnus infligitur.

Vnde ſubducto eo certamini, equitatus in fugam auertitur, perſequentibus Farneſianis.

Quos Dracones aliquantis per ſua cæde remorantur.

His absūptis, ſclopetarij equites auxilio ſuccedunt centum circiter.

ſclopetarij equites admoniti à fugientibus tempore interuenirent. Eadem tamen denunciatio vulneris Regij, quæ incitare Principis charitate debuerat, in maius aucta (vti fit in repentinis malis) abſterruit milites, fecitque ſolitudinem pro auxilio. Perempto quippe Rege, rebuſq; iam perditis, non ad Regale periculum propulſandum, ſed ad ſociandum exitium, feſtinaturos credebant. Quare, Ducum precibus, miniſque neglectis, vnius tantùm ſalutis memores, in diuerſa vulgus equitum dilabuntur. Tantùm ſplendidiſſimus quiſque, flos Gallicæ nobilitatis & roboris, ad moriendum cum Rege, vel pro Rege, ocyſſimè conuolant haud nimis multi, nam exempla ſummæ virtutis haud multa ſunt, cum Lauardino triginta, cum Giurio ſeptuaginta. Debile auxilium ob paucitatem, compenſauit fortitudo pugnantium, ſpeſque laborantibus addita, alios, atque alios ſuperuenturos.

Reliquis dilapſis.

Interim de Regis vulnere, ac fugâ Regiorum Alexander certior factus rogabatur, vt ſignum tubâ daret, non tam ineundi certaminis, quam victoriæ conficiundæ. Regem ſaucium, & eâ fortaſſe horâ extinctum iam eſſe. Conſternatam eius deſiderio equeſtrem aciem, de ſalute, non de prælio cogitare. Oppleuiſſe paten-

Inſtant apud Farneſiū Duces vt ſignum dari pugnæ ſimul & victoriæ jubeat.

tes

tes fugâ, ſtrage campos, victricibus Fœderatorum turmis tergo inhærentibus. Quantulum ſupereſse, vt res inclinata, & euerſa penitùs profligetur? Promoueret modò dextrâ, læuâque inuictas legiones, ecquod dubium quin, interclusâ cunctis partibus fugâ, cæde, aut captiuitate Regis, & nobilitatis finiturus bellum ſit.

Quo tumultuoſiùs iſta Farneſio ſuggerebantur, eo impenſiùs ille cauendum putabat: omnes belli caſus diligenter expendens. Quare vniuerſi certaminis aleam flagitantibus adeò non annuit, vt volucrem aciem, quæ propè congreſſum iam erat, manere in veſtigio, vſque ad nouum imperium, iuſserit. Haud enim credibile rebatur, Galliæ Regem bellicæ rei non incallidum, cum excurſorijs tantùm equitibus aduerſus florentiſimum exercitum veniſse, ſine firmis nobilium turmis, ſine robore peditatus. Quid ſi Fœderatos multâ arte elicitos ad equeſtre certamen, quo genere virium præualeant Regij, fictâ fugâ pertrahere tentet in inſidias diſpoſitas in collibus, vallibuſque; de quibus cœtera incognitis, vnum illud pro comperto habere, accommodas eſse fraudibus, furtiſque belli? An parum periculi aditum à Belgicis turmis, niſi eodem pedeſtris quoque acies inducatur? At

Is abnuit, & rationes ſui conſilij reddit.

quí equitem, ſi fortè inſidias inter valles, & nemora ſtructas intrauerit, expediri poſse proximi peditis intercurſu: circumuentis verò, cum equitatu ſimul pedeſtribus agminibus, vnde, aut quâ ratione ſubſidia, num pulſu pedis è fundo telluris, vt iactauerat magnus ille Romanus, educenda eſse? Qualiacunque de hoſtibus nunciarentur, ſe non commiſsurum, vt inexploratâ regione, maniſeſto diſcrimini copias obijciat. Honeſtius eſse Imperatori rectæ rationis ductu, infortunium ingredi, quàm temerè, ſine conſilio. & cum probro vincere.

Confirmatur Alex. in ſententia

Parmenſem, præter hoſtiles dolos, etiam ſocia verentem arma, quæ haudquaquam è ſuo nutu omnino pendebant, obſtinauit in ſententia, vnius ex Nauarræis ducibus capti relatio. Hic (vt Hiſtorici plures teſtantur) Regis iuſsu in poteſtatem Fœderatorum vltro ſe tradidit, & interrogatus, vti captiui ſolent, de ſui Regis copijs, præter ampliſsimum equitatum, peditum vim non mediocrem in proximo nemore abditam Henrico ſupereſse firmauerat, falſa veris intermiſcens. Conciliarunt mendacio fidem procul conſpecti Regiorum equitum famuli Aumalientibus iuncti, qui agminatim, vti Rex præceperat, cum perticis tamquam haſtis incedentes, è longin-

Caſ. Ciapan. vol. 2. l. 12. Carolus Coloma l. 8. de Bello Belg. Card. Bentiu. de Bello Belg. l. 6. 2. par

Relatione cuiuſdam militis capti.

Prætereá conſpectu lixarum hoſtium, qui in ſpeciem haſtatorum peditū gradiebantur.

Pelizaro de iſtruct. equeſtria. 12.

ginquo contuentibus, pedeſtris aciei ſpeciem prębebant. Vtcunque id habuerit, illud vtique certum, omne prorſus effugium Regijs adempturas fuiſse Fœderatorum legiones, ſi victoriam ſequi maturaſsent: quando, vel ijs ceſsantibus, exitio caput ægrè Rex ipſe ſubduxit. Quem vulnere affectum cùm in ſuam turmam recepiſſet Giurius, operuit ſtatim gregarij ſagulo, ne agnitus ad nouos ictus deſtinaretur. Fama eſt non aſpernandis affirmata Scriptoribus, equites Gallos, qui pro Sancto Fœdere militabant, poſt Regis vulnus, & Regiorum agminum trepidationem, de contentione certaminis remiſiſſe. Quin occaſione vſos, quod aliqui è Farneſianis, à Draconum manipulo vulnerati ad curationem in caſtra referebantur, inſidias, tamquam in eas incidiſſent, clamitaſſe: eáque arte tam ſe, quam proximas turmas, à perſequendo Rege auertiſſe. Siue ea charitas fuit inſita Gallicæ nationi erga ſuos Reges etiam infenſos, ſiue inuidia in externos, ne Galli Gallos Hiſpano vincerent, ſeu denique quòd amaras exprobrationes Nauarræorum ferre non poſſent. In medio quippe certamine inclamabant: Hiſpanorum ſatellites, proditores patriæ, Regis parricidas. Pergerent externis commodare nefarias manus, in fratres, in contribules

Thuan. Cater. Turr. Cāpa. Coloma &c. Buſſier. l. 22.

Pelizaro vbi ſupra.

Galli fœderati Rege ſaucio pugnam intermittunt.

ſuos ; an vt ciuicam reportarent,non tot ciuium funeribus, non ſui Regis ſanguine ſatiati ?

Iſthæc tamen popularium commiſeratio, ad differendam potiùs perniciem, quàm ad auferendam valebat; cùm Belgarum,& Hiſpanorum equitum ardor, Gallorum tepidiùs pugnantium, vicem ſuppleret. Qua propter multiplicabatur Regiorum cædes magis, magiſque. Iam Prætoriana turma, cuſtodes Regij corporis, acceptis in aduerſum pectus vulneribus,pro vno omnes erant egregiè officio ſuo, vitâque defuncti. Iam nobiles iuuenes, qui hoſtibus Regem ſaucium inſectantibus,obiecerant ſeſe, pretium ſeruati Principis, glorioſam retulerant mortem. Nec impunè Giurio ſua pietas fuerat; cui ſuffoſſus equus, inter cadendum,ſiniſtrum crus grauiter afflixerat: Obinium quoque ſimilis caſus humi proiecerat: Lauardinum pariter graue vulnus inutilem prælio fecerat, cùm Chiaſſeron, & Arembures effuſo pluribus plagis ſanguine, vix habenas, & arma retinerent. Iamque victor ſucceſſu elatus inſtabat, actumque de equitibus cum Rege ſuperſtitibus foret, niſi Niuernij, & Longauillæ Duces, auditâ improſperi prælij fortunâ, cum ingenti equitum grauis armaturæ agmine, ſubſidio acceleraſſent, egregijs cir-

Cædes Nauarræorum Cuſtodum Regij corporis.

Et iuuenũ nobilium.

Cater. l. 13. Tutt. l. 14.

Giurio equus ſuffoſſus, & Obinio.

Lauardinus Arenburés, & Chiaſſeron vulnerati.

Laborantibus auxilia ſuperueniunt equitum cataphractorum.

Cater. l. 12.

circumſepti bellatoribus Torinij, & Mongomerij Comitibus, Montinij Domino, magno Franciæ Priore, alijſque. Vti mandatum ab Rege acceperat Niuernenſis, equites quotquot aderant ſclopetarios, ad ripam fluminis collocarat, vt vadum, iterque tutum Nauarræis redeuntibus præſtarent. Mox, Regem ſaucium, conſternationemque Regiorum, ijs ipſis, qui fugâ euaſerant, nunciantibus, vniuerſum tam leuis, quàm grauis armaturæ equitatum promouit ad campos, quos iam fugientium; inſequentiumque tumultus impleuerat. Aduentus Gonzagæ velut è cœlo demiſsi, vexillum ſalutis attulit Nauarræis, frænumque iniecit audaciæ Fœderatorum. Nam, ſi quos è Regijs diſpalatos abſtulerat fuga, ad amicam aciem ſe conglobabant in certamen redituri, & victores nouam belli molem, hoſtemque non incompoſitum, nec fatigatum adeſſe cernentes, repreſſo aliquantùm impetu, inſequebantur. Cùm equites Nauarræi, Niuernenſis admonitu, modò, impreſsionem ferociter facerent ſclopis exploſis, modò circumactis in orbem equis, ad flumen ſenſim retrocederent; donec ab ijs primò Rex Galliæ ſaucius excipitur, in tutumque idoneo comitatu deducitur, increpitus reuerenter à Niuernenſi, quòd maieſtatem

Cam. l. 12.

Qui ad proximos campos promoti fugientes tutantur,

Et remorantur Fœderatorum impetum.

Donec primò Regem ſauciũ recipiunt.

Quem Gonzaga reuerenter incuſat.

tem

tem Regiam abiecisset ad ignobilem pugnam cum ſclopetarijs Hiſpanis, ſuâ regnique ſalute in extremum adductâ diſcrimen, ex quo audito Francia vniuerſa cohorreſceret. Deinde Giurius, Montinius, Lauardinus, & pleraque alia nobilitas, aut inutilis interfectis equis, aut vulneribus, & prælio laſſa, ſeruati. Hâc ratione ſtrenui Ducis officio functus, prudentis quoque partes impleuit Niuernenſis, dum obiectare renuit manifeſto cædis periculo, certaminis feſſam illuſtrem Galliæ iuuentutem, aduerſus irruentes magno vndique numero turmas Fœderatorum, &, quæ plurimum terroris faciebat, pedeſtrem legionum aciem haſtis, & ſclopis grandioribus horrentem, quam procul è vertice collium, ad modum nubis armis intermicantibus grauidæ, ſe demittentem conſpicabantur. Quare, vbi ventum ad flumen fuit, tegentibus receptum ſclopetarijs, opportunè priùs in ripa diſpenſatis, Gonzaga vadum cum equitatu incolumi tranſmittit, Aumaliamque ingreſſus, ſtatim deſerit caſtrum intutum, proſecuturus veſtigia Regis. Is proximo in nemore cum ſubſtitiſſet, adhibuit curationem vulneri, ſummæ tantùm cuti impreſſo à pilâ, cuius impetum obiectus ephippij retardauerat. Obex profectò debilis ad ictus plurimos

Deinde reliquos Gallos proceres in tutum deducit.

Quos feſſos prudẽter à certamine abſtinuit cõtra vniuerſũ exercitum Fœderatorum.

Qui ad pugnã paratus in cõſpectum ſe dabat.

In proximo nemore Rex adhibet curam vulneri ſummæ tantũ cuti inflicto.

mos? niſi Diuina prouidentia ſe interponeret, quæ clariſsimum Regem ad maiorum Sacra rediturum, pacificationi Galliarum, poſt quadraginta annorum ciuilia bella, reſeruabat. De nemore ad Caſtrum nouum, feretro vſus pro geſtatoria ſella, ſe contulit oppidum, quinque leucis, à loco certaminis diſtans.

Ex peculiari munere diuinæ Prouidētiæ Regem Henricum, pacificādæ Galliæ, reſeruantis.

Hæc fuit memorabilis ad Aumaliam pugna, periculo magis, & vulnere Franciæ Regis, quàm clade nobilis. Quæ ducentos è ſplendido Galliæ ſanguine, multo plures inferioris conditionis milites abſumpſit, aliquot millia generoſorum equitum abſorptura, ſi plus temeritatis in victore fuiſſet Duce, aut niſi periculum, quod audaciâ ſummâ Rex adierat, audaciâ pari, maiori conſilio propuliſſet.

Cater. l. 12. Turt. l. 38.

Nouo in caſtro ab Rege, ac Ducibus de continuando bello eſt conſultatum. Metus enim ſuberat, ſi poſt deſertam Aumaliam, Caſtrum quoque nouum Fæderatis ceſsiſſet, ne victores rectà Rhotomagum pergerent, & obſidionem cum pernicie Regiarum legionum diſſoluerent. Nam præter allatos terrores à nuncio vulneris Regij, fugæque equeſtrium copiarum, præſentia inſuper inopinata Farneſiani exercitus erat Nauarræos conturbatura. Spes igitur auertendæ

In Nouo Caſtro Rex de bello cōſultat.

dæ

dæ alterius cladis eo terribilioris, quo grauiora ſunt vulnera vulneribus cumulata, in hoc poſita videbatur, ſi victricium armorum curſus ad vrbem obſeſſam retardaretur, Noui caſtri qualitercunque munitæ arcis obiectu. Quam videlicet, vt intercipiendis commeatibus opportunam, hoſtili præſidio obtineri, haud quaquam paſſurus eſſet ſummæ prouidentiæ Dux Alexander. Dum hæc obſidetur, dum capitur, interpoſitá aliquot dierum morá, Galliæ Regem, in quo rerum ſumma, & potiſsimum partium robur, à vulnere recreatum iri, Regios milites, à metu reſpiraturos, tum confluente ad famam Regalis periculi armata nobilitate, belli aleæ retentandæ pares fore. Huic ſententiæ calculis omnium ducum probatæ, Annas Anglurius Giurius Præfectus Regiorum equitum proprium periculum adiunxit. Iocatus enim in luxationem pedis, per quam ab equeſtri, & vaga militia, ad pedeſtrem, & ſtationariam redactus fuerat, exhibuit Ducem ſe futurum eorum militum, qui pro remorando Catholicarum legionum impetu, ſanguinem, atque animas de-uouerent. Præconijs ducum, & Regis amplexu, atque oſculo remuneratus Giurius trecentos loricatos equites accipit, ſclopetarios quadringen-

Statuit Nouũ caſtrum munire, ac defẽdere

Giurius præſidij Ducem ſe exhibet.

gen-

gentos, totidem Germanos pedites, qui omnes additi quingentis oppidi cuſtodibus, conficiebant ſummam militum mille ſexcentos. Exinde cum Bironio iuuene Diepam Rex proficiſcitur ad ſecretas, quæ timebantur, Fœderatorum molitiones diſijciendas. Quas vbi præſentiâ, & conſilijs repreſsit, ad Sanctum Clarium ſe confert cum robore equitatus, vt caſtris, munimentiſque mediam obſideat viam, quæ Rhotomagum ducit, atque rem cibariam hoſtibus intercludat. Iuſſo pariter Bironio, cum altera parte equitum à Diepa, & Arques circumiacentem regionem percurſare, atque interuertere commeatus, qui procul à Picardia, & à flumine vſque Somona in carris vehebantur ad Fœderatos. Hi, poſt certamen, Aumaliâ captâ & direptâ, per vallem fluminis Auge copias ducunt, Gamaſiam in itinere, aliaque ignobilia oppida occupant, præſidijs impoſitis, ad præſtandam annonæ ſecuritatem. Inde ad Caſtrum Nouum expugnandum Parmenſis animum adijcit indignatus, quòd oppidum debile, peruetuſtis mœnibus nec aggeſtu terræ firmis, opperiri vim expugnatoris arcium exercitus non dubitaret. Tertio igitur Idus Februarias collectis vaſis, eò aciem mouet, hyeme maximè ſæuâ, per lutulentas, cre-

Cater. l. 12. Turt. l. 55. Thuá. l. 102. Camp. vol. 2. l. 12. Card. Bentiu. p. 2. l. 6

Rex ſecretis Fœderatorum molitionibus diſiectis, commeatus intercipere ſtudet.

Illi pluribus in via occupatis oppidis, ad Caſtrum nouũ contendunt.

Chateauneuf

briſque aquis torrentibus impeditas vias, celeritate tantâ, vt nouem horarum ſpatio, non modò duodecim paſſum millia cum exercitu confecerit, verùm etiam commodam in ſedem tormenta ſtatim collocauerit, tum verberatione vehementi mœniorum ſtragem immanem fecerit, & iam ſignum aggreſsionis daturus eſſet, vt expugnatione oppidi noctem anteuerteret. Verùm his animaduerſis præſidiarij, quibus à Rege mandatum fuerat, vt poſt deſperatam defenſionem oppidi, ſuum & Giurij ſanguinem reipublicæ reſeruarent, Alexandro præconem, ad faciendam deditionem, mittunt. Abnuebat is aures vllis conditionibus dare: in leges belli peccatum à Giurio dictitans, qui, tam infirmo in oppido, tormentorum vim expectare auſus eſſet. Sed, interponente pro Giurio preces eius vitrico Iatrheo inſigni Duce inter Fœderatos, affirmanteque non audaciæ ſuæ, non hoſtium contemptui, ſed obſequio, fideique erga Principem, id Giurium tribuiſſe, vt videlicet arma Farneſij quam diutiſsimè à Regijs circa Rhotomagum caſtris ſubmouerentur, admiratus animi magnitudinem Alexander conditionibus honorificis indulſit, illud adijciens (quoniam Giurius Caluinianâ lue contactus ferebatur) miſerandam ſibi fortiſsimi Du-

Præſidiarij, euerſis magna ex parte mœnibus, deditionem faciunt.

Renuit primò Alex. conditiones vllas admittere.

Deinde placatus à Iathreo ignoſcit Giurio.

Ducis virtutem videri,qui amicusRegi tam fidelis, ab Rege Regum Deo,& à maiorum fide deſciuiſset ſibi met hoſtis & infidus ; cum pernicie certâ, maximâque.

Arcem validã poſt quatriduum expugnat.

Capto oppido, Fœderatorum vis conuerſa eſt in arcem ſitu, atque opere firmiorem, quæ quadringentis propugnatoribus defenſa cum quatriduum ſuſtentaſſet, poſt expugnatum propugnaculum, ſe tradidit. Qui Caſtrum Nouum defenderant equites, pediteſque dum Farneſij iuſſu à Fœderatorum turmis deducuntur in tutum, aliquot Galli equites, Præfectum præſidij vnum ex Guiſiæ Ducis interfectoribus agnitum, continuò obtruncant, haud prodeſſe proditoribus, & homicidis, belli pacta iactantes. In exequendis poſt conditionibus, quæſtio inter Parmenſem,& Giurium ſuborta, vtrùm Reburium Tribunum militum, cuius expreſſa mentio facta non fuerat, conuenta pacta comprehenderent. Negabat enim Farneſius: propterea quod in tabulis nomina cœterorum Ducum, Reburio præterito, legebantur. Affirmabant Regij, qui Reburij Tribuni nomen idcirco ſuppreſſum aſſeuerabant, quoniam ſecum vnà ſuos milites in arcem, vti alij fecerant Duces, non incluſerat. Cùm rationum vtrinque momenta non deeſ-

Quęſtionis inter ſe, Giuriiq́ue ſuper cõditionibus exortæ Regem arbitrum facit.

ſent, Alexander litis arbitrium generosè reiecit ad Regem, qui vnus omnium potiſsimùm ſciret, qua Reburium autoritate in Nouo Caſtro eſſe voluiſſet. Conuocato itaque ducum concilio ab Henrico, cùm Reburius concepti fœderis verba recitaſſet, expenſis ad militares leges omnium ſententijs, iure liber fuit renunciatus. Fœderatorum ad Nouum Caſtrum mora, quamuis vltra quintum diem non proceſsiſſet, ſalutem Regijs partibus attulit. Quoniam abſumptis maximam partem cibarijs, quæ conuecta fuerant, niſi commeatibus ante comparatis, progrediendum vlteriùs Farneſius non putabat in interiora regionis, multitudine hoſtium iuxta, & amicorum, ad vaſtitatem redactæ; præter adiunctam hyemi, quæ tunc inhorreſcebat maximè, ſoli ſterilitatem. Decem igitur dierum ſpatio, ijs in locis exercitus Fœderatorum hæſit, donec alimenta copioſa de Picardia vſque ſubueherentur, ingentibus cuſtodita præſidijs; quandoquidem omnes circum vias Regij equites perpetuis excurſionibus infeſtabant. Non tamen ocioſis interim eſſe licuit, vel à velitationibus peditum penè quotidianis, vel à minutis equeſtribus prælijs. Rex enim Henricus, vt adeſſe ſibi animum, ſpirituſque, poſt acceptum vul-

Subſiſtere ad Nouum Caſtrum per aliquot dies cogitur, dum cibaria conuehuntur.

Exercentur interim Fœderati à Rege penè quotidianis velitationibus.

vulnus demonſtraret, Fœderatos irruptionibus crebris fatigabat; opportunitatem præbentibus circumiectis collibus, qui ſiluulis paſsim, vineiſque conſiti erant. Duo præ cœteris contigere memoratu digniora certamina, queis fortunæ modò his, modò illis propitiæ fauor alternauit. Caſtrorum partem, qua Dux Guiſiæ tendebat, propter eius abſentiam incurioſiùs cuſtodiri, Nauarræ Rex ab exploratoribus didicerat. Eò itaque Bullionij Ducem, iuuenem Bironium, & Pralinium, cum peditibus quingentis, & cum equitibus partim ſclopetarijs, partim loricatis trecentis, impreſsionem facere imperat, in ſarcinarum cuſtodes (Galli omnes erant) circiter mille. Hi occupati improuiſo malo, ſine duce, ſine armis, partim opprimuntur, partim in diuerſa fugæ ſe mandant, auſis paucisſimis defenſionem tentare, arreptis quæ ſors obtulerat telis. In eo tumultu vexillum equeſtre, quod in tentorio Guiſij Ducis aſſeruabatur, cum reliqua eiuſdem ſupellectile, à Nauarræis diripitur. Parque dedecori clades conſecuta eſſet, niſi Guiſius à profugis admonitus, cum Iattrheo, & Vitrio reuolaſſet ſubſidio ſuorum laborantium. Quamquam illos interim ad pugnam exemplo, & adhortationibus incitauerat inſtructor Gallicæ legionis

Qui caſtrorum partem indiligenter a Gallis cuſtoditam inuadit.

Fugiunt cuſtodes inopinata aggreſſione perterriti.

Hiſpa-

Hiſpanus Vega nomine, à contumaci olim Manriquiana legione, de Belgio tranſgreſſus ad militandum inter Catholicos Gallos, vt ſeueritatem Farneſij declinaret. Hoc propugnante, cum exiguo manipulo Gallorum, ægrè caſtra retinebantur; ſimijs quoque ipſis (nam complures ad oblectationem Dux alebat) bellicam operam tempeſtiuè nauantibus: (vtque eſt æmula hominis beſtiola) imitatione militum, ſaxa, tela, & quæ ſors obtulerat arma in ſubeuntes Nauarræos, iacientibus. Inter hæc, præliari ſonitu exciti, de caſtris propinquis confluxerant equites, pediteſque; quorum alios protinus Iattheus in primum hoſtium agmen inducit: alios à Vitrio iubet ad impugnanda Regiorum terga circumduci. Quod vbi aduertit Rex Henricus, qui cum reliquo equitatu in collis vertice ſubſtiterat, ſtatim admonuit ſuos, vt ad amicas turmas in cliuum ſe reciperent, interfectorum Lori, & Anglecurtij iacturam, nonnullis Fœderatorum cæſis, & vexilli Guiſiani captiuitate penſaturi. Alexander periculo magis, & flagitio militiæ permotus, quàm damno, vbi felicem prælij exitum Duci Guiſio eſt gratulatus, de ſocordia Gallicæ ſtationis expoſtulauit, inſtititque, vt, qui hoſtium è manibus incolumes euaſerant, ex his decimum

Homer Tret. l. 18.

Accurrſit ſubſidia de reliquis caſtris, & coercet aggreſſores.

quem-

quemque ſortitus diſciplinæ militari victimas daret.

In altera velitatione,Salinij Comes è Lotharinga familia Princeps in poteſtatem Nauarræorum venit. Metantibus caſtra Farneſianis, Nauarræ Rex de colle qui à dextero latere imminebat, Montinij, & Pralinij Dominos, cum geminis alterâ leuis, alterâ grauis armaturæ alis, immiſerat in militarem ſtationem Aumaliæ Ducis extremum agmen moderantis. Vix initia certaminis contra ſtationarios equites Nauarræi proſperè capeſsiuerant, cùm illorum auxilio ſuperueniunt Comitis Salinij, Ronei, & Rantinij turmę,quę tunc fortè à Bellacombana ſilua iuſſu Parmenſis explorata, ad exercitum reuertebantur. Cùm hi Regios aggreſſores ex improuiſo maiori numero adorti eſſent, non de victoria, ſed de receptu cogitare compellunt. Dum igitur in proximam planitiem retrocedendo ſenſim deſcendũt, ecce tibi ſubſidium inſperatum,Torinij Comes, & Feruaquius cum Normannicis alis animos reddunt, inſtaurantque certamini. Ad binas horas,diſcrimine partium nullo,ſummâ vtrinque virtute pugnatum. Tandem,inclinante in veſperam die, Fœderati, qui dimicationem nocturnam in ignota regione abhorrebant, prælio deſun-

Iterum in ſtationes impetũ Nauarræi faciunt.

Sed repelluntur à ſuperuenientibus caſu turmis Fœderatorum.

Nouis ſubſidijs etiam Nauarræi confirmantur.

Producuntque in longũ certamen.

Quod Fœderati ſub noctẽ dirimere contendunt.

fungi, atque in caſtra redire feſtinant, cum ſe implicatos vident recenti turmâ equitum cataphractorum, quos in eos Biro iuuenis à latere ducebat.

auctore Roneo, qui recurrit ad caſtra propinqua,

Roneus dux vetus, nouum periculum tempeſtiuâ fugâ declinandum putauit, cùm præſertim habitus locorum, quæ luſtrando obierant, eſſet reſerẽdus Alexandro. Quamobrem edocto per Rantinium Comite Salinio neceſsitatem conſilij ſui, effuſo curſu ad proxima caſtra regreditur. Renuit Salinius exemplum ſequi, ſiue indecorum ratus hoſtibus tergum oſtendere, ſiue auidior pugnæ, quàm conſultior ſe in medios cuneos eò penetrauerat, vnde niſi victor pedem referre non poſſet. Hoſtium itaque multitudine circumuentus, accepto in renibus vulnere, equo ſuffoſſo, Rantinio, qui conatus incaſsùm ſuadere fugam, periculi conſors aliquandiu ſubſtiterat, ad vltimum deſerente, compluribus turmæ equitibus aut cæſis, aut captis, ipſe denique Comes in poteſtatem Nauarræorum venire cogitur, ſtrenuè priùs vltus captiuitatem ſuam. Nam Cicoto inſigni Regiæ aulæ ſcurræ, ſimulque ſtrenuo pugnatori, qui cum globo iuuenum inſtans, ad deditionem vrgebat, maximâ vi gladium in caput impegit exclamans, præmori malle, quàm infamis homuli mancipium fieri. Haud quaquam iræ

Le Comte de Chaligni.

Fruſtra inuitato Comite Salinij.

Qui faucius in manus Nauarræorum venit, egregiâ prius editâ pugnâ: & vulnerato lethaliter hoſte, à quo captus fuit.

Card. Bentiu. 2. p l. 6. Thuan. l. 102. Caterinus l. 13. Turs. l. 18.

iræ paruit ſaucius plagâ mortiferâ Cicotus, furoremque vindictæ compeſcuit victor irritatus. *Thuā. l. 102. Cater. l. 12.* Captiuo tantùm Principe ad Regem adducto, liberaliterque donato, ad vulnus curandum ſeceſſit. Rex Lotharingum de fortunæ iniuria cõquerentem blandè conſolatus, Cicoto tamquam fortiſsimo bellatori teſtimonium dedit, imputans infortunium immodicæ ipſius Comitis ferociæ, qui ſe vnum hoſtilibus turmis immiſcuiſſet. Tum excuſanti Salinio iuuenilem impetum, ardoremque diſcendę militiæ, ſubridens Henricus: peccaſſe (ſubiecit) in magiſtro deligendo. Si feliciùs merere mallet in poſterum, à Doctore Rege, diſciplinam bellandi acciperet, vincendique. Hæc per iocum: illud ſeriò, maturam libertatem pollicitus eſt, cùm redemptionis eius pretio ſarcire deſtinaſſet impenſam triginta millium aureorum, quæ Maineus pro liberanda nuper Longauillæ Ducis vxore, eiuſque liberis exegerat. At Cicoto qualiſcunque eius gloriæ decus letho conſtitit, mercede nec paruâ, nec pœnitendâ. Tanti fuit homini famoſo, actam ſine laude vitam honeſto fine concludere.

Propter eiuſmodi aſſultus Nauarræorum crebros, & vehementes, modicum Farneſius iter quotidie facere, non niſi ortâ luce moue- *Alexander Rhotomagum accedit.*

re agmina, ſoliſque occaſum anteuertere metatione caſtrorum. Ita pedetentim progrediendo, Rhotomago appropinquauerat, & ineunda iam erant de ratione liberandæ vrbis conſilia. Conuocato ſenatu bellico, è Fœderatorum Ducibus, Georgius Baſta Commiſſarius equitum ſpondebat, ſe cum binis lanceariorum alis, & maiori parte leuiter armati equitatus, diſturbaturum obſidentium circa vrbem munimenta, ſimulque præparata militum, & cibariorum ſubſidia introlaturum. Parem operam offerebat cum ſua legione, additis aliquot equitum alis, Camillus Capiſucchius. Neque minùs Galli duces in æmulationem accenſi, eiuſdem ſiue periculi, ſiue gloriæ onus, honoremque totum arrogabant ſibi, prætendentes vt indigenæ peritiam ſummam hominum, locorumque. Inter ſe litigantibus interceſsit Alexander, laudatâque alacritate nationum, quas generoſus lucis contemptus in aperta diſcrimina rapiebat, negauit ſanum videri conſilium, partiri copias, in tanta propinquitate exercitus hoſtium præualidi, ſub Imperatore impigro, attentoque. Quid enim? ſi acciſâ parte agminis modicâ, ſed valentiſsimâ, Rex victor, cum tota mole virium impreſsionem faciat in reliquam aciem, non minùs imminutam ani-

In Senatu bellico Baſta, Capiſuchius, alijque Ductores ſe cum parte exercitus per media hoſtiũ munimenta commeatũ in vrbẽ illaturos pollicentur.

Laudat eos Alexander, ſed nequaquam probat conſilium partiendi exercitus,

animis quàm numero, à clade ſociorum, atque adeo dimidiatim iam victam. Sapientiùs profectò ſaluti æquè ac famæ Catholicarum partium conſultum iri, ſi vniuerſo exercitu Fœderatorum Rhotomagum adducto, non relaxandæ modò obſidioni, ſed omninò depellendæ impendatur labor; Regijs copijs cæſis, aut pulſis, aggeribuſque, & munitionibus diſturbatis? Arma tantùm, animoſque, cum ſuffectura vni dieculæ annona miles afferret, impedimentis in Nouo Caſtro ſub fideli cuſtodia relictis, futurum curæ ſibi hoſtium, locorum, ac temporum opportunitatibus veſtigatis, vt quàm minimo periculorum, & ſanguinis impendio, victoria conſtet.

Cum obſidionem omninò depellere ſtatuiſſet expulſis vi hoſtibus.

Elapſis retro diebus exploratoribus quoquo versùs mittendis, iiſdemque coram de ſtatu, & conſilijs Nauarræorum interrogandis accuratum adhibuerat ſtudium, compereratque, Regis exercitum trifariam eſſe diſtributum. Peditatum ferè omnem, ad quatuordecim millia, Rhotomagum circumſidere, ſub auſpicio Bironij Mareſchalli. Huius filium iuuenem, cum flore equeſtrium copiarum, ad Diepam, & Arques hærere, interuertendis Fœderatorum commeatibus intentum. Regem pariter, cum alijs nobilium equitum turmis, occupatam prope S. Cla-

De quorum numero, & ſtatu priùs accuratè cognoſcit.

rium viam militarem calleſque, qui Rhotomagum ducunt, ne Fœderati ab illa parte ad vrbem aſpirare poſſent, ferro, & operibus obſtruxiſſe. Amborum verò tam Regis, quàm Bironij iuuenis equeſtria caſtra, ingenti dirempta ſpatio, octodecim & ampliùs milliariorum diſtare à pedeſtribus copijs Rhotomagum obſidione cingentibus. Cauſas latiùs tendendi eas fuiſſe, vt & ipſi vterentur largiori annona, & arctiorem Catholicis facerent.

His cognitis, in Parmenſis animo noua moles conſiliorum ſubnaſcitur. Nam ſi, omiſſo quod obſederat Rex itinere, & iunioris Bironij ſtatiuis pariter declinatis, per aliam remotiorem viam nemori Bellacombano finitimam, exercitus Fœderatorum ad hoſtilia circa Rhotomagum caſtra expugnanda duceretur, erupturis ex condicto ciuibus, & præſidiarijs, de facili opprimi poſſe credebat deſtitutas auxilio Regis, & nobilitatis pedeſtres legiones, ſimulque liberatum Rhotomagum, appendicem nobilis victoriæ fore. Neque enim equitum turmas, maximis locorum interuallis, à peditatu diſiunctas, quantumlibet & nuncij, & ipſæ accelerarent, neceſsitati periclitantium adfuturas. Quando huiuſce conſilij perficiundi ſpes erat nulla, ſi fortè ad

Conſilium capit Alex. de inuadēdo Regis peditatu, ab equitatu longè diſtante.

Sed ſecretum id conſilium habet.

tè ad Regios indicia emanarent, arcanum Alexander ſilentio texit. At de ſui militis virtute non dubitantem, quin per hoſtium, & munimentorum ſtragem, ad obſeſſam vrbem ferro viam patefacturus eſſet, illud habebat ſollicitum, quantum ſibi de Rhotomagenſium fide, ac fortitudine polliceretur, qui, præter Vvallones, & Germanos octingentos, ab Aſculi Principe initio obſidionis intromiſſos, pars magna ciues, aut populares milites erant. Vtrùm Galli contra Gallos, & Gallorum Regem, pro Hiſpanis, & ſub auſpicio Hiſpanorum Ducis, dimicare vſque ad internecionem vellent, aut poſſent? Quod ſi perfunctoriè tantùm pugnam capeſſerent, ne in ambiguum reuocaretur alea penè certa certaminis, metuebat. Firmandæ igitur vndecunque victoriæ, de more ſuo, inſtitit; vt ne minimum quidem fortunę in conſilia ſua permitteret. Ex legione Vvallonica Claudij Barlottæ quingentos pedites deligit, haſtatos centum, quadringentos fiſtulatores, additque aliquot fortiſsimos ex Hiſpanis, Germaniſque. His omnibus præficit centurionem veteranum Bara cognomine, præmonitumque de opera, quam ſibi præſtari vellet, Rhotomagum mittit. Is ante lucem munimenta Regia ſilenti agmine ingreſſus,

Sollicitus tamen eſt, an Rhotomagenſes Galli collaturi ſint ſtrenuè manus ad iuuandam victoriã Hiſpanorum.

Ad hanc firmandam vndique intẽtus, in vrbem immittit fortiſſimorum militum manum.

An-

Qui per medios hoſtes Rhotomagum ſine noxia penetrant.

Anglicam inter, & Scoticam legiones, feliciter in vrbem ſe penetrat, hoſtium ſtationibus, quæ ſe obuiam quater intulerant, toties diſiectis, & profligatis, ne vno quidem è ſuis deſiderato.

Regionis Alexander ſitum, & vias cum ipſe diligenter explorat, tum ſuis à militibus explorari iubet.

Sed, ne fortè mutandarum viarum ratio peregrinos milites falleret, Tribunos legionum, centurioneſque, priùs regionis poſitum in tabellis edoctos Gallicis equitibus peritiſsimis locorum aſſociauerat; vt ſub obtentu velitationum, excurſionumque, circumiectos Rhotomago colles, planitiem, vias obirent oculis tenerent animo, atque ad ſe referrent. Ita omnibus quæ opus

Omnibus ordinatis, 26. Februarij caſtra mouet, & Rhotomagum diſſimulanter petit.

fuerant comparatis, quarto Kalendas Martias, placidam tempeſtatem nactus, & ſudum Cœlum, pontem Arcuenſem versùs exercitum dirigit. Quàm remotiſsimè à Diepa, & Arques, à Sancto Clario, & à via Rhotomagenſi, ſiniſtrorſum iter flectit, vt à ſuſpicione expeditionis quam moliebatur, ipſos hoſtium exploratores auerteret. Sub veſperam poſitis caſtris, munitiſque,

Sub veſperam Ducibus conuocatis conſilium ſuū aperit, de inuadēdis luce proxima legionibus Regijs.

conuocat ad concilium duces, rationem, atque ordinem aperit conſilij ſui, edicitque, vt initio tertiæ vigiliæ accinctas ad profectionem legiones habeant. Reliquo enim noctis, deſtinauiſſe Bellacombanam ſiluam circumire, vt ſub auroram poſt refectum quiete ciboque militem (in quem

vſum

vſum panes ad quinquaginta millia impoſita dorſis iumentorum attulerat) Nauarræorum circa Rhotomagum munitiones inuadat: per idem tempus erumpere iuſsis in imparatos, & ſemiſomnes ex vrbe ciuibus militibuſque, ad vrgendum ancipiti malo, & internecione delendum hoſtem circumuentum.

Poſt huiuſmodi orationem, alacres, & ſpei plenos exercitus ductores dimiſerat, cùm rurſus, paulo ante mediam noctem reuocare, recens à Rhotomago nuncius compulit. Superuenerat enim à Villario Gubernatore miſſus ad Mainei Ducem Francauillæ Dominus referens, eâ ipſâ die, qua Fœderati caſtra mouerant, eruptionem à Rhotomagenſibus feliciter tentatam, cum ingenti ſtrage hoſtium, operumque: quamobrem obſidio, vel ſoluta prorſus, vel in longum laxata putaretur.

Eoſdem reuocat ſub mediã noctem ſuperueniente nũtio felicis eruptionis Rhotomagenſium.

Rhotomagi Gubernator Villarij Marchio, vnus erat ex ijs Fœderis Principibus, qui quantum Religionis Catholicæ, in Gallijs, emolumento ſtudebant, tantumdem externorum arma, & dominationem auerſabantur. Ea propter Mainei Ducem frequenter monere conſueuerat, vt Hiſpanico magis auro, quàm ferro vteretur, plurimùm autem ſpei reponeret in Gallico milite

do-

domeſtico, atque fido. Eam quippe abominandam ſuper omnes clades victoriam rebatur, per quam rerum Gallicarum arbitria, in peregrinas manus deuenirent. Is poſteaquam, per aduentum Baræ cum validiſsima commilitonum acie, introſpexit in conſilia Farneſij meditantis aggredi ex inopinato Nauarræorum ad Rhotomagum caſtra, quæ neque firma ſatis, neque accuratè cuſtodita eſſe cognouerat, nimium quantum expauit, in æſtimanda immani victoria Hiſpanorum, qui eis cunque placuiſſet, fortunæ modum Galliæ rebus impoſitura. Quamobrem varijs animum volutantibus curis, non ſecus ac ſi ab amico exercitu clades aut captiuitas, non victoria, & libertas pararetur, exquirere ſedulò rationem occæpit, qua periculum intentatum Rhotomago, & Religioni Catholicæ à Nauarræis, ita propulſaret, vt in ſeruitutem imminentem à potentia externorum, Regnum Gallicum non incideret, ſimulque vt Rhotomagi liberati gloria in ſe, ſuoſque milites, ab Alexandro, & Hiſpanis legionibus auerteretur. Hanc occaſionem opportunè ſuggeſsit recens aduentus legionis auxiliariæ, cui adiuncto veteri præſidio, ciuiumque promptiſsimis, in ſpem victoriæ indubiam veniebat; cum minori quidem

Villarius Alex. ſubodoratus cóſiliũ, præoccupare nititur, & ſubſidij recẽtis aduentu animatus eruptionem adornat.

Na-

Nauarræorum pernicie, ſed maiori cum reipublicæ vſu, & ſecuritate imperij Gallicani.

Thuā. Buſſier l. 22. Cater. l. 18. Benti-uolus part. 2. l. 6. De Caſtro an. 1592. & alij.

Vrbis cuſtodiam Londæ commendat, & quam quiſque partem caſtrorum hoſtilium aggredi debeat, Ducibus committit.

Commendatâ itaque murorum cuſtodiâ Londæ Domino, ac duodenis vrbanis cohortibus, reliquos pedites, equiteſque triplicem in aciem diſtribuit. Ex Diuæ Catharinæ propugnaculo, Tribunus Bonifacius cum ſua legione egredi iuſſus, ducentis ex Rhotomagenſi iuuentute præeuntibus, quos Georgius Villarij frater, Braqueterius, & Ruuerius cum cataphractorum turmis inſequebantur, Nauarræos ad Turingiæ lucum ſedentes expugnaturi. Cum alia legione Pericardus Landa, & cum geminis cohortibus Boſcoroſius, quos alis equitum loricatorum Quitrius tegebat, in aggerem, & munimenta contra vetus propugnaculum erecta contendunt. Iacobus Argenta legionem ſuam loricatis Canonuillæ equitibus firmatam, ad Carthuſianos ducit, vt ſe opponat Bironio Mareſchallo, & Regijs legionibus è Dernetalio ad ſubſidium ſociorum accurſuris. Ad vltimum ipſe Villarius Gubernator cum mille ducentis bellatoribus à Parmæ Duce ſubmiſsis, & cum delectis Rhotomagenſium cohortibus, Pedriello equeſtribus turmis latera tutante de porta Bellouacenſi, prodit armatus, aduersùs aggerem ſuggeſtumque tor-

mentarium, vnde triginta æneæ baliſtæ vrbem verberabant.

Erumpunt ante lucem obſeſſi, hoſtes imparatos fugãt, opera euertũt, caſtra deprædantur.

Edito ſub auroram exploſione tormenti ſigno, tribus è Rhotomagi portis, incredibili ferocia prorumpunt. Boiſij, & Pileſij legiones, cùm pleriſque militum ad arma capienda ſpatium non fuiſſet, ingenti ſtrage cæduntur: Tribunis ambobus poſt pugnam memorabilem captis, & Pileſio quidem tot vulneribus cooperto, vt breui expirans, fatum fratris transfoſſi cuſpide ſecuris haſtatæ ſociauerit.

Vallum, aggereſque ad vlnas ducentas diſiecti, prorutique, tormenta quinque à Boſcorofio capta, inque foſſas vrbis demerſa, duo impactis clauis vitiata, nitratus omnis puluis incendio abſumptus, tentoria militum paſsim direpta, & abacta impunè præda; cùm binas ferme horas Rhotomagenſes caſtra tenuiſſent: qui exitio ſuperfuerant, Anglis, Galliſque Dernetalium versùs in fugam actis. Illic ad arma conclamante Bironio, atque in equo, nobilium turmis præcedente, Heluetiorum pariter legiones auxilio approperant. His catafractorum turmæ, ſub Villarij fratre, Pedriello, Canonuilla, & Guitrio Ducibus, in certamen occurrunt, tamdiuque impreſsionem ſuſtinent, donec diſturbato

Tur. l. 13.

Bironij accurrentis ſuorum auxilio cum equitibus, & Heluetijs impetum Rhotomagenſes cuſtodes & milites ſuſtinent.

iam

iam vallo, & munimentis, cuniculiſque ſubuerſis, inſtructæ pedeſtres Rhotomagenſium cohortes in occurſum procedunt. Inter aggerem, ac Dernetalium acerrima pugna pugnata. In qua, redeuntibus ad erectam Heluetiorum aciem, qui profugerant Gallis, Angliſque, & ſuperuenientibus de integro ſenis cohortibus Germanorum, repulſi tandem Rhotomagenſes lento gradu, & ſeruatis ordinibus, in vrbem ſe recipiunt, quinquaginta tantùm ſuorum amiſsis; cum octingenti de Nauarręis, & fortiſsimus quiſque cecidiſſent, ipſo Bironio vulnerato: præter inæſtimabilem iacturam aggeris, operumque.

Editâ acri pugnâ Rhotomagenſes hoſtiũ multitudine obruti ſe recipiunt ſeruatis tamen ordinibus.

50 Rhotomagenſes, & 800 Nauarræi deſiderati ſunt Bironio vulnerato.

De tam proſpero eruptionis exitu, Villarius Fœderatorum Duces admonebat, ſubdito palàm conſilio, quod ſecretò Mainei Duci per Francauillæ Dominum inculcauit, ne Fœderati quidquam armis vltra mouerent pro Rhotomago vindicando; auri tantùm ſubſidia, cum vnica cohorte ſubmitterent emeritis militibus, qui ſatis ferro, ſuperque ſeſe, atque vrbem tuerentur.

Succeſſu lætus Villarius militum cohortem cum pecunia ſibi ſummitti, nihilque aliud à Fœderatis petit.

His auditis Alexander ſecus, veriùſque opinabatur: perculſis Nauarræis, & cæde non mediocri conſternatis inſtandum, quoad internecione delerentur. Quandò decumberet ex vulnere ſenex Biro, quando Rex, & Biro alter longiſ-

Contra Alex. inſtandum victis & contertitis cẽſet, ſuæque ſententiæ rationes affert.

ſimè abeſſent, adempto Regijs legionibus tormentorum vſu, vallo reſciſſo, arripiendam opportunitatem, non diſſoluendæ obſidionis modò, ſed finiendi per inſignem victoriam belli. Conuocatis itaque ante mediam noctem ſuper nuncio recenti ducibus: Moram in ſe nullam fore firmauit, quo minùs ad inuadenda ſtatim caſtra Hugonotorum iretur. Adducere ad prælium eos pridie cogitaſſe, cum ſpe vtique magna victoriæ: nunc ad exploratum triumphum, ad prædam certiſſimam præiturum. Nam ſi, de Nauarræis integris, Rhotomagenſes vni triumphauerant, quanto magis afflictas clade reliquias, eruptione renouata, eoſdem debellaturos, auctos animis per victoriam, viribuſque conduplicatis, à conſociato exercitu Fœderatorum? Ecquod dubium quin aggeribus, munimentiſque ſpoliati, pauciores à pluribus obruendi ſint, qui plures cùm eſſent intra ſuas munitiones, aggreſſoribus paucis impares fuerint? Vbi præſertim Fœderatorum aciem, quæ vt longinqua, non timeatur, ex inſperato ruinas valli ſuperſcandentem viderint, grauioreſque heſterno terrori terrores, clades cladi congeminantem?

Alex. ſententia Gallis nõ placet, & Maineus pro Villarij o-

Alexandri ſententia Hiſpanis, Belgis, Italis Ducibus probabatur; ingrata Gallis, à profuſio-

ne

ne cognati ſanguinis, per arma Hiſpana, citra neceſſitatem alienis. Illorum conſenſu, Mainei Dux Farneſianæ ſententiæ apertè obſtitit, cùm diceret:Suſceptam,vrgente Rhotomagi neceſſitate belli aleam, eadem ceſſante reijciendam. Vt abſtraherentur illinc Nauarræorum obſidentium copiæ, in diſcrimen promotam Catholicam aciem, depulſis ijs, & profligatis vti Villarius teſtabatur, quorſum ancipitis pugnæ periculo gratis exponi? Neque verò credibile, tantum terroris euerſionem aggeris, vallique intuliſſe Nauarræis, quantum ſopitam in ijs induſtriam, & vigilantiam exſuſcitaſſe. Quod ſi, ſtatim ab audita eruptione Villarij,motuque Catholici exercitus, Rex Henricus, & iuuenis Biro cum ſuis vterque copijs (vti poſcebat ratio belli) Rhotomagum aduolauerint, in quanta inſortunia, per ſummam temeritatem ſe conieciſſe, Fœderatis doliturum? Vbi videlicet, pro imparatis inſtructiſſimas hoſtium legiones offenderint, Regium inſuper equitatum triplo ſuperiorem, non pro ſalute modò cum caſtris tuendâ, verùm etiam in vltionem inflictæ abſentibus plagæ, cum ira, & furore dimicaturos? Tutius profectò conſilium in præſentia, immiſſo pecuniæ, militumque ſubſidio, quod vnicè depopoſcerat pinione perorat.

Gu-

Gubernator neque rei bellicæ, neque ſtatus obſeſſæ vrbis ignarus, aliò vires conuertere, ſinereque vt Regius exercitus, per abſceſſum Fœderatorum, inopiâ pugnæ, atque otio (cuius intolerantiſſimi Galli ſunt) de more contabeſcat.

Aſſētitur Gallis Ducibus, licèt inuitus Alex. & 500 milites cum pecunia Rhotomagum mittit.

Aliud Maineum cum Gallis Ducibus animo voluere, aliud oratione præſeferre, Alexandrum non latebat. Acquieſcendum tamen putauit eorum ſententijs, quorum in manu erat, ſi certamen committeretur, malè pugnando facere, vt bene ſenſiſſent. Accitis itaque è legione Claudij Barlottæ alijs quingentis peditibus, vt Rhotomagum cum ſtipendio ingrediantur, pręcipit. Egreſſus in occurſum cum triginta equitibus Boſcoroſius, per occultos calles inoffenſas cohortes in vrbem inducit, inter medias Nauarræorum ſtationes citato gradu raptas, fruſtra ſexcentis equitibus, vſque ad vrbis mœnia, tergo inſiſtentibus. At Farneſius, quando ſocijs non placuerat Nauarræos in munitionibus aggredi,

Ad Nouū caſtrum primò mox in Picardiā redit Fœderat. exercitus hybernaturus.

ne ipſe interim illorum aggreſſionibus opportunus foret in apertis campis, ad Nouum Caſtrum primò, mox ijſdem quæ pridem confecerat ſpatijs, in Picardiam tranſmiſſo per pontem Somonâ reuertitur, hyemis, & itinerum incommodis feſſum exercitum refecturus.

Illic,

Illic Mainei Dux author Farneſio fuit, vt obſidione circumdaret Fanum Sancti Spiritus, arcem haud procul à mari ſitam, & ſtagnantibus aquis circumſeptam. Facilem inde victoriam pollicebatur, quod ſperaret, aquis per foſſas, & ſtructiles canales exiccatis, breui venturam in poteſtatem. Hæc vbi tentamenta fruſtra fuere, viuo ſemper humore telluris viſcera ſubeunte, & Rubemprato Gubernatore mentionem deditionis omnem reijciente, Parmenſis de Maineo conqueſtus fertur, quod inutile conſilium temerè, an malitioſè? ſuggeſſiſſet. Exinde finitimos in pagos diſtributa ſunt ad hyemandum agmina, ſubdito rumore, in Belgium breui remigratura . . . . .d

Fano S. Spiritus Mainei ſuaſu caſtra circumdat.

Sed molitionibus in irritum cadentibus, miles in pagos ad hyemandum occulto conſilio diſtribuitur.

Verùm, quæ proximè conſecuta ſunt, diuturnior in ijs locis mora, vſque ad quadrageſimum protracta diem, inſtituta mox Rhotomagum repentina profectio, tum ab obſidione faceſſere compulſa Regalis acies, perſuadent data etiam fuiſſe ſcenæ illa priora molimina; Fanoque Sancti Spiritus à Fœderatis admota caſtra, non tam expugnandi fiduciâ, aut quòd ſperarent eius arcis tuendæ ſtudio Regem à Rhotomago auulſum iri, quàm vt id ſe intendere ſimularent, quaſi omnem aliam abigendæ obſidionis viam

præ-

præcluſam cernerent; vnde ſecuritas in caſtris Regijs, vſque ad Fœderatorum contemptum gliſceret.

Digreſſis Fœderatis, Rex Héricus Hollandica claſſe adiutus Rhotomagum rurſus obſidet.

Et ſanè Rex lætus hoſtilis exercitus abſceſſu, qualis eum cunque belli reſpectus abduxiſſet (auerſionem Parmenſis à certamine, quoniam id ſibi erat gloriosius, interpretabatur) ad inſtaurandam obſidionem toto animo redijt, pertinere ratus ad potentiæ famam, ſi Rhotomagum arctiori quàm antea obſidione premeretur. Commodè accidit, vt ab Hollandia claſſis adueniret, cum tribus peditum millibus, ac trecentis equitibus, cum tormentis quoque obſidionalibus multâque bellici pulueris copiâ; quibus rebus detrimenta nuper à Rhotomagenſibus importata reſarciebantur. Renouari ergo munitiones, promoueri vallum, & ciuitas firmioribus rurſum aggeribus circumcludi, Rege ipſo, cum Principibus Regij ſanguinis, præſentiâ, & hortatu opus âccelerantibus, cùm Batauorum claſſis flumen obſeruans, omnem maritimæ oræ commeatum Rhotomago excluderet. Quin in tecta vrbis eminentia, turreſque vehementer deſæuijt, donec impunè id fuit. Ab importuna iaculatione ceſſatum, vbi Villarius, erecto in mœnibus ligneo propugnaculo, collocatiſque bom-

Cum Hollandi in vrbis tecta tormentis de claſſe ſæuirent, Villarius erecto ſuper mœnibus ligneo caſtello, eorum naues cogit retrocedere.

bombardis, in Hollandicas naues, graui cum pernicie, metu grauiore detonuit. Tunc enim, ratibus præcipiti remigio retro actis, & vnâ cuſtodiendi fluminis curâ contentis futuris in poſterum, educta inde tormenta, inque aggeres translata ſunt, ad vrbem vndecumque quatiendam. Præcipuos conatus, & ſingularem induſtriam eò intenderat Rex, vt bombardas foſſis immerſas recuperaret, vſui ſimul, & decori proſpiciens. Quamuis diſſimulatione ſumma id moliretur, non fefellit ſuſpicacem Villarij animum. Qui propiùs eam vrbis partem (Turingiæ lucum ſpectabat) hoſtes aliquid mouere ſubodoratus, præuertendum exiſtimauit. Ingenio vſus peritiſſimi machinatoris, æneas baliſtas vrinatorum operâ, validis funibus innexas, per organa tractoria in mœniorum faſtigia ſuſtulit, exinde, per eadem inſtrumenta depoſitas in inferiora vrbis, incredibili lætitia vulgi, plauſuque in aream principis templi triumphantis in morem deduxit. Neque minori vigilantia, promouentibus aduersùs vrbem opera Nauarræis obuiam ibat, per eruptiones frequentes, aſſultuſque, euentum variante fortuna. Binæ ante alias, diuturnitate certaminis, & larga effuſione ſanguinis fuere celebres. In prima

Hollandi tormentis in vrbis tecta ſæuiunt, ſed erecto cõtra illos ligneo caſtello, retro actis nauibus à iaculatione ceſſant.

Henricum bõbardas foſſis immerſas extrahere mollẽtem Villarius præuenit, eaſque in vrbem attollit.

Idem crebris eruptionibus Nauarræorũ conatibus obſtitit.

Giurius equitum Præfectus graui vulnere ſaucius, à Rege inuidioſè laudatur.

ma Giurius equitibus Regijs leuis armaturæ Præfectus, tam grandi vulnere in humero affectus eſt, vt eum ſui expiraturum breui putarent, cum ingenti vtique dolore Regis. Cuius conquerentis audita vox: in exercitu Ducem ſupereſſe neminem, quem Giurio parem in equeſtri præfectura ſufficeret. Tam inuidioſum præconium, nobiliſſimi equitum, in ſuam contumeliam traxere, duo præcipuè, qui cœteros emenſi militiæ gradus, imminebant tantæ ſpei, Iuuenalis Vrſinus Capella, & Montinij Dominus. Prior impar dolori mutare tentauit cum auſpicio fortunam, in Fœderatorum caſtra tranſgreſſus. Victor iracundiæ poſterior, quod affectabat fidei, & fortitudinis præmium, quo ſeriùs, eo glorioſiùs adeptus eſt. In altera pugna, paulo poſt ad Caletenſem portam commiſſa, iniquior extitit Rhotomagenſibus martis alea, ſaucijs Ducum primoribus Londa, Sanctaudeno, & Francauillæ Domino, qui mox è vulneribus deceſſit.

Vnde offendũtur duo nobiles equitum duces, ex quibus vnus tranſit ad Fœderatos.

Alter in fide permanet & quem optauerat militiæ gradum tandem conſequitur.

Interim, plurium dierum quaſſu labefactata mœnia, inter Chauchienſem portam, & Dominicanorum turrim, repentè prociderant, vaſto ſeptuaginta vlnarum aperto ſpatio, cum irreparabili ciuitatis malo, ſi prouideri ea labes à Regijs potuiſſet, eòque aggreſſione deſtinata, præuerti

ci-

ciuium obmolientium induſtriæ. Vno quippe, atque eodem impetu, ruinis patefactum Rhotomagum & intratum eſſet, & expugnatum. Nec omiſit Henricus oblatam à fortuna opportunitatem, quantum per tempus licuit, occupare. Nam, comportari iuſſis in tumultuarium ceſpitem minoribus aliquot tormentis, intentos mœniorum lacunæ, aggeſtu terræ, ac ſarmentitijs faſcibus reparandæ, Rhotomagenſes tanta clade perculit, quantam ab initio obſidionis, ad eam vſque diem ante hac ſe paſſos numquam meminerant. Pro grauibus, & cruentis, alia contigere riſu digniora prælia. Toto obſidionis tempore fœminis, puerіſque Rhotomagenſibus in more fuerat, extra portas in ſuburbanis hortis euagari, herbas, & gramina ſumma ſecuritate carpentibus. Qui enim ſtationibus præerant, hoſtium duces, eam licentiam vel ætati, vel ſexui condonabant Gallica comitate. Semel contigit, vt quidam è plebe militum agreſtiores, poſt iactata in puellos errabundos conuicia, etiam pilarum nimbum effunderent. Inurbanis dictis, factiſque plus irarum, quàm terroris iniectum eſt puſionibus, animique in vltionem accenſi. Fundas illico eductas è ſinu (ſua enim arma vt in loca ſuſpecta detulerant) lapidibus onerant, procur-

Prolapsũ murum reparare conantes obſeſſos Rex ingẽti clade mulctat.

Pueri vrbẽ egreſſi animi cauſa, & ab hoſtibus impetiti ſe fundis tuentur, donec præſidiarij certamen dirimunt.

rentibuſque in campum viris armatis, pueriles globi, haudquaquam audaciâ impares, in occurſum ſubeunt. Velitationi miſsilibus diuerſiſsimis vtrinque feruenti, præſidiarij è Cauchienſi propugnaculo quà pilis, quà verbis mordacibus intercedunt. Irridere nouos Hercules cum Pigmeis congreſſos, indecoro certamine, ſeu triumphum, ſeu cladem maculaturos. His facetijs magis, quam telis abſterriti Nauarræi dirimunt pugnam; pueris, quod prior acie ceſsiſſet hoſtis, de virtute ſibi conceſſum gloriantibus. Quare, tamquam victores peana canentes, fundiſque iocculariter concrepantes, in vrbem redeunt. Alteri ludicro ſub initium, in fine, cruentiori certamini, occaſionem præbuerunt fœminæ. His enim per hortos, vti memoratum eſt, pererrantibus, cùm ludibundi milites moleſtiam per blanditias exhibuiſſent, poſtera luce imberbes iuuenculi, ſequiorem ſexum habitu ementiti, gladijs intra tunicas reconditis, muliebrem circumuagandi conſuetudinem imitantur. Cùmque heſterni milites eâdem accederent petulantiâ, vt delicias facerent; illi matronalem verecundiam fingere, ad vrbem timidè referre pedem, atque inſecutos hoſtes propiùs mænia ad ictum tormenti ſenſim perducere. Tunc momento vno, & à muris in

Imberbes milites, fœminas ementiti, caſtris hoſtilibus ſuccedunt, & obſeſſoribus blanditias facientibus vulnera, & cædem reponunt.

Nauarræos pilarum tempeſtas effunditur, & perſonas imbelles exuti ſtrenui iuuenes, inſtantes fugæ ſuæ proteruos amatorculos aggrediuntur. Qui eminus globulis, comminus gladijs transfixi non pauci concidunt, complures vulnerantur, cœteri in fugam ſe conijciunt attoniti, miranteſque: quinam ſub amictu degeneri noui Achilles? A faceſſendo fœminis negotio deinde ceſſarunt, cunctaſque tamquam Amazonio genere prognatas, ex longinquo venerabantur.

Dum vrgendæ Rhotomagi obſidioni Rex Henricus operam dabat, exercitus Fœderatorum vigilantiæ Gubernatoris Villarij, & fortitudinis propugnatorum ſecurus, otio, atque annona de Belgio aduecta in finibus Normanniæ ſe recreabat; Bellicis certaminibus conſultationes togatorum ſucceſſerant, Legatis Hiſpani Regis Didaco Ibarra, Ioanne Baptiſta Taſsio, & Ioanne Richardoto cum Mainei Ducis conſiliarijs Petro Iannino, & Nicolao Villaregio, alijſque aliorum Principum miniſtris, de re publica diſceptantibus. Nam Didacus Ibarra Philippi ad Gallos Fœderatos Orator negabat, Hiſpanum Regem vltra laturum ſumptus immanes, quos pro Sancto Gallorum Fœdere prodigere cogebatur. Idem Romani Pontificis nomine Philippus

Dũ Rex Rhotomagi obſidionem iterum vrget, Fœderati in hibernis ſe reficiunt.

pus

pus Cardinalis Sega Pontificius Legatus denuntiabat. Cùm itaque res Rhotomagi arctior in dies fieret, caſtra mouere, opemque ferre vrbi laboranti recuſabant Hiſpani, niſi comitijs per Galliæ prouincias indictis, electionis propinquæ ſpes affulgeret.

Laborãti Rhotomago ſubſidia ferre negant Hiſpani niſi electio maturatur.

Circumuentus his neceſſitatibus Dux Mainei, quamuis ab inauguratione noui Regis, tamquam à funere ſuæ dignitatis abhorreret, quod extorquebatur inuito, munus facere ſuum occupauit, treſque Regni ordines Clerum, Nobilitatem, & Populum conuocauit, vt per delegatos adeſſent ad comitia, quæ in annum proximum celebranda Lutetiæ Pariſiorum indixit. Hæc verò licèt paucis ab obitu Farneſij menſibus alio peracta ſint exitu, quàm ſperabatur à Fœderatis, ſi ſummus ille vir interfuiſſet: noſtri tamen muneris eſſe cenſeo, qualia fuerint ſuper his Parmenſis iudicia, quæ ſententia Hiſpani Regis, quanta competitorum ſtudia, altiùs ducto principio, commemorare; quantum cognoſcere licuit partim ex triumuirum Hiſpanorum literis cum Farneſio communicatis, partim ex Philippi Règis reſponſis cum fide proditis.

Maineus neceſſitate compulſus indicit Regni comitia in annum proximum.

Poſteaquam Hiſpanos Fœderi ſancto innexos Catholici Galli habuere, vt aliquo extraordi-

ordinarij honoris illicio, propiùs eorum vires atque opes partibus adiungerent, de collocanda in Philippi Regis tutelam Gallia aliquoties conſultauerant. Neque Regis adminiſtris, cùm ſpecioſum videretur, ſub vmbra potentiæ Hiſpanæ latere Gallicam gentem olim imperij æmulam, diſplicebat hunc quaſi gradum ad ſpes altiſſimas iacere; ſed obtentu modeſtiæ cupiditatem velabant, tamquam ſub hoc titulo minore inuidia explicanda eſſent in Gallijs Hiſpana ſigna. Inde Maineus Fœderis caput, cum Moreo congreſſus in arcano colloquio pollicitus erat, duo ſe potiſſimè in Regni comitijs perfecturum: alterum vt Carolus Borbonius iam pridem à Fœderatis tumultùariè Rex acclamatus, rurſus prouinciarum ſuffragijs legitimè deligeretur in Regem, quo ius Borboniæ domus ad Franciæ Regnum, eâ inductâ ſuffragiorum libertate antiquaretur: alterum vt patrocinio Regis Hiſpani, tamquam propugnatoris Catholicæ Religionis in Gallia, ſe Fœderati vnanimi conſenſu ſubijcerent. Inſequenti anno, Maineus Cameracum, inde Condeum ad Parmenſem profectus, ipſe, & Cameraci Gubernator Balamius, tum reliqui vicinarum ciuitatum Præfecti Cameracum acciti, ſeſe effecturos adiecto iure iurando

Conſilia Fœderatorum de Hiſpaniæ Rege in patronũ Galliarum deligendo.

Et de abolendo iure Borboniæ ſtirpis ad coronam.

do

do receperunt. Mortuo autem Borbonio Cardinali, quem Carolum Decimum appellatum diximus, ijdem rurſus confirmarunt iurati, neque Nauarrum, neque alium quemlibet à Catholica Religione alienum, ſe in Regem Galliarum admiſſuros.

Atque ea quidem ſtudijs tantò acrioribus agitabantur, quantò, per interregnum calente de Comitijs ſermone, Proceres opibus inſignes, & ſanguine ſpes quiſque ſuas ardentiùs ad ſolium, quinque præ cæteris Caroli promouebant. Nam Carolus Lotharingiæ Dux, familiæ Princeps, qui ſororem vltimi Galliæ Regis Claudiam in coniugio habuerat, filium ex ea ſuſceptum Marchionem de Ponte præponendum omnibus exiſtimabat. Quippe qui de matre Valeſia Regij ſanguinis maieſtatem, de patre Lotharingię Duce ſummam inter gentiles Principes dignationem deriuaret. Accedebat & magnus Etruria Dux Ferdinandus Caroli gener, qui pro affine ſuo apud Romanum Pontificem, apud Germanum Cæſarem, & apud Hiſpaniæ Regem operam interpoſuerat. Et Carolus pariter Mainei Dux ex Lotharinga quidem familia, ſed in Galliam translatá, Guiſiáque deinde dictá, vt erat Fœderis caput, & interregem agebat, tot exhauſtis pro

Competitores Gallici regni

Quinque Caroli.

Carolus Lotharingiæ Dux pro filio Marchione de Pōte laborat.

Carolus Dux Mainei paternis, fraternis, & ſuis meritis potentia inſuper factionis Catholicæ nititur.

pro Fide Orthodoxa laboribus ærumniſque, potentiâ inſuper factionis, & conſpirantibus Fœderatarum ciuitatum votis nitebatur. Neque ceſſabat in tanto rerum cardine Carolus Guiſius Henrici filius, familiæ Guiſiæ caput ſe oſtendere, cum viua imagine, merita præferens genitoris bellicis palmis, aſſertaque Catholica Religione præclari; quem vnà cum fratre Cardinali, Henrici III. iuſſu atrociter obtruncatum, deſideria Galliarum miſeratione aucta chariorem fecerant. Extra Lotharingam Domum Carolus Cardinalis Vindocinus iura Borboniæ gentis præferebat, cuius ipſe, poſt obitum patrui Cardinalis, Regiſque inter Catholicos primas tenebat, dicique Cardinalem Borbonium exinde voluerat. Is verò Summi Pontificis, & Collegarum Cardinalium ſtudijs in vrbe Roma, in Gallia inſtituti nouiſſimè Fœderis fauore ſubnixus, in ſuum caput recidere diadema Francicum contendebat, ſi quando de patruelis Nauarræ Regis fronte propter hæreſim deturbaretur.

Carolus Guiſiæ Dux Henrici filius grata patris memoria, & fauore populari commẽdatur.

Carolus Card. Vindocinus Salica lege, iure Borboniæ ſtirpis, & fauore aulæ Romanæ nititur.

Carolus quoque Emmanuel Sabaudiæ Dux, iam pridem Fœderatis iunctus amicitiâ, belloque, quod in Delphinatibus aduersùs Hugonotos gerebat, occupato in Italia Salutiarum Principatu, & in Prouincia Maſſilienſi vrbe, tractuque, ſu-

Carolus etiam Emmanuel Sabaudiæ Dux Regnum Frãciæ ambit fretus potentia ſoceri Hiſp. Regis & aliquot Galliæ prouincijs occupatis.

ſublimes & ipſe ſpiritus ad Gallicum ſolium attollebat. Borbonijs quippe omnibus, propter hæreſim, cui palàm militauerant, excluſis, Lotharingos vt impares ceſſuros putabat ſibi, præter proprias opes, gratiâ ſuffulto, & potentiâ ſoceri Hiſpaniæ Regis; Regium inſuper genus trahenti de matre Margarita Regis Henrici II. ſorore, alijſque pluribus Regijs nuptis in Regales Allobrogum Ducum thalamos tranſgreſſis.

Quin & Alphonſum Ateſtinum Ferrariæ Ducem, cuius è ſorore in Gallijs Guiſij, & Nemoroſij fratres geniti fuerant, aggregare tam ſplendido competitorum collegio Dux Mainei haud perfunctoriè conatus eſt. Cùm enim Alphonſum inter candidatos Polonici regni nomen dediſſe conſtaret, non ineptè conijciebat, multò cupidiùs ad Francicum ſceptrum magnanimas curas erecturum. Miſſis itaque literis, legatiſque Liſirienſi Epiſcopo, ac Portij Domino, ſuam in id operam, & propinquorum Principum detulit, cum Nemoroſiæ Matris, & filiorum, tum Guiſiæ, Aumaliæ, ac Ellebouij Ducum. Optabilem cenſebat Gallis hunc Principem, inter Italos Regulos, neque ſanguine, neque imperio aſpernandum, congeſtæ pecuniæ theſauris & multâ prudentiæ famâ venerabilem;

Alphonſum Ferrariæ Ducẽ ſanguine iunctum, ad ſpem regni Gallici miſſis Legatis inuitat.

Galliæ commoda ex hac electione.

lem;

lem; præter ingentem auri vim, quæ de vendita, vel oppignerata ditione contrahi poſſet, vbi Ferrarienſem Ducatum Gallico Regno mutaſſet. Illud verò priuati commodi aucupabatur inde Maineus, quod, cùm Eſtenſis Dux fratre, ac liberis careret, ſe illi vt ſororis filium, atque authorem imperij, præcipuum in regno quoad viueret fore, & poſt mortem ſucceſſorem futurum ſperabat. Vnicam tantùm, & modicam, pro grandi ſpe oblata, mercedem centum aureorum millia in præſens depopoſcit. Renuit fallacibus ambitionis incantamentis aures iterum præbere Ferrarienſis. Seu ſatis huiuſmodi ſpei vanitate deluſus iam ſemel, ſeu quòd ad bellum veriùs, quàm ad Regnum inuitari ſe crederet, aduersùs inuictum Regem, inter gentes martiales; quò videlicet rebus præſentibus, tranquilliſque, futura incerta, & tumultuoſa præponeret. Cùm itaque aſſenſum de Regno præcisè negauiſſet, de pecunijs haud negauit. Sed promiſit eâ ſe conditione daturum, vt, quotquot erant in Gallia propinqui Principes, in Rege ſui corporis deligendo vniuerſi conſentirent. Ateſtinæ domui communione ſanguinis æqualiter iunctos, nolle inæquali officiorum comunicatione diſcernere. Excepto itaque Ferrarienſi, cæteri, qui Regiam

Commoda ipſius Mainei.

Pecuniæ modicum pro ſpe tanta poſcit.

Abnuit ambitioni ſeruire Ferrarienſis.

Sed pecuniam dare non abnuit, ſub certis conditionibus

Francorum Purpuram affectabant Principes, ad Philippum Hiſpaniæ Regem, eiuſque adminiſtros cultum, & obſequia conuerterant. Diſſimulanter Hiſpanorum ſtudia in ſuum fauorem allicere, illos de Regis electione crebrò ſermonibus conſulere, apud eoſdem prædicare ſingularem Philippi Regis pietatem, pro collatâ, in defenſionem Catholicæ per Gallias Religionis, Hiſpanâ pecuniâ, & ſanguine, decorari Gallico ſceptro meritam; atque ita concertatione humanitatis callidè inductâ, officia ſerere, vt beneficia meterent, Regnumque, ſpecie offerentium, acceſſerent. Nec iſthæc Principum Gallorum aſſentatio, arte deprehenſâ, diſplicebat Hiſpanis, inter falſas blanditias, obſequio vero gaudentibus.

Competitorũ regni Gallici in Hiſpaniæ Regem obſequia.

Cui Regnum offerunt, vt ipſi accipiant.

Haud tamen ſatis inter ipſoſmet Regis miniſtros conueniebat, quiſnam competitorum anteferendus videretur. Alexander in Mainei Ducem pronior ferebatur, quem ſciret apud Fœderatos Gallos plurimum poſſe, crederetque Hiſpaniæ Regi præ omnibus fidum; cùm in priuato colloquio aſſeuerantem audiſſet: Se nemini libentiùs Gallici Imperij gubernacula traditurum, quàm Philippo Hiſpaniarum Regi; quando is vnus cum in Francia, tum vbique terrarum, Fidei Catholicæ dignitatem ſartam, tectamque

Hiſpanorum ſtudia in competitores variant.

Alex. in Mainei Ducem propendet.

præſtare vellet, & poſſet. Qui ſi abnueret; ſe pro perpetuo Guiſiæ domus obſequio, ſtudioque ſuo erga Catholicam maieſtatem petere, ne ſibi in conſeruanda veteri religione laboribus paternis, fraternis, & ſuis reliquos omnes antegreſſo, præripi à quoquam meritorum tantorum pretium pateretur. Spondere autem, ſi auxilijs Hiſpanicis fultus in ſolium Gallicum ſcanderet, Burgundiæ Ducatum Philippo Regi; miſſo interim in Aulam filio, re quidem pro obſide, in ſpeciem verò, vt cum Hiſpaniæ Principe educaretur. At Bernardinus Mendozza Philippi Regis Orator, propter diuturnum rerum Gallicarum vſum, in explorandis eius gentis ingenijs, & voluntatibus longè callidior, expeditius factu, & fructuoſius fore diſſerebat, ſi Cardinalis Vindocinus Hiſpanis auxilijs ad regnum veheretur. Eſſe illum ex Borbonia gente, ad quam extinctis cum Henrico III Valeſijs, legitimæ ſucceſſionis iura migrauerint. Neque facilè Regem aliunde quæri, apud populos Salicæ legis tenaciſſimos. Quos, Nauarro propter Hæreſim repudiato, in complectendo Vindocino Cardinali integræ Religionis, viam inſtituros, quâ ſimul Diuinis, humaniſque legibus obtemperarent. Immo, cùm idem Vindocinus à Nauar-

Bernardinus Mendozza in Card. Borbonium.

Nauarræis partibus aduerſus Guiſios, & Fœderatos in bello ſteterit, Hæreticos planè non recuſaturos de eo Rege ſuſcipiendo, quem, ſi minùs erroris, factionis certè, armorumque ſuorum ſocium habuerint. Quod ſi repugnarent, atque à Nauarro, quem iam Regem Galliæ dixerant, non recederent, eodemque tempore Catholici proceres, ope Hiſpanorum adiuti Vindocino coronam imponerent, ſanè diſſecto inde, factoque bicipite Regno, non modò minus negotij facturam Hiſpanis in poſterum extenuatam imperij Gallici molem, verùm etiam ex duobus Regibus, alterum Regni ab Hiſpanis accepti memorem, conſeruandique per eoſdem indigum, perpetuò clientem Auſtriacæ potentiæ fore: alterum vt hoſtem obruendum bellis, principatu vel ad Hiſpanam magnitudinem aduoluto, vel, ſi abſtinentiæ quæreretur gloria, in paruas ditiones diſſipato, quæ minutis Regulis animos nequaquam facere poſſent ad rebellandum.

Taſſius in Marchionem à Ponte.

Addebat Mendozza quod & Taſſio probabatur, ſi Fœderatis fixum ſederet, immotumque omne Borbonium nomen arcere à culmine Galliarum, neminem apparere, qui plus iuris, quàm Lotharingiæ Ducis filius, Regij ex matre generis afferret ad coronam.

De

De his autem quæ, vti memoraui, & offerebantur Regi à Fœderatis, & Regis nomine ab eius adminiſtris cum Fœderatis agitabantur, certior factus accuratè Parmenſis, à cuius armis Fœderatorum deſignationes, & conſilia pendebant, compendio complexus Triumuirûm Hiſpanorum acta, cuncta referebat ad Regem in hanc ſententiam: Ex ijs, quæ tam ex Regijs miniſtris, quàm ex Fœderatis Gallis, aut coram, aut per nuncios, literaſque cognoſſet, tres monſtrari vias, quas in deſtinatis comitijs Gallici Regni, ad Regem deligendum inſiſtere liceat. Primam apertam, & planam, ſi Maieſtas Hiſpana, qua nemo certiùs, magnificentiùſque bono Religionis, & regnorum conſuluerit, capaciſſimam frontem Gallico inſuper diademate exornet. Ita ſibi videri præ cæteris, idem ante omnes Gallos ſentire Maineum, quem affirmantem audierit, præclarè ſe de Chriſtiana Republica meriturum, ſi operâ ſuâ effectum daret, vt duo maxima, potentiſſimaque Europæ Regna, vnâ Philippi mente librarentur. Atque inde, Mehemeticâ ſuperſtitione, cum hæreſi profligatis, arbitria rerum humanarum ſolùm vera Religio gereret. Sin abnueret Catholica Maieſtas, nouam rerum molem aggerere capiti ſuo, ſolis Orientis, Occiden-

Alex. compendio cuncta cōplexus in literis Regi exponit.

dentiſque diadematis prægrauato, ſecundo loco Cardinalem Vindocinum offerri, eas ob cauſas, quas & Mendozza literis aperuerit, & Vindocinus ipſe per Legatum, quem in Hiſpaniam miſerit, abundè ſit declaraturus. Ad vltimum Lotharingos Principes, tum vetuſtam Caroli Magni, & Regum Hieroſolymitanorum claritudinem, tum recentia in Catholicam Religionem promerita, ad accerſendam Regiam Francorum Purpuram, oſtentare. Siue deligi placeat Marchionem de Ponte, Lotharingiæ Ducis filium: ſiue ex Guiſijs Mainei Ducem; illum familiæ principatu, & ſplendore Regij de matre generis; hunc potentiâ factionis, & ſtudio erga domum Auſtriacam, connitentes; ſiue etiam Guiſiæ Ducem, tum ſuæ probitate indolis, tum paternâ in primis gratiâ, per legationem quoque à Pariſienſibus in Hiſpanias inſtitutam, Maieſtati Catholicæ commendatum. Plus iuris ad regnum apparere in primo, plus facultatis in altero, in poſtremo plus beneuolentiæ publicæ, atque auræ popularis. Super his, alijſque, ſi aliorum habenda ſit ratio (addebat Farneſius) præſtolari ſe Regis imperium, vt, quidquid ipſe mandaſſet, eò prouocatis miniſtrorum conſilijs, manibuſque aut tranſigendo conficeret, aut bellando.

Ad

Ad omnia, & ſingula reſpondiſſe Rex fertur, altiori orſus principio: Mediæ, atque infimæ ſortis homines perſequi quod ex vſu ſit ſingulorum: Summos mortalium, æmulatione Diuinitatis, in publica commoda intendere. Ex quo Hæreſis infeſta habuerit regna Galliarum, ſub tribus Valeſijs Regibus Franciſco, Carolo, Henrico, ſe Catholicæ Religioni difficillimis temporibus adfuiſſe; nullo impenſarum, & ſanguinis reportato, ſed neque quæſito emolumento. Pari animo in poſterum per ſuos Duces, & exercitus eniſurum, vt à Chriſtianiſſimo regno hæreſim arceat, vnis contentus pretijs conſcientiæ, bonæque famæ. Nolle proinde ſuis ab adminiſtris quidquam moueri, pro Galliæ regno ſibi, quantacumque ob merita, deferendo. Quamquam ſi Mainei Dux operam ad regnum offerat, iure offerat haud ignarus, quę ipſum circumſtant agmina, Hiſpano ſtipendio conducta militare. Verùm plus fucati, quàm ſinceri in Mainei magnificis oblatis deprehendi. Fœnerare illum officia ſua, & offerre regnum, vt accipiat. Nam, qui ſummâ ſemper diligentiâ cauerit, ne vllam in Galliæ arcem Hiſpanorum præſidia inducerentur, quàm procul eum abſore ab Hiſpana dominatione per Burgundiam, vel Norman-

Reſponsũ Regis plenum dignitatis.

Qui Maineum reprehendit vt minus ſyncerũ

niam, ne dum per vniuerſam Galliam propagandá? Suá itaque deludendum arte luſorem vt, quod verbo tenùs largitur ſceptrum, tale viciſſim redonatum ſibi habeat. De Cardinali Vindocino, non tam ſpectandum quid factu expeditius, quam quid Regno, & Religioni conducibilius. Eius quippe pueritiam fuiſſe ſuſpectam, inter Caluinianos educatores adultam. Iuuentam Catholico, & Purpurato actam inter bella ciuilia, in propugnatione Regiarum partium, aduersùs Fœdus Sanctum Catholicorum. Hoc vt vitio non imputetur, num laudi dandum quòd, pro patruele Hæretico Benearniæ Principe, contra patruum Cardinalem, quem Catholici Regem dixerint, in caſtris Hugonotorum armatus ſteterit? In Lotharingos igitur, Guiſioſque, qui, ſicut vno è fonte ſanguinem, ita Catholicæ Fidei communem amorem hauſerint, inclinare ſe meritò ſtudia, propterea quod, ijs Galliæ imperitantibus, haud dubiè ſit regnatura Religio. Inter hos autem, Marchionem de Ponte potiorem videri, vt Lotharingæ familiæ caput, Regijque de matre generis: affinem inſuper magno Ethruriæ Duci, eiuſque, ac Sixti Pontificis, & Maximiliani Cæſaris commendationibus fultum. Cuius ætas, & experientia minor, cum amicis

Cardinali Borbonio ſuccenſet ob pueritiam eductam inter Caluinianos.

Et ob iuuentã in caſtris Hugonotorũ actam, contra Patruum Cardin. &c.

Propendet igitur in Lotharingos propter ſtudium religionis,

Ex Lotharingis Marchionem de Ponte magis probat,

cis Hiſpanorum conſilijs relinquant locum, tum aditum Duci Maineo, primas apud nouum Principem obtinendi, ſupremumque armorum regimen continuandi. Quo laborum pretio ne excidat, poſt conclamatam ſpem Regni, vir ſummæ inter Fœderatos authoritatis, non decori modò, & æquo, ſed commodis quoque congruere futuri Regis. Eadem fermè Philippus ad Hiſpanos adminiſtros Lutetiam ſcribens, vt in exemplis ad Farneſium tranſmiſſis legitur, addit ad vltimum, in promouendo Lotharingiæ Ducis filio, illud caueant; ne Ducatus in vnam molem cum Franciæ regno coaleſcat; ſed ſecundò geniti fratris, eiuſque poſterorum iuris fiat.

Cum eo tamen, ne Ducatus Lotharingiæ Gallici regni acceſſio fiat.

Talis, biennio ferè ante comitia, ſuper deligendo Franciæ Rege, Regis Hiſpani ſententia fuerat; quam deinceps noua conſilia pro rerum nouitate variarunt. Nam Galliam feliciter bis ingreſſi ſub Alexandro Duce Hiſpani exercitus, ad Lutetiam, & Rhotomagum liberandas, tum plerique Gallorum proceres, & gubernatores prouinciarum Hiſpanico ſtipendio authorati, eò fiduciam prouexere Regis, vt Infantem Iſabellam filiam admitti poſtulauerit in Galliæ Reginam, aut iure ſanguinis, vti genitam ex Iſabella Valeſia ſorore natu maxima poſtremi

Poſt biennium & amplius noua conſilia Regis Hiſpani.

Qui Filiam Iſabellam Reginã obtulit Gallis ipſis, ne dum Hiſpanis optantibus.

Regis, aut iure electionis, per libera ſuffragia delegatorum à tribus Ordinibus Regni; aut vtroque titulo, ad ampliorem cumulum, conſociato. Hiſpanæ verò Infantis ad Gallicum ſceptrum deſtinationem, non magis Hiſpanis proceribus placere, quàm Gallis, horum teſtificationibus, vltroque delatâ operâ Rex intellexerat.

Rationes propter quas ab Hiſpanis expetitur.

Et Hiſpani quidem, præterquam quod apponebant lucro, quod Salicæ legi eiuſmodi facto derogaretur, Galliæque populi iura paulatim, & mores aliarum gentium induerent in fœminis ad ſucceſſionem aduocandis: in ſpem non abſurdam venerant, cum Hiſpanienſi Regina gentilem ornatum, aulam, comitatum, arma, dominationem denique inductum iri. At Galli Principes, ad Infantis Auſtriacæ nuptias ampliſſimi regni poſſeſſione dotandas, generoſa vota ſuſtulerant: Lotharingiæ, ac Mainei Duces pro ſuis liberis, pro ſe quiſque Cardinalis Borbonius, eiuſque gemini fratres Sueſſionum Comes, & Contij Princeps, tum Guiſiæ Duces, ac Nemoroſij. Hi licèt ſinguli occulta inter ſe ambitione diſſiderent, vniuerſi de Hiſpana Infante Gallico ſolio imponenda conſentiebant, cum eo tamen, vt ſponſum in Gallia quæreret, quem intra anni ſpatium tori ac regni conſortem acciperet. Cùm autem

Cur expetitur à Gallis & quibus conditionibus.

Vt ſponſum in Francia quærat, cui nubat intra annum.

Ibarra ſponsũ externum proponit qui cõmuniter repudiatur.

autem Didacus Ibarra ad periclitandum, quid pati poſſent Gallorum ingenia, in ſermone ieciſſet, Archiducem Erneſtum, aut Albertum Filiæ ſponſum ab Rege deſignari, protinus Lotharingæ familiæ Principes, qui iam Galliæ ſceptrum Hiſpanæ Infanti annuerant, de ſponſo, & Rege externo in Galliam non recipiendo coniurarunt. Vnus Guiſiæ Dux communi deliberationi, quamuis patruus Dux Mainei vehementer inſtaret, ſubſcribere noluit, ſub obtentu conſulendæ ante matris. Tantum verò per hanc detrectationem inijt gratiæ apud Regis miniſtros, ijſque conciliantibus apud ipſum Regem, vt, in comitijs poſtea celebratis, Carolum Guiſiæ Ducem Infantis filiæ ſponſum, & Galliæ Regem proponi voluerit, non ſine offenſione Mainei, & aliorum Principum, ob ſingulorum ſpes eluſas, & vrentem acriùs propinquos æmulationem. Verùm iſthæc aliquot menſibus à Farneſij obitu contigerunt. Nam eo viuente fauorem Hiſpani de induſtria in plures diſpenſabant, vt ſpe tanta deuinctos omnes haberent, & obnoxios.

Quin Dux Mainei Parmenſis monitu, vt conciliata ſibi Philippi Regis voluntate, gradum filio pararet ad Regales nuptias, in cõcilijs procerum vtriuſque gentis, quæ in caſtris Fœderatorum fre-

Maineus vt gratificetur, Philippo Regi ſermonem infert de Infante in Galliæ Reginam eligenda.

Et fauorem promittit Senatorum in comitijs.

Conditiones propoſitæ in priuatis conſultationibus in publicis cõfirmandæ.

frequentabantur, ſermonem intulit de Infante Iſabella in Reginam Gallorum cooptanda, ſilere iuſſá pro ea die tantùm Salicá lege; mandauitque vt eius deſignationis conditiones in quotidianis congreſſibus expenderentur. Cùm exploratum habere ſe diceret, nec falsò (tantá erat apud Fœderatas ciuitates auctoritate) Senatorum ſententias, & ſuffragia, in publicis conuentibus, ab ijs non aberratura, quæ ſeorſum in priuatis ipſe,cum cæteris Fœderis Principibus conſtituiſſet.

Præcipuæ in conditionibus erant, vt Sereniſſima Infans ternis ab electione menſibus, ad capeſſendum Galliarum Imperium ingrederetur, circumſepta ſiue ad præſidium, ſiue ad pompam ſubiectarum gentium armis, viginti peditum, quinque millibus equitum,Hiſpanis, Italis, Belgis, atque Germanis. Ad hunc, aliumque Gallorum exercitum alendos biennio integro, quo bellum tantæ molis vix profligandum videretur, quinquies decies centena aureorum millia ærarium Hiſpanicum ſuppeditaret; atque ex his paulo minor dimidio ſumma ipſo electionis die, reliqua poſtmodum ratis penſionibus erogaretur. Præter centum aureorum millia ſingulis menſibus diſpertienda Mainei arbitrio, inter

San-

Sanƈti Fœderis Principes,aut præfeƈtos prouinciarum, & arcium. Quorum ſcilicet conſilio, aſſenſuque opus futurum recenti Reginæ, adoptandum ſponſum, & Regem pari auſpicio, impari iure regnaturum. Manſuro quippe penes infantem iure Gallici regni per eleƈtionem quæſito. Ne qua pars Galliæ à reliquo corpore abſcinderetur, in primis vetabatur. Ne præfeƈturæ, magiſtratus, ciuitatum, arciumque gubernacula mandarentur exteris, vt iura, leges, immunitates, priuilegia, maiorum inſtituta retinerentur. Hæc, aliaque id genus, Maineus, & proceres Galli ſe perfeƈturos, vt in Comitijs haberentur rata recipiebant, cùm Legati Catholi-
13.Mar 1592. ci Regis affirmarent ſe, datis in Hiſpaniam literis, Regiæ maieſtati pro conuentorum approbatione ſupplicaturos. Sed cùm in manus Nauarræorum literæ incidiſſent, ab his publicatæ ſunt ad faciendam Hiſpanis inuidiam, mendacijs aliquot aſperſis. Nos, quæ in autographis Farneſij deſcripta habentur, integra fide retulimus.

Literæ Hiſpanorum interceptæ vulgantur a Nauarræis.

Quadraginta interim fluxerant dies, ex quo poſt abitum ſocialium copiarum, Rex Henricus ad renouandam Rhotomagi obſidionem neruis omnibus incubuerat. Iam quotidianis certaminibus præſidiariorum, & ciuium ſanguis exhau-

Interea Rhotomagum arƈtiùs obſidetur.

ſtus fuerat, iam propter erectas in vtráque fluminis ripa geminas arces, annona in dies ingraueſcebat; neque ſuſpicio aberat, increſcentibus quotidie obſidionis malis, ne tumultus in vrbe vel proditio à factione Regis tentaretur.

Catholici Regiarum partiũ cum Villario agunt, vt Rhotomagum Regi dedat cum eo, vt ſe Rex Orthodoxæ Fidei reddat.

In hoc rerum articulo, qui ſub auſpicio Regis militabant primores Catholici, per occultas literas, nunciosque cum Rhotomagi Gubernatore Marchione Villario egere, ne ciuitatem Orthodoxæ fidei apprimè ſtudioſam exponeret manifeſto diſcrimini direptionis, & excidij, à Nauarræo exercitu, præter Hugonotos Gallos, maiorem partem Hæreticis Anglis, Batauis, Heluetijs, Germaniſque conflato: ſed authores Villario erant, vt Rhotomagum ad anguſtias redactum Henrico Regi ſub ea conditione traderet, modò ille priùs eccleſiæ Romanæ ſe, vt dignum D. Ludouici ſucceſſorem redderet. Cùm autem Villarius operam, quam rogatus fuerat, diligenter præſtitiſſet, Rege ad profeſſionem pietatis auitæ, ſimulque in poſſeſſionem vrbis prænobilis, quæ Normanniæ caput eſt inuitato; per idem tempus, eorumdem Catholicorum nomine Biro Mareſchallus Henricum vrgebat, vt ad maiorum tandem religionem reuerteretur; ad quam ſextum intra menſem ſe rediturum, interpoſito

Iidem; eodem tempore Bironium ad Regẽ mittunt, vt cõuerſionem ad Fidem Catholicam ſuadeat.

poſito

poſito iure iurando ante biennium fidem obſtrinxerat. Hortabatur, vt vnico immortali facto, ſibi viam ad regnum, & cœlum, populis ad pacem, & felicitatem panderet. Secus, à ſuis Catholicis deſertum iri minabatur; alijs ad Guiſiæ Ducem expetitum Hiſpano Regi, alijs ad Cardinalem Borbonium Duci Maineo approbatum tranſituris. Vt interim ipſe pulcherrimi Regni hæreditate deiectus, in Benearniæ angulo, cum ſuis Hugonotis inglorius deliteſceret.

In hunc modum à duobus eximijs Ducibus per ſpem, metumque oppugnatus, nutauit aliquamdiu Henrici animus. Cùm tamen ex altera parte Britannica, & Germana ſubſidia fiduciam facerent Rhotomagi, vel inuito Villario, expugnandi, in rebus dubijs, æſtuque cogitationum, nil innouandum cenſuit. Sed Villario reſpondit vt ſubiratus: ſe Religionis mutationem pretio non vendere, hoſti vtique & perduelli. A Bironio autem, Regiæque factionis Catholicis procraſtinandi veniam deprecatus eſt; ne cogeretur diſceptationibus de Religione aures dare, inter claſſicorum ſtrepitus, ac tormentorum.

Cum dubius aliquamdiu Rex fuiſſet in preſenti nil immutandum ſtatuit.

Villario duriùs reſpôdet.

Bironio & proceribus Catholicis quam mitiſſimè.

Repulſam Regis, prorogatamq; cum Apoſtolica Sede reconciliationem periniquis animis tulere Catholici proceres. Quare in horto caſtris

Hi pertinique ferunt Regis dilationem.

proximo clam ad conſiliũ congregati, differendam & ipſi Rhotomagi deditionem ſtatuunt, neque committendum, vt Catholica ciuitas, Catholicorum armis, Hugonotico iugo adigatur, cum ingenti Religionis in preſens tempus, futurumque pernicie. Villario itaque monito, vt incolumitati creditæ vrbis alia ratione conſuleret, mille quingenti Catholici equites, cauſati ſumptus & tædia belli repentè domum redeunt, inconſulto Rege. Qui ſtatim poſt eos vnum, alterumue, amicorum legauit, ad ſuadendum in caſtra reditum; ſi fruſtra id eſſet, vt abeundi poteſtatem ampliſſimam facerent. Nec inutili conſilio; ne à repetenda poſtmodum priſtina in Regijs caſtris militia, verecundiá prohiberentur.

Quare impedita deditione Rhotomagi.

Equites 1500 Regem deſerunt non petito commeatu.

Quos fruſtra Rex in caſtra reuocare contẽdit per amicos.

At Villarius omnia priùs mouere certus, quàm Rhotomagum in poteſtatem Hugonotorum tradere, Parmæ ac Mainei Ducibus per literas denunciat, niſi octauum intra diem ſuppetiæ ferantur, Rhotomagenſes de deditionis conditionibus acturos. Ea tempeſtate tam exercitus Fœderatorum, quàm Regius ad paucitatem militum venerant; attriti ambo incommodis belli, annonæ, atque hyemis maximè ſæuientis. Bis mille quingentos equites, & peditum nouem circiter millia, moturus caſtra Farneſius numerabat, Hiſpano-

Villarius auxilium à Parmẽſi depoſcit.

Status duorũ exercituum.

no-

norum legione, quæ præſidio Lutetiæ aderat, in itinere aggregari iuſsâ, equitibus quoque Gallis octingentis, quos è Campania Sanpaulus Tribunus collegerat. Cohortibus Farneſianis inferior erat virtute magis, quàm numero pedeſtris acies Regis; quam, præter communia tempeſtatis, & inopiæ detrimenta, non intermiſſus dies, noctesque circa obſidionem labor macerauerat. At quamuis multitudine equitum Regij ſuperarent (quinque millium ſummam conficiebant) haud tamen præſtabant vt olim robore. Germanorum enim equi prope tria millia, tam emaciati erant, ſtrigoſique ex penuria pabuli, vt laruæ, atque equorum nudæ effigies viderentur. Quandoquidem in brumæ, veriſque confinio, & veteres fruges abſumptæ fuerant, & nouæ nondum enatæ. Non minùs hoſtilis exercitus, quàm ſui difficultates Parmenſis tenebat, gaudenſque Fœderatos minoribus malis vrgeri, cùm hos in hybernis menſtruo cibo, atque otio refeciſſet, quarto Kalendas Maias Rhotomagum profectionem indicit. In alterutrum ſcilicet animum comparauerat, aut Regios in caſtris circa vrbem hærentes adoriri, aut deſcendentibus in æquum, vltimæ dimicationis diſcrimen offerre. Ea propter militaribus impedimentis Hedini de-

Alexãder gnarus minoribus difficultatibus vrgeri ſuos milites, Rhotomagum verſus exeunte Aprili mouet.

depoſitis, iter Normanniam verſùs ingreditur, cibaria præparata in octo dierum ſpatium trahens.

Stipendij defectu, ſub profectionis tempus tumultuãtur Heluetij.

Motus Heluetiorum in ipſo profectionis articulò exortus, Imperatoris arte componitur. Heluetij pedites, qui Pontificio ære merebant ſupra tria millia, niſi acceptis ante ſtipendijs iter capeſſituros negabant; aberatque Pontificiæ pecuniæ quæſtor Præſul Matteuccius, ſiue caſu, ſiue ex iracundia: quoniam, cùm eſſet ingenij præfracti, ſæpe numero in ſenatu bellico, diſcrepantiam ſententiarum, occaſionem altercationum faciebat. Acceſſit incrementum diſſidij, ex iniuria militum. Qui per eius abſentiam tabernaculum ingreſſi, ſupellectilem omnem diripuerant. Cuius facinoris vltio nulla cùm ſumeretur (furibus nempe fugá dilapſis) fauiſſe contumeliæ ſuæ Duces Fœderatorum, quia non vindicauerant, interpretabatur. Percrebuerat autem inter Fœderatos fama fortaſſe non vana, Heluetios ad defectionem ſollicitari à ſuis popularibus, qui militabant in caſtris Regijs; ne videlicet contra Galliæ ſceptrum, cui vetuſtis fœderibus vniuerſa gens erat illigata, arma portarent. Eò itaque ſollicitiùs, ne cauſa quærentibus præberetur, huic ſedandæ commotioni Farneſius inſtitit. In caſtra Heluetiorum circumſeptus comitatu Ducum,

Alexãdri prudẽtia ære Hiſpanis debito motum compeſcit Heluetiorum.

cum, & Principum, venit. Tum verbis exiſtimationis, & beneuolentiæ plenis, munificentiam factorum adiungens, imperat Heluetijs à Regis Hiſpani quæſtore pecuniam ſolui, quæ ſtipendio Hiſpanarum legionum reſeruabatur, aureorum millia quadraginta. Neque Hiſpanos ab alienauit ea Ducis fiducia, de imperatrice natione concepta. Seu quòd glorioſum putarent, priuatam vtilitatem vrgente neceſſitate poſt Regiæ maieſtatis commoda habuiſſe, ſeu tanta in Imperatorem charitate flagrabant, vt, quemadmodum ſanguinis, ita & fortunarum arbitria illi permitterent.

Pacato tumultu, Farneſius, iter iam diu ſibi obſeruatis diligentiâ ſummâ regionum tabulis meditatum, exploratumque per ſpeculatores frequenter immiſſos, Rhotomagum dirigit; eò ſecurior hoſtilium copiarum, quo minùs rediturus tam importuno tempore credebatur. Aggreſſus eſt vias vernis imbribus lubricas, crebriſque aquis torrentibus inexplicabiles, quatuor inſuper ingentia flumina tranſiturus. Quamobrem humanam excedere fidem viſus eſt, qui Henrico Regi nunciauit: triginta leucarum iter, quod Alexander vſus pridem tempeſtate mitiori, pluribus diebus confecerat, quaternis poſtea ca-

Alexãder vias probè exploratas, quantumlibet difficiles ſummâ celeritate percurrit.

caſtris per ſummas hyemis, & viarum difficultates, cum exercitu decurriſſe. Quæ ſanè inaudita celeritas, etiamſi cuncta expeditiſſima eſſet nactus, miraculo foret. Singularis copiarum labor, & periculum eminuit in Somonæ alueo prope oſtia maris, inter Crotoium, & S. Valerici fanum traijciendo: Blancas tacas indigenæ locum appellant. Vbi fluminis in duodecim ſtadia patentis vndæ, æſtu oceani reciprocantis illiſæ, ſpumis albicantibus, marinos fluctus imitantur. Quo tutius vadum porrigebat interminata laxitas amnis, eo grauiorem terrorem afflabat ſpecies quædam vaſti maris; de magnitudine periculi ſolis oculis iudicantibus. Neque militares viri verſari vulnera inter, & cædes aſſueti lethum horrebant, ſed lethi genus deforme, inglorium, nullo diſcrimine ignaui, ſtrenuique: per quod abiectiſſimus lixa, fatis egregij bellatoris æquaretur. Eumdum inter exæſtuantes aquarum vortices, ad acceſſendam ferro mortem, per vada cœca, infida, ne mortem quidem fugientibus adeunda. Præludium pugnæ fore luctam cum elemento, quod momento eodem necem ingerat, & ſepulchrum. At quorſum loricas pectoribus, capitibus galeas, gladios dexteris datos? An vt ijs incurſum vndarum ſubmouerent, retunderent, iugularent fluctus

In ſuperando Somona flumine latiſſimo difficultas.

Militum tranſire flumen abnuentium voces deſperabundæ.

ctus inſilientes? Quin aduerſarios pares, mortalibus mortales, non elementa, rerumque naturæ partes obijcerent, quos impugnare hoſtes, quos cædere liceret, queis vt infligere, ſic & accipere vulnera mos eſſet, quorumque fortitudini ſi fatum deberetur, ſolatium cladis haberent, hominum manibus perijſſe. Has vulgi deſperantis voces, per Duces compeſcuit Alexander, obiurgando, monendoque: Quoties in Belgio flumina, quoties maria inuiolati tranſierint? Num alterius naturæ eſſe crederent fluuios, fluctuſque Gallicanos? qui paucis exploratoribus peruij, calcari ab exercitibus abnuerent? Niſi fortè per ſummam temeritatem prouidentiæ Imperatoris, inconſiderantiæ crimen impingerent? tamquam inexploratò in voragines cœcas, & inexuperabiles humano generi, ſeque, & exercitum demittere non dubitantis. Quin, exacto pauore tam ſtulto, monſtrata à ducibus vada, fidentes aggrederentur, eo ſenſuri minus in re negotij, quo plus terroris in ſpeciem appareret. Potuiſſe copias per pontem itinere longiore traduci, ſed vt hoſtibus inexpectati ſuperuenirent, rectam viam, per medium alueum Somonæ placuiſſe. Feſtinarent ergo ad victoriam indubiam, ad prædam manifeſtam, expugnatores priùs aquarum, & flu-

Increpat querulos Alexander,& ad tranſitum animat.

fluctuum, mox Nauarræorum futuri. Ecquid enim arduum, & inuictum fore, ſic ad certamen venientibus? occupaturis videlicet Nauarræos inopinantes, dum ij ſe propediem obſeſſam vrbem intraturos opinantur.

Triplici agmine equites peditesq; aquas ingrediuntur.

Ducum hortatibus animatæ copiæ ad fluminis vada ſuccedunt. Ternas in turmas diſtributus equitatus præceſſit. Primo loco omnes grauis armaturæ equites, & aliquot ſclopetariorum alæ flumen tranſmittunt, in altera ripa ſtationem acturæ, dum pedeſtris acies traducitur; poſtremo equitum agmine citeriorem ripam ſeruante, ne quid infeſtum tranſmeantium terga turbaret. Medij agminis equites, cum omni numero iumentorum ſupra, & infra vadum, in flumine bipartitò ſe collocant, ad refringendum aquarum impetum ſuperiores, inferiores verò vt, ſi quos tranſuerſum abriperet rapiditas fluminis, eos exciperent, colligerentque. Prætoriæ Ducum Parmæ, Mainei, & Montis Marciani turmæ, vt audaciam inſequentibus peditum cohortibus facerent, viam monſtrantibus vadorum peritis flumen ingrediuntur; aquis initio media equorum crura, in progreſſu prope ima pectora perluentibus. Deinde Francicæ, Italicæ, Germanicæ, Vvallonicæ, & Hiſpanicæ legiones in aciem tri-

pli-

Thuã. l. 103. Campana vol. 2. l. 12. Carolus Colona l. 5. Petr. de Caſtro an. 1592.

plicem diſpoſitæ ſubſequuntur; in medium acceptis militaribus machinis, quæ, ne quid labis ab aqua contraherent, cum tormentariâ ſupellectile, ſublimes carris vehebantur. Gemini caſtrorum Præfecti Mottæus, Ronæuſque, modò alacriores compeſcendo, modò increpando ſegniores, dabant operam, ne interrumperetur acies, aut ne nimiùm extenuata rareſceret. Primis, & poſtremis tranquillè commeantibus, in medio alueo peditibus nonnihil periculi, plus trepidationis iniectum. Cùm enim illuc maiori vi, ac mole, aquarum agmen ingrueret, alios palàm arietatos vnda deijciebat inſtabili gradu, alios, quaſi furtim ſubductis infernè veſtigijs, in caſum præcipites dabat. Vtriſque commilitones inuocati, cùm adeſſe initio properarent, mox alieni mali ſpectaculo cautiores facti, auxilio ſuperſedebant. Etenim, ſi qui prolapſos alleuare miſericorditer conati fuerant, horum nitentium greſſus fallente ſoli lubrico, in eamdem perniciem magis deuoluebantur ipſi, quàm ſocios illinc extraherent. Circumſtrepebant ripæ, ac nemora propinqua clamoribus, ire, ſtare iubentium, implorantium opem, ferre conantium, animos facientium. Quare nec audiri ſatis mandata Ducum, nec audita peragi poterant; vti fit in calamitate prælij,

Secundi peditum agminis in medio alueo periculũ, & trepidatio.

vel naufragij; quando, conſternatis malo animis, pro Ducibus pauor, deſperatio, caſus imperat. Vt ſe his turbis expedirent nonnulli confidentiores, periculorum remedium ipſa pericula fecere. Deſertis quippe vadis, nouam quærere per vndas viam, vix humeris extantibus flumen ingredi, tũ libero natatu ad alteram ripam vadere; ancillante (vti ſolet) fortitudini fortuna. Citò tumultus omnis conticuit, vbi Farneſij iuſſu remorandorum medij, & poſtremi agminum, ſignum tubis eſt datum. Tunc, per quietem militum, perturbatione ſedatâ, & ijs, qui ceciderant, emergendi à fluctibus, otium fuit: & exceptis paucis, quos, tardante auxilio, præceps amnis vorticibus implicitos detulerat in profundum, incolumes reliqui ad ſiccum perueniunt. Illic, exhauſtæ ſolicitudini, gaudium par ſucceſſit: cùm reſpectantes aquarum, quas exſuperauerant moles, inſultantibus oculis metirentur.

Occurrit malo Parmenſis, atq; exercitus omnis, pauculis amiſſis, in ſiccum euadit.

In altera ripa, temporum, & locorum difficultates eluctatus Alexander cùm inijſſet numerum copiarum, peditum duodena, quina equitum millia percenſuit. Aciem ad prælium inſtruenti, in valle tribus millibus paſſuum à Rhotomago, ſuperuenit Cardinalis Sega Galliæ Legatus, comitemque expeditionis bellicæ, Princeps toga-

Recenſet iterũ copias Alex.

Superuenit Pont. Legatus & comitem ſe adiunxit exercitui bene precatus.

togatus adiungere ſe non dubitauit. Tantam victoriæ fiduciam ſub auſpicio Parmenſis conceperat. Omnibus hic agminibus obequitando luſtratis, impertitoque ſingulis Crucis ſalutaris ſigno, quâ pollebat de Cœlo authoritate, victoriam, & triumphos apprecatus eſt.

Eo fortè tempore Rex Henricus Dieppam feſtinauerat, vt Aemarum Caſtum gubernatorem lethali morbo decumbentem inuiſeret, prouideretque, ne quid per eam occaſionem à ciuibus Catholicarum partium ſtudioſis turbarum oriretur. Illic manentem nuncius à Bironio terribilis implet, rerùm ſummæ adeſſe diſcrimen, aduenturum poſtridie cum exercitu Fœderatorum, Somonâ tranſito, Parmæ Ducem, pro liberatione Rhotomagi, paratum armis decernere. Protinus ad caſtra reuolat Rex, &, quæ diſiunctæ diuerſis in locis tendebant copiæ, conuenire Bannam in vnum imperat. Nuncios pariter ad finitimos circum Proceres reuocandos dimittit, vt cum nobilium turmis ad certamen accelerent. Sera futura videbantur iſta ſubſidia, ſi Alexander nihil cunctatus, aut Regios in caſtris confidentes adoriretur: aut occurrentibus in acie, pugnæ diſcrimen exciperet. De alterutro itaque ſollicitus Rex, cùm cenſum inijſſet co-

Audito Fœderatorum aduẽtu inopinato Hẽricus Dieppâ, vbi extrat, in caſtra recurrit.

Copias ſuas impares Hoſti deprehẽdens, obſidionem ſoluere decernit, ne certaminis aleam ſubire cogatur

Aaaa 2 pia-

piarum, peditum cohortes diuturnæ obſidionis malis abſumptas, & valde attenuatas deprehendit. Neque meliùs valere equeſtrem aciem, numero, & viribus imminutam, extinctis equis, & abſente, quod floris, ac roboris erat, illuſtri Galliæ nobilitate. Quamobrem acriora conſilia, cautioribus in præſenti poſthabenda duxit, &, quoniam in alacritatem Gallicam immigrauerat, per incredibilem feſtinationem Farneſius, adoptandam Galliæ Regi, circumſpectam Hiſpanorum Ducis maturitatem. Neceſſitate igitur belli compulſus congreſſum cum Hoſte validiori declinare, prudens conſilium, fiduciæ oſtentatione velauit, ne ſuis militibus alacritas, armiſque gloria decederet. Vehementiùs quàm aliàs, tormentis vndecunque diſploſis, vrbem concutit: Dein exercitum ad oppugnationem accinctum, cum minaci tubarum, ac tympanorum ſonitu, in conſpectu Rothomagenſium explicat. Paulò ante impedimenta, cum primi agminis legionibus, tacitè ad pontem Arcuenſem præmiſerat. Exinde, poſt oblatum aliquandiù ciuitati exercitus armati terrorem, mediam pariter aciem eòdem dirigit, ipſe ſubſecuturus cum tertio agmine, ac muralibus tormentis, quæ de aggeribus celeritate mirabili deportata ſunt, attonitis

Cæter. l. 12.

Diſſimulaturus abitũ Hẽricus, vrbem acriter verberari, & exercitus partẽ velut ad irruptionẽ accinctam ſtare iubet.

ea

ea nouitate ciuibus, & haud quaquam interpellandum putantibus hoſtium abſceſſum,quo maximè lętarentur.An cura propulſandi belli,quod illaturus moenibus Rex videbatur, tamdiu ſuſpenſos Rhotomagenſes tenuerat, vt omne conſilium moliendæ eruptionis excideret? Ne verò ab altera parte Parmenſis abeuntem exercitum inſectaretur, artem non minorem Rex adhibuit Quippe Bullionij Ducem extremo agmini præpoſitum,in primam Fœderatorum aciem, quam Guiſius ductabat,cum octingentis equitibus immiſit impetu tam concitato, vt profligatâ quæ primùm occurrerat turmâ, eius vexillum ceperit, & ſpeciem Fœderatis Regij exercitus vltro deſcendentis ad ſupremam dimicationem, exhiberet. At ſuperuenientibus, cum Guiſio, & Renthiaco Gallicis,ac Belgicis turmis,quas Alexander ſubmittebat exploratum, num vnà cum equitatu Regio,pedeſtres copiæ,atque ipſe Rex adeſſet, vniuerſarum virium diſcrimen aditurus; odoratus id conſiliũ Bullionius, omni belli ludificatione fruſtrari contendit.Quot enim alæ Farneſianæ à fronte, & à lateribus ſe oſtentabant, totidem turmæ ſuę facies ijs obüertere,inumbrareque aciem Regiam,ne Hoſtis voto potiretur.His velitationibus extractus eſt dies XI Kalendas Maias,

Interim ſenſim euaneſcũt Regij, Rhotomagenſibus nihil in recedentes auſis.

Dux Bullionus tamdiu Farneſianos equeſtri pugnâ detinet, dum in tutum Rex cũ impedimentis ſe conferat.

Maias, atque operæ pretium vtrinque factum. Nam & Regi facultas fuit, impedimenta cum bellicis tormentis, citra noxiam aſportandi, & abſcedente, ſubſecutoque veſtigia Regis Bullionio, Farneſius depulſa Rhotomago poſt tertium menſem Nauarræorum caſtra, pro belli præmio habuit. Eâdem die in veſperam inclinante, Pontificius Legatus, cum Parmæ, Mainei, & Montis Marciani Ducibus, vrbem ingreditur, inter omnium ordinum occurſantium, & deducentium plauſus, atque in Principe templo, cùm gratiæ Deo ſolemniter agerentur, interfuere.

Alexander liberatam vrbẽ ſummo cum plauſu ingreſſus grates Deo rite perſoluit.

Exinde Parmenſis, Marchioni Villario, ciuibuſque, quæſitam diuturnæ obſidionis tolerantiâ gloriam gratulatus, ipſe gratulationes eorum viciſsim, ſuaſque laudes excipere coactus eſt, prædicatione vtrinque, non magis beneuolâ, quàm fideli. In Villarium, tamquam in fontem gloriæ ſuæ, omnia Farneſius referebat. Niſi enim ille Rhotomagum incredibili vigilantiâ, & fortitudine conſeruaſſet, nullum fuiſſe Farneſianæ induſtriæ futurum locum. Fauiſſe Italo Catholico Duci, Ducem Catholicum Italicæ originis, qui plures nomenclaturæ celeſtis Heroas in maioribus numeret. Vnam Normanniæ vrbem in-

Laudes ab Alexandro in Villarium & Rhotomagi propugnatores, & viciſſim ab his in illum collatæ.

Quem Marchionem Villarium ex ditione huc vſq; appellauimus, is proprio nomine Andreas Brancatius dictus eſt, de familia inter nobiliores Neap. Regni vetuſtiſſima, in Galliã olim translata per Buſillum Brancatium Nyſſanæ inſulæ in Aegeo mari Regulũ, qui à Neapolitano Ande-

S. Cãdidã quæ prima Neap. Chriſtiana baptiſmũ à D. Petro ſuſcepit S. Candidam iuniorẽ, & S. Baculũ Epiſc Surrentinum.

Chri-

Chriſtiani orbis annales ituram perenni cum gloria, quæ ſub auſpicio fratrum Brancatiorum, potentiſsimis Galliæ, Germaniæ, Britanniæ, & Hollandiæ copijs, terrâ, marique circumſidentibus obſtiterit; nec animos aggreſsoribus pares tantùm, ſed etiam ſuperiores, tot eruptionibus tam feliciter, quàm ſtrenuè tentatis repræſentauerit, alterum Galliæ lumen, & Catholicæ Religionis propugnaculum; ſi minùs ædificiorum numero, & laxitate, religione certè, ac virtutis magnitudine Lutetiæ Pariſiorum coæquandam.

gau. Rege ad gubernandam Prouinciam miſſus familiam propagauit in Galijs. Hinc ortus Andreas Rhotomagi Gubernator, qui poſtea pactione inita cum Rege ad fidẽ Catholicam redeunte, ab ipſo Præfectura Gallici maris donatus eſt.

Rhotomagenſes ex aduerſo, vnà cum Villario, tamquam è Cœlo delapſum Imperatoriæ laudis exemplum, Alexandrum intueri. Cui omnes militares artes in numerato; fortunam belli, conſilijs regere ſolito, dum conſilia accommodat ad fortunam belli. Cuius mora, & feſtinatio, hoſtibus ex æquo formidoloſæ. Quippe quem neſcias, vtrùm diligentiùs caueas in proximo ne, an in longinquo verſantem? Cùm receſſum faciat ad victoriam gradum, & periti ſaltatoris inſtar, reſiliat vltro, vt vehementiùs inſiliat, palmamque auferat. In hunc modum, ſuam inuicem, alter alteri concedendo gloriam, cumulatiorem ambo recipiebant.

Deliberatio Parmenſis de Regijs perſequendis.

At

At Parmenſis in triumpho, belli quod ſupererat, memor, primâ noctis vigiliâ reuertitur in caſtra, inituris deliberationem grauiſſimam de Hoſte perſequendo. Vtendum nimirum victoriâ, non fruendum rebatur, inſtandum cedentibus, abnuentibuſque certamen ex conſcientia debilitatarum virium, vellent, nollent, ingratijs obtrudendum, cum ſpe maxima debellandi.

Compertum ſibi (aiebat) Regalem aciem diuturnæ obſidionis ærumnis infractam, tam animis quam viribus inferiorem Catholicæ agere. Peditum cohortes frigore, egeſtate, certaminibus exhauſtas; neque meliorem conditionem equitum eſſe. Nam, præterquam quòd pleræque nobilium alæ pertæſæ obſidij moram, domum redierint, in reliquis turmis, equos inopiâ cibi macilentos, & exangues, vix ferendis dorſo ſeſſoribus, ne dum fatigationi bellicæ, atque incurſibus hoſtium futuros pares. Contra, Fœderatis equum, equitemque, menſtruâ refectos ceſſatione, ac pabulo, peditem pariter vegetum, & alacrem, vtroſque integros roboris, atque animorum, in laborem certaminis, & pericula ſuffecturos, conceptâque victoriæ ſpe, propter Nauarræorum fugam, dimicationem flagrantiſſimè concupiſcere. Inſiſterent modò retrocedentium ter-

Thuan. Baſſier. Cater. Turt. Colema Cāpana locis ſup. citatis.

tergis, arma oſtentantes; aut oppleturos obſtantium cæde campos, aut ſi fugere Hoſtis perſeueret, pretio non minori ſalutem redempturum, quàm, inſtar ſerpentis, caudæ exitio; clade ſcilicet poſtremi agminis, & ſarcinarum, tormentorumque iacturá graui, grauiori exiſtimationis, & famæ. Peritos Duces non ſemper ex neceſſitate, interdum ex occaſione confligere. Hanc adeſſe præclaram, Alexandro credant periculorum non auido, quem conſultiùs, quam ferociùs tractantem arma, vel ipſi Galli nimium cautionis inſimulent. Momento præteruolare opportunitates rerum gerendarum in bello; proinde in ipſis temporum articulis occupandas. Niſi fortunæ præbentis vltro crinem prehendere feſtinauerint, fruſtra manum in occipitium capillo vacuum iniecturos. Elabi ſinerent denuò Nauarræ Regem è manibus; næ ſe proſpicere futurum breui, vt confluente ad propulſandum Principis periculum armatá nobilitate, quam in præſenti declinent martis aleam, ea mox Fœderatos inſequatur, adigatque non pro gloria, nec de imperio, ſed pro fortunis, & de capite dimicare.

Alexandri ſententiam, præter Hiſpanos, Italos, & Belgas duces Guiſius, & aliquot ex Gallis proceribus euicti vi rationum amplectebantur.

Maineus cum Gallorum pleriſque omittẽdum Hoſtem, & Calidobechum expugnandum cenſet.

Contra, fatali diſſidio Mainei Dux, & cœteri ductores Galli diſſerebant: Henricum Regem celeritate ſuâ Farneſij conatus ludificaturum. Ponte videlicet arcuum, quem haberet in poteſtate, tranſmiſſurum in inferiorem Normanniam copias; vbi commeatum, & ſupplementa militum, vt in amica regione, interque fideles arces præſtò futura. Ex aduerſo, iſta omnia perſequentibus Fœderatis infeſta fore; quos vbi annona in quatriduum comparata defecerit, vnde nam ſuppleturos in hoſtili ſolo, præoccupato arcibus, & præſidijs Nauarræorum? Ergo in præſens videri conducibilius, inchoatam Rhotomagi liberationem abſoluere, Calidobechum expugnando; cuius arcis interuentus omni maris commercio Rhotomagenſes excludat. Se quidem (vltimò ſubdebat Maineus) vt Carolum à Lotharingia, innumeris beneficijs Alexandro obſtrictum, quò is cunque duceret, præiturum: Vt interregem, & Vicarium imperij Gallicani, in Regni perniciem conſentire non poſſe; neque Galliæ ſacra, & profana omnia, certaminis aleæ numquam non periculoſæ obiecturum, citra ſummam neceſſitatem.

Mainei, & Gallorum argumenta, cùm tamquam gnari locorum, hoſtiumque loquerentur,

apud

apud pleroſque authoritatem habebant, haud tamen Alexandro, & veteranis Ducibus probabantur, qui omne victoriæ momentum conſtituebant in experto ſæpius beneficio celeritatis. Vix enim eam Regi daturam ſpatium, quo primam, mediamque aciem inſtanti diſcrimini, ne dum extremam, cum impedimentis eriperet. At, ſi Regium exercitum ſpoliari parte virium, famâque contingeret, cui nam dubium, quin Calidobechum, aliæque Normanniæ arces, cum largo commeatu, venturæ eſſent in poteſtatem victoris. Nimirum, ſicut egeſtas & fames victos inſequuntur, ita bonorum omnium copiam ſemper victoriæ comitari.

Eò potiùs inclinabant Farneſij, & Hiſpanorum ſuſpiciones. Fœderatis Gallis non placere ſanguinis ciuilis effuſionem per gladios externorum: nec abhorrere fortaſſe minùs à triumpho ſuarum partium quàm à clade, bellum denique quàm victoriam malle. Ne videlicet, ſublato armis Fœderatorum æmulo Franciæ Rege, Hiſpaniæ Rex, obſtante nemine, arbitria Galliarum in ſe transferret. Hoc metu angi maximè conſtabat Mainei Ducis conſiliarios Villaregium, & Ianninum, quantulicunque Hiſpanorum in Gallijs incrementi, oſores manifeſtos. Duci verò

Farneſij, Hiſpanorumque non iniquæ ſuſpiciones.

Bbbb 2 Mai-

Mainei num optabilem victoriam eſſe, quæ cum fine belli, finem dominationis faceret? Quo autem loco futuram eius exiſtimationem, famamque apud Gallos, Hiſpanos, Europam vniuerſam? ſi quando, ſub auſpicijs Farneſij, Hugonotorum copias profligatas audirent à Fœderatis, qui ſub infelici Mainei ductu, ingenti clade ab Hugonotis affecti fuerant. Ecquid igitur mirum, ſi omni induſtriâ congreſſum armorum euitaret, vnde certa ſibi pernicies, quò reſcunque caderent, imminebat, Catholicæ factionis exitium victo, victori, iactura principatus & famæ?

Alexander à Socijs hoſtes vincere prohibitus, copias Calidobechum adducit.

Non latebant Alexandrum acriores hæ cauſæ, queis præliandi ardor in pugnaciſsimæ nationis Ducibus intepuerat. Sed eò rem deductam videbat, vt periculoſius eſſet conſortibus religionis, & belli fidem abrogare, quàm decipi. Obſecundandum itaque tamquã fideliter conſulentibus fuit, vt in fide (quantum fieri poterat) retinerentur. Execrabatur interim tacitis cogitationibus, iniquam conditionem bellandi; perquam, ſuis à ſocijs prohibito Hoſtem vincere, pro munere impetrandum ſupererat, ne vinceretur.

Euerſis circa Rhotomagum munimentis, aggeribuſque Regiorum, ſeptimo kalendas Maias

exer-

exercitus Fœderatorum Calidobechum addu- citur. Propè colles vineis, & fructuoſis arboribus conſitos, haud difficilis, vel inclementis aſcenſus, in ampla planitie ad Sequanæ ripam ſitum eſt Calidobechum: ſeptum quidem mœnibus excelſis, & validis, at non aggeribus terræ, nec munimentis, recentis militiæ more, firmatum. Garda Tribunus à Rege impoſitus præſidio, cum trecentis peditibus, equitibus quinquaginta præerat, iuſſus aliquantùm obſidionem ſuſtentare, quo ad auctus Rex copijs vndecumque conuocatis, ad ſubſidium accurreret.

Calidobechi ſitus & munimenta.

Cater. l.13.& aliy loc. cit.

Obſecuti mandato Principis, & belli legibus præſidiarij Garda pedites, equites Brachioduro ducentibus, ad hoſtem longiùs oppido ſubmouendum arctiores collium obſident calles, queis Fœderatorum aciem venturam prouidebant. Contra hos, binæ Vuallonum legiones præmittuntur, ſub Boſſuuio, ac Verthio Tribunis, ad expediendum iter Catholicis copijs, quæ ſuos in ordines diſpoſitæ, modico interuallo, ſubſequebantur. Pugna diutiùs, quàm pro inæqualitate virium tenuit, donec ſuperior locus inferiores numero Nauarræos, Vuallonibus æquabat. Vbi verò his vndique ſe circumfundentibus, de faſtigio collium, in camporum plana deiecti ſunt, præ-

Præſidiarij obſident calles, quibus Calidobechum aditur.

Poſt acrem pugnam pelluntur à Farneſianis.

præſidiarij, ne circumueniantur à Fœderatorum multitudine, ad propinquum oppidum fugam intendunt; facto quidem operæ pretio, per certamen in multas horas extractum.

Batavi in accedẽtes ad ripam fluminis Farneſianos, è claſſe tormentis fulminant.

Patefactam armis viam ingreditur Catholicus exercitus, denſatis primò ordinibus, pro anguſtijs loci, mox laxioribus, & explicatis, cùm in planitiem ſe euolueret. Statim atque flumen, & Calidobechum habuit in proſpectu, nimbo pilarum de nauibus emiſſo ſalutatur. Batauorum nauigia circiter quadraginta, cùm ferueret certamen in collibus, ad ripam adnauigauerant, & perinde ac relictis iugis in campo ſe oſtendebant cohortes, & alæ hoſtium, continuò tormentorum fulminibus excipiebantur. Nonnihil in primam aciem incommodi, plus terroris intulerat hæc tempeſtas, peditibus aliquot, equitibuſque diſcerptis; cùm Parmenſis admonitus, ſigno tubæ ſuſpendere iter iuſsit agmina, ne in ferream procellam vltrò ſe induerent. Dein celeritate ſummâ in collem, qui ripæ, ac flumini impendebat, quinque minora tormenta cum binis grandioribus, transferri mandat. His Hollandicam claſſem remunerantibus iaculatione pernicioſori, quoniam certiores ictus ex fixo, & immobili ſolo, quàm ex inſtabili librabantur,

Alexãder tormentis ſubitò in collem adductis, naues Batauorum partim mergit, partim fugat.

rates

rates aliæ ſuper incidentibus repentè globis demerſæ ſtatim, aliæ remis, tranſtris, ac reliquis armamentis nudatæ, omnes in fugam præcipitanter actæ; vna cœteris grandior Prætoria ſcilicet, cùm ob amplitudinem molis, & quia parte remigij ſpoliata fuerat, fugam ægerrimè moliretur; exitium redimere deditione cogitur, & cum baliſtis omnibus, militibus, claſsiarijſque, Parmenſi ſe dedit. Ita ſublatis, quæ præſidium, & claſſis obiecerant, impedimentis, Fœderati Calidobecho circumfunduntur, caſtra muniunt, aggeribuſque perductis obſidionem circumdant.

Prætoria nauis dedere ſe cogitur.

Calidobechū obſidione cingitur.

Poſtera luce Alexander, comitante Principe filio, Motteo, caſtrorum Præfecto, alijſque, dum oppidum attentiùs contemplatur, ad verberationem conſtituendam; ictu fortuito ſclopi, haud quaquam in ſpem tantam directi, vulneratur, quà brachium dexterum carpo committitur; biniſque illic perſtrictis oſſibus, pila langueſcente impetu, ſedit in vulnere. Saucius in parte corporis admodum delicata Parmenſis, cum acerbiſſimo ſenſu doloris, nullum voce, vultu, aut motu corporis, indicium fecit. Quin oppugnationi opportuna, vti occæperat, mandare perſeuerabat in ſecuritatem compoſitus, cum ſanguis è brachio depluens in veſtes, circumſtantes amicos

Alexãder verberationi locum idoneum explorans, fortuito ſclopi ictu vulneratur.

Sed vulnus diſſimulat mirã fortitudine.

Ad curationē priùs in caſtra nõ redit, quàm locũ verberationi tempuſque deſignet.

cos ſaucij Imperatoris admonuit. Neque tamen, ad curandum vulnus, quamuis enixè à filio in genua procumbente rogaretur, prius redire ſuſtinuit, quàm idoneum deſignaſſet locum, vnde oppidum quateretur; eòque comportandi tormenta, per fluminis vadum, rationem, tempuſque præſcriberet, reciprocantis oceani æſtibus obſeruatis. Poſthæc, ſuis pedibus in tabernaculum reuertitur. Illic medentes adhibiti: vulnus cæterà non leue, in malè affecto Ducis corpore, prægraue pronunciant, & permoleſtam, diuturnamque curationem futuram. Extrahendum enim erat multiplici ſectione de brachio, in quod altè deſcenderat plumbum, ne abiret in vlcus plaga, & conuulſione neruorum, dolores mortiferos afferret.

Medentes, qui plagam grauẽ pronunciarũt, in remedijs adhibẽdis trepidantes oratione confirmat.

Ab adhibendis Duci remedijs aſperioribus, miniſtrorum ſedulitatem auerterat metus; cùm Alexander à cubiculario cauſam edoctus cur ceſſaretur, chirurgos ad ſe vocatos interrogat: Vtrùm fœminæ in delicijs educatæ, an exercituum Imperatoris, admotos curationi ſe ſcirent, qui tam ſuperſtitioſè meticuloſi, à fortibus remedijs abſtineant manus? Quem inter vulnera, & cædes in prælio verſatum toties audierint, viderintue, an hunc in tentorio diſsimilem ſui, paulò

paulò auſteriorem medentium opem auerſaturum credant? Quin, omiſsâ reuerentiâ, & pauore ſuperuacuo, membra ducis, perinde ac ſi gregarij eſſent, igne ferroue, prout res poſcat, vrere, vel ſecare ne dubitent, vtinam in feriendo tam fortes, quàm ipſe in perferendo! Parem in bello Duci, militique plagarum, ac necis conditionem propoſitam, vno diſcerni; quòd plus tolerantiæ ab Imperatore exigitur ad militię magiſterium, in virtutis exemplum.

Huiuſmodi adhortatione ſaucius integros cùm firmaſſet, adminiſtri curationem aggrediuntur. Viam primò molientes, quâ plumbeæ glandi exitus detur, ternas in brachio plagas, ad vnam ſanandam aperiunt: immoto inter hæc Farneſio, ſpectanteque tamquam alieni corporis laniatum, interritis oculis, animoque. Verùm inſecutus immanis dolor, quamuis peruicaciter diſsimularetur, nec gemitu prodente, nec queſtu, cùm ſuas præcordijs faces admouiſſet, acutam inflammauit febrim, lectuloque affixit vel repugnantem. Impotens itaque regiminis continuandi, euocatum Ranutium Principem, Regis Hiſpani legionibus præficit, cum ſecretis mandatis, ne, ſe inconſulto, prælio decernat; adminiſtrationem verò reliqui exercitus, cum ſa-

Decumbere vi mali coactus Hiſpanici copijs Filium, Malncum rerũ ſummæ præficit.

cri Fœderis Principatu, in Maineum reijcit.

Exercitus totique ingens mœror, & congeſtæ in Ducem mox, vt metuebant, amittendum laudes.

Tum, quemadmodum ægreſcentis capitis conditio in membra transfunditur, ſic vniuerſam peruaſit aciem mœror ex charitate decumbentis Imperatoris; quaſi omnes vnius viuere ſe ſpiritu, ac ſuſtineri experirentur. Paucos enim ex omni ætate, memoriâque reperias Duces, quorum virtutem milites dilectione pari, admiratione que coluerint. Nec veterani modò ſocij tot bellorum Belga, Hiſpanus, & Italus, at ipſa nuper conducta tyrocinia, & recèns in ſocietatem armorum adſciti Galli; quorum animos Imperatoriæ laudis magnitudine obſtupefactos, exquiſitis humanitatis artibus deuinxerat ſibi. Quamobrem, ſi militari ſuffragio, externum Principem in Galliæ ſolium euehi fas eſſet, quem Alexandro Parmæ, ac Placentiæ Duci præferendum putarent religione, ſapientiâ, fortitudine, veneratione, amoribus populorum, perinde præſtantem, prorſus haberent neminem. Ergo æſtimationem augente (vti fit) amittendi periculo (ſupremis enim admotum fama vulgauerat) Galli pariter, externique ad Prætorium concurrunt Imperatoris vicem dolentes, & ſuam. Ecquem enim Nauarræis conatibus obuiam poſthac iturum tam callidè, tam animosè,

vt

vt modò fultum Gallicæ nobilitatis opibus Regem tempeſtiuâ declinatione fruſtretur, modò eumdem copijs imminutum adortus vltro, abſcedere ab obſeſsis vrbibus præcipitanter impellat? Ecquem alium tantâ pollere arte expugnandarum arcium, aut propugnandarum? tam capiendi caſtris loci, quàm communiendi? Siue expediendorum commeatuum, ſiue inſtruendæ aciei, tum ad profectionem, tum ad pugnam? virtute tam fortunatâ, vt, ſub eius auſpicio miles, victorem crebrò ſe meminerit, victum numquam.

Cùm hæc aliaque id genus, in laudem admiratio viri, deſideriumque ſuggererent, ad miſerandam indigni exitus calamitatem, querimonias vertebant. Hunccine caſibus belli grauiſſimis innoxiè defunctum Ducem, ignobilis vici expugnationem, ſuo capite emiſſe? pretioſi cruoris mercede conſtare Calidobechum Alexandro, Lutetiæ Pariſiorum, & Rhotomagi citra ſanguinem liberatori? Qui Traiectum, qui Antuerpiam in Belgio, Laniacum, Corbolium in Gallia, tot alias nobiles arces inuiolatus expugnauerit, huic obſcurum Normanniæ oppidum obſidenti, traiectam ictu ſclopi victorioſam dexteram; vt Calidobecho, apud omnes gentes, à Farneſij vulnere, fieret nomen? Talia quiritantes à

Militum in Alex. amor & commiſeratio.

Cccc 2 miſe-

Eorumdem ira, & vindictæ ſtudiū in Calidobechi defenſores.

miſericordia ſenſim in iram, vltioniſque cupidinem dilabebantur. Opperientes pro ſolatio proximam lucem, in quam erat indicta Calidobechi expugnatio, vniuerſos tam præſidiarios, quàm ciues internecioni deſtinant, ne ſuperſtes quiſpiam, de illato Parmenſi vulnere, gloriari queat.

Qui vltro, excidij metus, dedunt.

Cùm efferatos indignatione tantâ Fœderatorum animos Gubernator arcis Garda, & propugnatores cognouiſſent, omnimodis anteuertendum putauere, vt feſtinatæ deditionis obſequio, placarent iracundiam victoris. Vix paucis tormentorum ictibus expectatis, mittunt (fruſtra repugnante Brachioduro) ad poſtulandas conditiones pacis. Vt darentur primò laboratum, deinde, vt ſeruarentur. Fremente paſſim milite, & fas viuere quemquam negante, de ſacrilegis illis, qui ſanguine optimi Imperatoris manus impiauerant.

Aegrè ab exercitu imperat Alexāder, vt permiſſis abire Nauarræis, oppidi direptione contentus ſit.

Quare ipſius Alexandri authoritate opus fuit, vt militaris ira frænaretur. Allegatis centurionibus, & tribunis, petijt à commilitonibus pietatis modum, in ſæuitiem degenerantis: Ne, amore Ducis ea committerent, quæ Ducem læderent, & contriſtarent. Fas hoſti, hoſtem in bello ferire, fas occidere. Qui hæc, tamquam peccata vindicare poſtulent, peccare in iura gentium, in

leges

leges belli, in Imperatorem, in Deum. Ne ſcelera quidem, citra ſcelus, à priuato vindicari, quanto magis iniuſtæ vltionis authores, Cœlo, ac terris vindicibus pœnam daturos? Caſtigatâ his increpationibus impatientia militari, vt remuneraretur fidem, diripiendum oppidum legionibus tradit, in tutum antea deductis (vti conuenerat) Nauarræis, & omni cibariorum apparatu ſepoſito, qui Rhotomagum tranſportaretur.

Henricus partim vltro accurrente, partim accito é præſidijs milite, ingentem exercitum cōflat.

Interim repens Fœderatorum è Picardia reditus in Normanniam, ſoluta per inopinatum illorum aduentum Rhotomagenſis obſidio, dein periculum ne Regales copiæ profligarentur, ſi recedētibus Fœderati, vti Parmenſis author erat, inſtarent, adductus denique ad expugnandum Calidobechum victor exercitus, trepidis vbique nuncijs, per Gallias vulgata fuerant. Quamobrem non modò de prouincijs proximis approperatum à nobili iuuentute in equos inſiliente; verùm etiam, qui longinquis regionum ſpatijs diſſiti erant, pluſquam ciuile bellum id rati, communemque agi cauſam, in tuendo gentili Rege, aduersùs externos exercitus, Duceſque, confluebant in Normanniam, perpetuo agmine equitum peditumque. Nec his contentus incrementis Rex Henricus, ad vires magis, magiſ-

giſque roborandas, vbi Calidobecho Fœderatos per obſidionem illigatos intelligit, è Normanniæ, ac Picardiæ arcibus, quod neruorum, & virium obtinebat in præſidijs, ad caſtra conuocat, ſummamque breui conficit ſedecim peditum, octo millia equitum, alijs præterea in dies, alijſque ſuperuenientibus, ad propinqui certaminis famam. Fretus Rex multitudine copiarum, exercitum Calidobechum versùs, contra Fœderatos mouet; aut hoſtilium aggreſsione caſtrorum, aut explicata in certamen acie certus obſidionem depellere; Farneſioque reponere parem multæ ſibi, apud Rhotomagum notæ. In medio itinere deprehenſum, conturbat ſimul, & recreat Nuncius triſtium, lætorumque. Feſtinatam à propugnatoribus præter ſpem, voluntatemque deditionem Calidobechi arcis non admodum firmæ; ne Farneſianorum animos implacabiles experirentur, nimio plus irritatos, ob inflictum Alexandro Duci prægraue vulnus. Quo ſi iam confectus (vti nonulli ſuſpicarentur) obijſſet, aut ſaltem, quod habebatur pro comperto, euaſiſſet inutilis exercitus gubernationi, quam in Mainei Ducem, & Principem filium tranſtuliſſe ferebatur, Calidobechi iacturam fuiſſe tanti.

Ad ſoluendam Calidobechi expugnationẽ accurrit Rex.

In itinere deſtinata Calidobechi deditione ſimul & de Alexandri vulnere cognoſcit.

Ingens

Ingens profectò emolumentum ſuis acceſſiſſe partibus Rex intelligebat ab remoto Parmenſis obſtaculo, per ægritudinem longæ atq; ancipitis curationis. Siquidem Mainei Ducem vt ab ſe victum, & inferiorem bellandi artibus aſpernabatur, Ranutium Principem vt iuuenem, & inexpertum, vnum Alexandrum nullâ non belli laude coæquatum ſibi, annis, & experientiâ paulò ſupergreſſum reuerebatur: cuius nempe conſilijs, viribuſque bis interpellatum felicem armorum ſuorum curſum meminerat, ſeque à faſtigio ſortis, pene ad imum, inclinatione præcipiti detractum. Tanto itaque aduerſario vel ſublato, vel ceſſante, cùm ingentem fiduciam ſtabiliendæ rei ſuæ cœpiſſet, diuerſâ tamen ratione, atque ante hac fecerat, redordiendum putauit bellum; iudicium ſuum approbantibus Bullionij Duce, & Bironio Mareſchallo, quos amicorum præcipuos, & ſcientes belli, ad intima conſiliorum Rex adhibebat. Memor igitur improſperæ ad Aumaliam pugnæ, aditique de ſalute, ac de libertate periculi, nihil in poſterum moliri per audaciam, cuncta prudentiâ metiri, prouidentiâ anteuertere incerta belli, nec exultare ferociùs, nec licentiùs euagari militem pati, fortunæ denique donis non abuti, ſed reuerenter haben-

Calidobechi iacturam in lucro Rex ponit dum Alexander ab exercitus gubernatione amoueatur.

Rex nuperæ pugnæ infelicitate cautior ſuperſedēdum certamine iudicat.

habendo, demereri vt prolixior fieret. Ademptâ neceſſitate pro Calidobechi liberatione pugnandi, cùm perturbatio in hoſtium caſtris, & confuſio ex mutatione imperij ſperaretur, ad extrahendum tempus, lentiori gradu promouet agmina, intentus occupandis circa, muniendiſque finitimis locis, ne Fœderatis remeantibus exitus, aut cibarijs ingredientibus aditus pateret.

Fame non ferro victurus Fœderatos, omnẽ aduehendi ad illos commeatus aditum occupat.

Spem enim incruentæ victoriæ iniecerat militum copia, per quos facilè ad inopiam rerum omnium adigi poſſe Fœderatos credebat, in regione Regijs arcibus inſeſſa, quæ aditus haberet in modum peninſulæ peranguſtos cum ſolo, licèt non infœcundo, frequentibus tamen vineis ſyluuliſque, magis ad amœnitatem, & delicias pacis conſito, quàm ad alimoniam militum, vſumque belli. Quà ſpectat oceanum, Dieppæ, Arques, & aliarum arcium præſidia circumiectos latè campos percurſabant; à Sequana verò flumine, ad Quillebouium Hollandica claſſis oſtia ſeruabat maris, ne penetrarent ad Fœderatos vlli à terris, aquiſue commeatus. Tertiam, quæ ſupererat alimentorum ſubuectionibus, viam à Picardia, & Somona, per quam Parmenſis intrauerat, ſuis copijs Rex inſedit, conſilia capturus pro conatibus & cæptis aduerſariorũ.

Cogni-

Conuocatis Ducibus Alex. ſuadere contendit, vt Iulioboną quãprimùm exercitum traducant, niſi ferro aut fame, perire malint.

Poſteaquam feſſum longis itineribus militem Alexander triduano otio Calidobechi refecit, cognito Regis aduentu cum copijs amplificatis, in tabernaculum vbi iacebat æger ex vulnere, conuocat Duces, de caſtris aliò transferendis deliberationem initurus. In hac præfatus: Iam pridem ſe ſe cunctis belli artibus perfeciſſe, vt Rhotomago depulſum Nauarræ Regem, & exiſtimatione, viribuſque nudatum Fœderatorum armis (modò perſequi vnà vellent) obijceret debellandum, ſi ſua tunc ſententia valuiſſet (addebat) ſcintillá ignis, quæ ſupererat, extinctâ, nequaquam ſurrectura fuiſſe incendia armorum, queis conflagrarent. Nec exprobrandi ſtudio, nota ſcientibus inculcare. Sed, quoniam præterita emendari non poſſent, vt futura dirigerentur, præſtrueretque ſententiæ ſuæ neceſſariam in poſterũ fidem. Quandoquidem non gloria, vel imperium, ſed vita, & ſalus agatur omnium; in quo ſi rurſus peccetur, non increpationibus Alexandri, ſed Hugonotorum gladijs corrigendi ſint, aut (quod longè miſeriùs) vltima neceſſitatum humanarum fame. Ecquem enim bellicarum rerum tam rudem, qui non intelligat, quod inchoauerit Rex, abſoluere adniſurum; vt videlicet, quâ maximè abundet multitudine equitum, vijs om-

nibus obſtructis ad extremam penuriam Catholicos redigat? Vnicum ſe malorum impendentium effugium proſpicere, ſi exercitus ad Iuliobonam, Ellebouij Ducis caſtrum, tranſmiſſo flumine, ducatur. Vbi & aquarum gurgites pro vallo, & foſſa Nauarræis obiectum iri, & agrum fertilem, intactumque alendis copijs accomodum à tergo pandi; qui vbi depaſtus fuerit, proximum Gratiæ portum ditionis Fœderatorum cibaria ſuffecturum. Suſtentandum illic parumper patientiâ bellum; donec Nauarræ legiones, quæ modò viris, armiſque luxurient, inopiâ pecuniæ, commeatus, & pugnæ de more conſeneſcant. Ex quo fiat, vt de ijs otio profligatis & marcidis, Fœderati ſedentes atque integri, vti nuper apud Rhotomagum, victoriam referant.

Alij inſulam bonam vocãt. L'Isle-bone.

Sordus ad ſalutaria Maineus denuó Alexandro obſtrepit.

Parmenſi euidenter ſalutaria ſuadenti, Senatus bellici pars melior aſſentiebatur: obſtante Mainei Duce pro ſua veteri conſuetudine, ac libidine contradicendi. Specioſa dictu magis, quàm vera obijciebat: Migrantibus Iuliobonam vltra flumen Fœderatis, Nauarræos protinus inter ipſos, & Calidobechum caſtra poſituros. Prædæ itaque relictum iri oppidum venale ſanguine Imperatoris, cum dedecore partium, damnoque;

que; Rhotomago in priores anguſtias redituro. Quanto ſatiùs ad Iuetotum aciem adducere? pagum ſitu fortem, & Calidobecho tegendo (tribus nempe millibus paſſuum diſtanti) opportunum. Vt à portu Gratiæ commeatus eò ſubuehantur, ſe mandaturum. Mainei ſententiam de more laudabant Galli, ſiue Duci ſuo obnoxij, ſeu quòd à lentioribus Farneſij conſilijs abhorrerent: ſeu denique (quod poſtea cognitum eſt) quoniam iniquis animis ferebant, deſtinari ab Hiſpanis tam liberaliter ad copiarum vſum, hoc eſt ad direptionem, vaſtitatemque, optimos ad Iuliobonam Galliæ campos, quorum Domini aliquot eo ipſo in concilio dicturi ſententiam aderant. Quamobrem opinioni Ducis Mainei Galli frequentes adhærere, diſſimulato priuatæ rei ſtudio, publicæ vtilitatis curas prætendere, Calidobechi iacturam, Rhotomagi pericula loqui, obſidionemque à Rege inſtaurandam de integro: incaſſum reclamante Alexandro: & Rhotomagum retineri, & Calidobechum recuperari, ſaluo exercitu poſſe; quem ſi annonæ difficultatibus abſumi, diſſiparique permitterent, obteſtabatur, Religionem, Gallias, Belgium itura peſſum, ipſoſque Gallos, qui ſecum vnà ſeruari noluerint, vnà ſecum perituros.

Gallorum plerique, priuatæ rei ſtudio, Maineo aſſentiuntur.

Comte de Briſſac

Altercatio inter Gallos & Farneſianos Duces orta, neutris cedere volentibus.

Cùm Farneſij orationem Hiſpani, Belgæ, Itali, Germanique Duces conſenſu exciperent, contra Galli, præter vnum Guiſiæ Ducem, Maineo vniuerſi aſſentirent, magis ex pertinacia, quàm cum ratione, vt eiuſdem gentis Hiſtorici affirmant, à diſceptatione res in altercationem abierat. Alijs videlicet exigentibus iure ſuo, vt ſtaretur ſententiæ Imperatoris, obnitentibus alijs, vt in Gallico bello, Gallorum tamquam peritiorum regionis, ratio potior haberetur. Fluctuauit plures horas incerta deliberatio. Tandem Farneſius, vbi Maineum cum ſuis aduersùs argumenta, preceſque, animos obſtinauiſſe, ab amicis comperit, veritus ne abalienati à Sancto Fœdere, pacem cum Nauarræ Rege ſancirent, per mercedem acceptiſſimam ſanguinis Hiſpanorum, maluit inopiæ, ac famis commune cum ſocijs Gallis adire diſcrimen, quàm deſertus ab ijs, prodituſque, ſeque & Hiſpani Regis legiones in exitium certum præcipitare. Vicit ergo imprudens, & iniquus priuati commodi reſpectus, iuſtiſſimam reipublicæ curam, præualuitque ſtudium conſeruandi Gallici agri, quàm integrum præſtare exercitum vindicem Galliarum, & Religionis propugnaculum. Verùm ſedulitas tam improba, fallax, votique irrita, vti me-

Thuā. Buſier.

Alexander minus periculum maiori præhabēs, & Gallorū defectionem veritus Mainei ſententiam ſequitur.

meruerat, fuit: pœnas Farneſiani conſilij ſpreti, Hoſte, contra quem latum fuerat, expetente. Campos enim Iuliobonenſes, quibus vt parcerent Galli Duces, neque communi cauſæ, neque amicis copijs, neque Imperatoris authoritati pepercerant, triduo poſtquam ad Iuetotum caſtra tranſtulerant, Nauarræ Rex cum ſuis legionibus occupauit. Geminum ille vnico facto, commodum eſt conſecutus; quòd & vberis agri paſtu, Regium exercitum aleret, & commeatus, quos Maineus è portu Gratiæ ſubuehi iuſſerat, à Fœderatis excluderet, operâ Regiorum equitum, omnes inter medios regionis tractus perrantium. Caritas itaque rei frumentariæ Catholicam aciem excepit paulò maturiùs, quàm futurum prænunciauerat Alexander. Eum porro ſuper ægritudinem corporis, animique cauſa contriſtauerat recens, amiſſa gerendæ rei præclara opportunitas. Cùm enim, ad perſequendos Fœderatos, pridie Kalendas Maias Rex Henricus mouiſſet, per viam tritam quidem, & militarem, ſed bina intermeantem nemora, quæ ſepta muris (vt mos in Gallijs, ad paratiorem ferarum venatum) in longum protendebantur: neceſſariò interruptis ordinibus, & longo interuallo diſſitis, Regis exercitus incedebat. Vix igitur Mom-

Rex Henricus Iulioboněſem agrũ, cui parcitum volebãt Galli, occupat, & omnem annonæ viam præcludit.

Annonæ caritas in Fœderatorum exercitu.

Opprimendi primi Regiorum agminis à cæteris ſeiuncti occaſio, Gallorum Equitum negligentiâ amittitur.

Mompenſerius primi agminis ductor, emenſus tractum illum ſyluoſum, in aperta camporum emerſerat, cùm tendentes in aduerſo colle Fœderatos conſpicatus, ad magnitudinem periculi intellectam exhorruit. Nam, ſi tota mole virium in primam Regiorum aciem, abiunctam à reliquo corpore, continuò Parmenſis incumberet, priùs hanc profligatum iri apparebat, quàm ſubueniri poſſet ab acie media inter impedita nemorum gradiente, multoque ab extrema minùs, quæ nondum iter ſaltibus interiectum intrauerat. Deprehenſus his difficultatibus Mompenſerius, per excurſorios equites Regem, quo res loco ſit, edocet, ad feſtinandum ſollicitans, vnáque operâ copias in certamen comparat, ne incruentam victoriam auferant Fœderati. Neque enim hi ſegniùs aduerterant ſuæ commoditatis articulos, quàm ſui periculi aleam Regij. Mainei Duce, ac Parmæ Principe protinus capita conferentibus, vtendum fortunâ ſtatuitur, omniſque grauis armaturæ equitatus, qui potiſſimùm Gallis conſtabat, è caſtris emittitur. His ingenti alacritate procurrentibus, haud minori obuiam itur à Nauarræis, periculi magnitudinem diſſimulantibus potiùs, quàm ſpernentibus. At congreſſus quò terribilior in ſpeciem

fuit.

fuit, haſtarum, armorumque fragoribus, eò placidior re ipſa, manſuetiorque extitit: nobilibus Gallis, qui polluere manus propinquorum ſanguine detrectabant, ludicrum velut in theatro exercentibus, marte tumultuoſo, & innocenti.

Notatâ colluſione Gallorum, & occaſionis fugaciſſimæ momento, Farneſiani Duces ad Imperatoris tabernaculum conueniunt; admiſſuſque Comes Alexander Sfortia, commilitonum nomine, ſignum pugnæ pro pedeſtribus copijs expoſcit, ſpem non dubiam oſtentans victoriæ, ſi promotis legionibus Hiſpanis, & Italicis, Gallorum in Gallos tepidius certamen effuſâ de tubis grandioribus flammâ, recaleſceret. Apertum triplici plagâ brachium, cum dolore ſummo, & febri acutiſſima, Farneſium per id tempus cruciabat. Opinionem præterea imbiberat recentibus exemplis firmatam, Maineo, & Gallis Ducibus non optari ex animo victoriam partium, finemque belli; ſeu priuati lucri continuandi cupidine, ſiue inuidiâ, metue potentiæ Hiſpanorum. Abhorrere quidem ab Hæretici Regis imperio; ſed eumdem prorſus armis exutum, & ſpoliatum potentiâ nolle. Quamobrem & ipſe, ſuis viciſſim ſubductis rationibus, animum induxerat: pro victoria laborare ſuperuacuum;

Introſpectis Gallorum cōſilijs Alexander legiones ad hoſtem opprimendum non mittit.

cuum;

cuum; quando ijs non placeret, quorum dexteris referenda eſſet. Illud cauendum etiam, atque etiam ſibi, necubi locum vulneris daret, ſeu ſociorum inuidiæ, ſeu ſolertiæ hoſtium, ſeu fortunæ temeritati. His cogitationibus volutantibus mentem, illud Sfortiæ ſubiecit, quod erat omnibus compertum: ad conſerendas cum Nauarræ Rege manus, non decumbente exangui Duce, ſed ſtante, ac viuido opus eſſe. Arma tamen capere exercitum, inſtructumque ſub ſignis, imperia opperiri inuadendi hoſtis imperat. Interim ipſe de lectulo tranſgreſſus in feretrum, ad ſpectandam hoſtilium copiarum frontem, velitationemque Gallorum prouehitur. Non ſecus ac relatum fuerat, remiſſam, & languidam animaduertit; vnde nihil primo agmini perturbationis, aut moræ oriretur, quo minùs legiones ad prælium ſuos in ordines explicaret, pariterque acies media, quæ, Rege iter accelerante, ſe dabat in conſpectum, ad deſignatum in campo locum, ſine confuſione tranſiret.

Omiſsâ itaque, quam fortuna ſimul obtulerat, ademeratque, victoriæ ſpe, ad ſtabiliendam ſecuritatem Parmenſis conuertitur. Præterquam quod foſſis, aggeribuſque caſtra munienda curauerat, ne inuitus ad certamen extraheretur,

tur, proximum collem in caſtra dominantem, præſidio occupari mandauit. Siue neglectum id, ſiue dilatum à Ducibus Fœderatorum, anteuertit exequi Nauarræ Rex, miſsiſque quatuor Gallorum cohortibus, iugum inſedit. Iam ceſpes circum attolli cœperat ad collocanda tormenta, quæ globorum procellâ Catholicam aciem infeſtarent, cùm Parmæ Princeps, vt nondum confirmato malò, dolorique Parentis occurreret, Camillum Capiſuchium cum binis legionibus Hiſpanienſi, & Italicâ ad hoſtes è cliuo deijciendos deſtinat. Is feſtinato itinere Gallos repentè adoritur, & numero impares, poſt cruentum certamen, deturbat è tumulo. Inchoatam verò munitionem abſoluere cùm maturaſſet, quatuor tormentis impoſitis, fiduciam vltra tentandæ expugnationis Nauarræis adimit.

Regios è colle caſtris imminente, non ſine ſanguine deturbant Fœderati.

Multo intentior incubuit induſtria Catholicorum, ad nemus occupandum geminis caſtris intermedium; quod proceris arboribus frequens, & herbeſcente ſolo lætum, equis militum egentiſſimis qualemqualem eſcam præbebat. Quin inſuper ambage latebroſâ ſyluarum, opportunitatem fallendi dabat inſtitoribus Gallis, à Regijs in Fœderatorum caſtra cibos, vberioris quæſtus gratia, occultè transferentibus.

Fœderati nemus caſtris proximum occupant, muniuntque.

Sed, quo arctiora in dies omnia facerent Nauarræi, huiuſce ſyluæ non inutilis poſſeſſione Catholicos euertere meditabantur. Priùs tamen quàm id aggrederentur, exploranda erant munimenta, quæ nemori circumdederant Fœderati. Kalendis Maij triplici velitatione rem tentant. Bironius iuuenis primùm cum Duce Guiſio, rurſus Bullionij Dux cum Roneo, poſtremò Montinij Dominus cum Chiatreo, equeſtri pugna congreſſi. Verùm pilarum tempeſtas tam denſa, ſubeuntes aditum nemoris equites regios excipiebat, vt munitionem propiùs luſtrare nemini citra noxiam liceret. Tum, ſi qui, contempto periculo, id exequi auſi fuerant, ijs malè vulneribus, aut peſſimè morte multatis, facultas erepta fuit, explorata nunciandi. Poſtera luce Bironius, qui cum æqualium iuuenum globo, vel hoc fungi munere, vel vitâ defungi coniurauerat, non ſine extremo diſcrimine ſuo, ac ſociorum, è quibus interfecti non pauci, plurimi vulnerati, aggerem ſyluæ prætentum contemplatus eſt. Regi mox retulit: ſimplicis eſſe ſtructuræ, nullo munitum à lateribus propugnaculo, bombardis nullis, defenſumque à propugnatoribus circiter mille. His auditis Rex Henricus in ſpem expugnandi aggeris venit. Quatuor millia peditum

Regij ſyluæ munimenta magno ſuo periculo explorant.

Miſſæ Nauarræorum legiones poſt difficilem pugnam Fœderatos ſyluæ munimentis expellunt.

ditum Gallos; Anglos, Germanos, Hollandoſque tres in acies diſpertitos, ad æmulationem acuendam, ſub auroram diei auguſtæ Crucis inuentioni dedicatæ tentare aggreſsionem imperat. Duriorem initio fortunam ſunt experti, Vuallonibus, Hiſpaniſque in ſubeuntes perpetuâ iaculutione fulminantibus. At, vbi Regij, quâ præualebant militum copiâ, è varijs partibus nemus introgreſsi, à tergo à lateribus, à fronte intulere arma, multitudine magis obruti, quàm ſuperati Vuallones primò, mox Hiſpani ad caſtra proxima ſe recipiunt, hi ſaluis, illi amiſsis impedimentis. Hollandi ad quatuor millia præſidio aggeris relicti, ne retentaretur à Fœderatis, omni diligentiâ præmunire contendunt. Verùm id ipſum anteuertere iuſsæ Capiſuchij, Idiaqueſij, & Barlottæ legiones, millia peditum ſena, primo diluculò ad aggerem progrediuntur: armaturæ grauis, & leuis equitibus percurſantibus omnem planitiem, aggeres, & caſtra interiacentem; nequa vis hoſtium à tergo aggreſsores turbaret. Is ardor animorum, & impetus æmularum legionum fuit, vt Hollandos, poſt breuem defenſionem, ſaluti ſuæ conſulere maturo receptu compulerint. Neque hunc habere tutum, per infeſtos Fœderatorum equites li-

cuiſſet, niſi Mompenſerij, & Niuernij Duces, cum Regalibus turmis, opportunum refugientibus præſidium præſtarent. Exinde Hiſpani, atque Itali, refectum celeriter aggerem, binis propugnaculis, propugnacula ſingula quaternis bombardis communiunt; ne de poſſeſsione nemoris, vltra litem Nauarræi armis intentent. Interim Rex neque ſuos interquieſcere, neque aduerſarios paſſus, ex ingenio indolis bellicoſæ, an vt Gallicę iuuentuti morem gereret, ſi à certaminibus ceſſaretur, caſtra deſerturæ: ad alias rationes vexandi exercitus Fœderatorũ induſtriam conuertit. Iuetoti ſuburbio, in quo primum agmen cum Duce Guiſio hoſpitium cœperat, imminebat collis, quem Gallorum excubiæ, loco præſidij, propter propinquitatem exercitus, tutabantur. Has per negligentiam, & ſocordiam agere Rex admonitus, occupandi collis negotium, ſenis Britannorum cohortibus mandat. Dein Bullionij Ducem, cum decem equitum turmis, interequitare iubet campos pago finitimos, ad Guiſianorum equitum fugam excipiendam. Neque prouideri dolus belli ſolertiùs à Rege, neque à Regijs diligentiùs adminiſtrari potuit. Niſi autem pari conſilio, & audaciá, obuiam itum eſſet à Catholicis Ducibus, non ambigi-

Negligenter cuſtoditum à Guiſianis collem Regij occupant, & ex illo, in ſubiecta ſuburbia fulminant.

bigitur, quin incuria Gallicarum ſtationum Fœderatis aciei primæ exitio conſtituta fuerit. Angli enim, nullis auditi, viſique vigilibus, noctis intempeſtæ ſilentio, inſcenderant collem, & excitato tumultuario ſuggeſtu, cùm aliquot minora tormenta impoſuiſſent, in ſubiecta ſuburbia paulo ante lucem, iaculari cœperunt, reſonantem eminus bombardarum fragorem, collabentium propiùs ædificiorum ſtrepitu comitante. Experrecti equites Guiſiani tanto tumultu, adeſſe hoſtem, & perniciem intra pagum ſuſpicari; grauiſſima quæque mala pauore nocturno ſuggerente. Expulſi ergo domibus, infidam ſtationem præbentibus, alij inermes, alij armati, ſed ambo ignari quos fugerent, aut quos impeterent, huc, illuc, veluti lymphati, ac mentis impotes vagabantur. Siquidem tormentorum tonitrua, & procidentium tectorum ruinæ, cùm hoſtilia omnia per aures ingererent, nullus interim hoſtis, quoquouersùm circumuoluerent oculos, apparebat. Vbi, ortâ luce, Britannos in proximo iugo, tamquam in ceruicibus hærere conſtitit: exterriti Guiſiani milites, eijcere ſe parabant in campos, ad certam vtique cædem, niſi prouidentia Ducum interceſſiſſet. Hi cum ſuis contubernalibus, ad oppidi portam progreſſi,

Effuſam ſuorũ è ſuburbio fugam Duces Fœderatorum inhibent.

fugam

fugam compeſcunt, partim minando per obuerſas cuſpides, tuboſque, partim dehortando; cum negarent effugium ad ſalutem patere in proxima planitie præoccupatá cateruis Nauarræorum, in id accinctis, vt Guiſianos exciperent, & obtruncarent. Neque tamen ſe authores eſſe, aiebant, vt manerent in tectis fluctuantibus, & caducis, ipsâ ſepulturâ extinguendi. Non diſceſſum improbare, ſed fugam, confuſionemque; ne in hoſtem inciderent, ſed vt incurrerent. Nam ſi armis protecti, ſi ſeruatis ordinibus, neceſſarium certamen fidenti animo, tamquam ex voluntate capeſſerent, non ſalutem illis modò, ſed & victoriam polliceri. Tranſire quippe ab aggreſsis in aggreſſores terrorem, vbi repugnantes præter ſpem viderint, quos impugnant. Ceu clauus clauo truditur, ita per metum ſanato metu, è ſuburbio prodeunt inſtructæ ad prælium turmæ, atque vltro in Nauarræos ſe inuehentes, inuehuntur. Inter pares viribus, animiſque congreſſus ferociter initus, mutuá conſenſione diſſoluitur. Nauarræi enim acriorem opinione hoſtem nacti, cùm de præda quam inhiauerant, deſperaſſent, nulla ſupererat cauſa, cur laborarent, pro infligendis vulneribus, accipiendiſque. Guiſianis autem pro magno munere futurum erat,

Egreſſi inſtructis agminibus Guiſiani cum Regijs pugnãt

Pugnam mutuo vtrique conſenſu diri-munt.

ſi an-

ſi ancipiti ſorte diu conflictatis, tandem ſe, ſuaſque ſarcinas in tutum recipere daretur. Quod modico impendio ſtetit, duobus proceribus Contenantio, & Magionio in poteſtatem hoſtium redactis, dum in extremo agmine animoſiùs, quam cautiùs præliantur.

Equeſtre hoc leuius expectatione certamen alius congreſſus excepit, opinione pugnantium grauior, iuſtoque ſimillimus prælio; qui pedetentim ad vniuerſi aleam belli geminas acies tracturus videbatur, niſi diſpari ex cauſa, ambo Imperatores abnuiſſent. Occaſionem præbuit nouum tentamentum Nauarræ Regis. Is ne ſpatium reſpirandi Farneſianis daret, alterá luce Philippo Naſſauio mandat, vt expugnet collem, vltra ſyluam ſuperiùs commemoratam, poſitum: quem tres Vvallonum, totidem Hiſpanorum cohortes tutabantur, tanto à caſtris Fœderatorum remotum interuallo, quantum bombardæ ictus extenditur. Profectus ante lucem cum legione Batauica Naſſauius, tegente iter ſylueſtrium arborum denſitate, ex inopinato tam ferociter arma tumuli cuſtodibus intulit, vt ſemihoræ ſpatio imparatos, atque inermes inde deiecerit. Tunc edito quod conuenerat ſigno, vt ſocij cum tormentis ad communiendum iugum

Naſſauius à Rege miſſus Fœderatos deijcit ex alio colle.

gum

gum accelerarent, ipſe confeſtim militum manus in molitionem aggeris confert. Neque ex vſu erat, neque ex dignitate, vt eo loci Nauarræos conſiſtere paterentur Farneſiani; qui magnis rerum difficultatibus irritati magis, quàm fracti obſtinauerant animos, ante de vita cedere, quàm de veſtigio ſoli quod inſediſſent. Protinus Camillus Capiſuchius cum tribus legionibus Hiſpanâ, Italâ, & Vuallonicâ ad collem recuperandum à Mainei Duce, ac Parmæ Principe mittitur. Interea Fœderatorum peditatus ad pugnam expeditus, pro fronte caſtrorum in armis erat; extraque caſtra equites vniuerſi tam grauis, quàm leuis armaturæ vagabantur, præſidio ſuorum peditum futuri. Neque minùs ex aduerſo Franciæ Rex, cunctà ſuorum peditum agmina, Gallos, Anglos, Heluetios inſtructos ad prælium caſtris eduxerat, Mompenſerij, ac Bullionij Ducibus altero cum Gallicis, cum Germanicis altero grauis armaturæ turmis, vtrumque cornu curare iuſſis; iuſſis pariter equitibus leuiter armatis percurrere interiecta camporum æquora, ne, ſi fortè Hollandos è cliuo, quem tenebant, exturbari contingeret, eos in receptu circumuentos, alæ Fœderatorum obtererent. Continuatis geminas horas, inter inimicas legiones, in

Quem recuperare Fœderati miſſis illico fortiſſimis legionibus feſtinant.

Dum feruet in colle pugna, miles vtrinq; tanquã ad vltimum certamen educitur.

in colle conflictus,amborum exercituum in plano ſuſpenſos oculos, animoſque ſpectaculo diu otioſo detinuit expertes prælij, ſed non curæ. Nam, vti cuiuſque partis aggredientium, aut propugnantium ſors erat, ita ſtudio ſuorum adſtrictos hos, vel illos, diuerſimodè affici cerneres, vel gaudio, vel mœrore. Neque ſecus ac ſi quidquam eâ ſedulitate proficerent, ſignificatione manuum, niſu corporum, hortatu, monitu amicis laborantibus opitulari conātes. Secundior tandem aggreſſoribus fortuna, habitus animorum in exercitibus variauit. Lœtos Fœderatos, & alacres, triſtes Regios, & de futuro ſollicitos fecit. Poſtquam enim labore multo, & ſanguine præſertim Italorum, Bataui pedites de faſtigio collis depulſi ſunt, dum per campos ad ſua caſtra ſe recipiunt, cauſam noui congreſſus præbuere, inter equites Regios, Fœderatoſque. Hi quippe hoſtilem peditatum opprimere, plenamque repoıtare victoriam, ſocios illi, amicoſque defenſare, atque vlciſci geſtiebant, cùm ambos æmulatio virtutis, & ira ex æquo concitaret. Illos, vt ſpiritus contunderent Fœderàtorum in maximis annonæ difficultatibus contumaces: hos vt hoſtem perpetuò laceſſentem, atque importunum vulneribus, & ſtrage com-

Depelluntur tandem non ſine multo ſãguine Naſſauiani.

Pugna hinc, inter vtriuſq, partis equites orta.

Ffff pe-

peſcerent. Primò equites leuiter armati, haud leue commiſere certamen. Dein Mompenſerio, & Bullionio alas loricatorum auxilio ſuorum ſubmittentibus, ex aduerſo Mainei, & Guiſiæ Duces, Parmæ Princeps, & Marchio Renthiacus, cum grauis armaturæ turmis inuadunt. Neque modò conſilia, & imperia Summates Duces, verùm etiam manus, & pericula miſcuere: fulminantibus vtrinque magno fragore bombardis, cum pernicie grauiore Regiorum, propter peritiam in eo genere inſignem Mottæi generalis magiſtri tormentorum apud Fœderatos. Vt incredibili animorum ardore pugnaretur, certaminis tamquam poſtremùm futuri opinio fecit. Adhibitus nempe vniuerſarum

Decem horis miro ardore pugnatur.

virium vtrinque conatus, nullâ parte agminum dimicationis experte, neque tormentis de mane ad veſperam à iaculatione feriantibus; prolixitas pugnæ in denas horas marte vario protractæ, labores, diſcurſus, ac molimina Ducum; è quibus, Parmæ Principem inter medios Anglos fortiſsimè præliantem ſuffoſſus equus deſtituerat, cùm æger Alexander ſellæ geſtamine non contentus, in equum imponi voluerit, vt acies medias intercurſaret, prouideretque, ne qua occaſio, ſiue neceſsitas pertraheret ambas ad certamẽ vltimum,

quod

quod eo tempore febris ardens, acerbique brachij ſauciati dolores, concoquere non ſinebant. Sed neque Franciæ Regi è ſua re videbatur, arbitrio ſortis committere victoriam, quam ſibi certam de Fœderatis deſponderat à ſubductione cibariorum. Quamobrem conſentiens maximorum Ducum authoritas, apud oppoſitas hoſtiles acies prævaluit; quamuis inflammatæ armorum furore, guſtati ſanguinis auidæ, cupidæque vno certamine cuncta finiundi, ad nouiſſimum caſum ruerent. Aſſiduo certè labore, vulneribuſque laſſatos æqualiter exercitus, alterum diuturnæ belli moræ, alterum ingraueſcentis inopiæ, immane quantum tœdium cœperat, ita vt in celeri ſeu morte, ſeu victoria poſitum vtriſque malorum remedium videretur.

Militem finiundi belli cupidũ hinc Hẽricus, illinc Alexander, diuerſis quiſque de cauſis inhibent.

Et ſanè Fœderatorum legiones exhauſtæ tot malis, decreſcebant in dies; ex militum ſeptemdecim millibus, ad nouem ſummá redeunte. Pedes autem Farneſianus ferro, ac tempeſtatum iniurijs inuictus non reperiebat, quibus armis grauiſſimæ omnium neceſſitati obluctaretur. Neque meliori conditione equites erant; ad maciem redactis equis generoſioribus, inopiá, & malignitate pabuli, aeriſque inclementiá, quâ dies, noctesque ſub dio verſantes macerabantur;

Exercitus Fœderati calamitates ex cibariæ rei penuria

Et ex penuria pecuniæ.

cùm defectus pecuniæ, anguſtias commeatus prægrauaret. Siquidem egens bellator, non erat ijs promercandis, quæ à lixis, & calonibus hoſtium commutanda grandi pretio afferebantur. Inter quæ proſtabat venalis & aqua, propinquo licèt flumine. Quoniam Sequanæ oſtia ſubeuntes oceani fluctus, marinam amaritiem dulcibus aquis inſpergebant. His difficultatibus fracti pedites Galli, qui Sancto fœderi militabant, ad fallendas Regiorum cuſtodias facultatem nacti communione veſtis, & linguæ, ſub ſignis quotidie rariores apparebant. Equites verò per Aumaliæ Ducem diſertè denuntiauerant, niſi ſtipendium ſolueretur, caſtra communiter deſerturos. Et quidem à re nummaria nihilo erat inſtructiùs ærarium Regis. Sed ſufficiens victus ex fertilibus circum prouincijs, quæque veluti iure ſuo rapiebat pauper miles, pro ſtipendio erant, & pro ſolatio. Præter victoriæ ſpem, quam ad lenienda belli tœdia omni arte alebat Rex Henricus, extremas Fœderatorum ærumnas exaggerans, non ex falſo. Nam, qui vnus ijs mederi poterat, Parmæ Ducem ad ſalutis penè deſperationem adduxerat vulneris ægritudo, quæ inter ſummos brachij multifariam ſecti cruciatus, recruduerat magis, aſſiduis irritata vigilijs, queis,

Penuria pecuniæ etiam in exercitu Regio. Sed ciborum copia leuabatur, & ſpe victoriæ.

Alexāder doloris violentia, adminiſtrando bello penè inutilis redditur.

queis, inquietanti diurnis aſſultibus, nocturniſque Nauarræ Regi obuiam ibat. Quod niſi præſtaret ipſe, licèt ſemiuiuus, & conſilium ſæpius, interdum præſentiam, feretro circumuectus, hoſtilibus tentamentis opponeret, ingens profectò clades Catholicæ Religioni, & Chriſtianæ reipublicæ exitialis, accipi potuit. Exedebat inſuper Parmenſis animum, vnde pernicies (vti ſolet) redundabat in corpus, inueteratus inconſolabilis mœror, ob ſalutaria conſilia repudiata nō ſemel à Gallis Ducibus, quorum noxiæ pænas innoxius ipſe, ſuuſque exercitus, communi omnibus periculo luerent. Quamobrem laboribus, & curis afflictam valetudinem onerantibus, animo ſic linquebatur interdum, vt ne obeundis quidem vitæ officijs, ne dum belli conſilijs expediendis videretur par. Accedebat ad malorum cumulum, quod Ducis quoque Mainei valetudo tentari cœperat, Georgius Baſta Equitum Commiſſarius æger decumbebat in lecto, vno è ſummis Imperatoribus, integro Parmæ Principe; quem ne multiplicati labores obruerent, aut generosè in diſcrimina ſe offerentem, ne fortuiti caſus interciperent, & Pater, & exercitus metuebant.

Alij etiam Fęderatorum Duces morbo tentantur.

Hæc incommoda Fœderatorum, ad Henricum Regem deferebantur, per crebra transfugia Gal-

Has neceſſitates Regi patefaciunt Galli transfugæ.

Gallorum, qui nutante Sancti Fœderis fortuná, mutabant fidem. Plenus itaque Henricus fiduciá, victoriæ citra belli aleam conficiundæ, ad æmulandas Farneſij artes induſtriam contulit. Sepire vallo caſtra, aggerem circumducere, propugnaculis, ac tormentis munire, ne à Fœderatis omnem aliam ſalutis viam intercluſam cernentibus, per certamen, & victoriam effugium tentaretur. Cùm autem abundaret militum copijs in tantum, vt aduerſarios duplo peditum, triplo equitum numero ſuperaret, per hos obſeſſis omnibus annonæ itineribus, ad vltimam famem adducere meditabatur. Mompenſerij Dux, cum primo agmine, ad dexteram Catholici exercitus tetenderat, vnde dimiſſæ, ad cuſtodiendos circumiectos campos, nequa cibaria inueherentur, excurſoriæ turmæ, Regijs equitibus ex Diepæ, Sancti Valerij, aliarumque arcium præſidijs, eamdem operam præſtantibus occurſabant. Mediam Regiorum aciem, in qua peditatus externi Britannici, Germanici, & Heluetici robora inerant, ſuper militari via, quæ Picardiam ſpectat, Rex Henricus ipſe collocauerat. Bullionij Duce, cui poſtremum agmen parebat, ſiniſtram partem occupante, tractumque omnem & colles, per quos à Rhotomago ad Calidobechum via

Omnes adimendæ Fœderatis annonæ vias obſidet Rex Henricus.

mili-

militaris ducit. Vnum Sequanam præſidijs regijs vacantem, ſui amplitudo aluei, & profunditas aquarum maris æmula muniebat; præter Batauicam claſſem, quâ medium flumen ad Henricopolim cuſtodiente, ſi qua nauigia, cum cibarijs à Gratiæ portu, ditionis Fœderatorum, oſtium Sequanæ intrauerant, ad Calidobechum, & Farneſij caſtra adſpirare prohibebantur.

Ita rebus ad votum fluentibus, Rex adductus in confidentiam maximam, certam in manibus victoriam credere, atque affirmare, tam domeſticis in ſermonibus ad familiares, quàm in literis ad prouinciarum Gubernatores, & ad Britanniæ Reginam, Germaniæque Principes, datis. Incluſos velut in cauea, in Calidobechi peninſula, Fœderatos circumſideri, cibo, potu, omnibus vitæ alimentis excluſos. Niſi pennis in ſublime elati, cœleſte iter cum auibus captent, effugia patere nulla; ſed neque fortibus viris optanda, per hoſtium dexteras vulnera, & necem oppetituros. Occumbendum tamquam ignauis, tamquam victis, vinctiſque, infeliciſsimo lethi genere; niſi maturè poſitis animis, armiſque, victoris clementiam exorent. Nam ſe miſerorum ſanguine non egere, ad exaturandam ſæuitiem; neque poſtulare, quò ſuperbiæ in-

Inde victoriæ fama in Gallia & extra Galliã propagatur.

indulgeat, vt Caudina Romanæ ignominiæ exempla renouentur. Quin humanarum viciſsitudinum memorem, cunctis qui arma tradiderint, vitam, libertatem, & commeatum in patriam polliceri: Gallis vt pote ciuibus, etiam arma redditurum, dummodo ſacramento fidem obligent, non laturos vltra contra Regem. At retentos cum Farneſio primarios Duces, ad pacem firmiùs ſanciendam, pro vadibus fore.

Variè Europã hic rumor afficit, pro ſtudijs nationum.

Splendida iſthæc Franciæ Regis prædicatio, in varias Europæ regiones delata, varijs animorum motibus, pro ſtudijs nationum accepta eſt. In vniuerſum, conclamata res Fœderis haberi, deplorata Alexandri ſalus, Regiſque triumphi paſsim per ora hominum circumferri. Quin eâdem famâ Parmenſis aures adlabente, quamuis improſpera valetudinis riſum vix admitterent, temperare non potuit, quin ſuperbam Hoſtis fiduciam iocis perſtringeret, acriùs factis vindicaturus. Tantum animorum in exangui pectore ſupererat. Habere ſe Regi gratiam (dicebat) qui gloriatione magnificâ feciſſet, vt ſe conditionis Fœderatorum minùs commodæ non pœniteret. Quo enim propiùs deſperationem veniſſe rem Fœderis percrebuerit, eò conſpectiorem futuram laudem Imperatoris, ex inſperato fortunæ

Iocatur Alexander in Hoſtis fiduciam.

tunæ



A. Pariſij.
B. Laniacum.
C. Corbolium.
D. Dieppa.
E. Calidobechum.

F. Exercitus Regis Nauarræ.
G. Copiæ Parmenſis Ducis.
H. Sequana Flumen
I. Farneſij Cohortes, quæ naues conſcendunt

K. Princeps Ranucius Regios adoriturne Catholicorum conſentionem impediant.
L. Propugnaculum in Fluminis Ripa à Parmenſi excitatum.
L. Alterum Propugnaculum.

M. Ratis prægrandis transportandis.
N. Naues armatæ H quæ adoriuntur tormenta transue



randis tormentis
ndis.
atæ Hollandorum,
untur rates
transuehentes.

O. Princeps Ranucius tormentis seruandis accurrit.
P. Alexander Dux.
Q. Tormenta recepta.

R. Exercitus Ducis Parmenſis Flumen transgreſſus iter ingreditur.

tunæ rotam conuertentis. An dubium eſſe, medenti morbos, Nauarcho tempeſtates optabiles incidere, vnde ſanando, ſaluandoque, per miracula artis gloriam quærant? Nimirum, ex quo Dux Mainei, & Galli conſiliarij, vincendi occaſiones à ſe non ſemel indicatas præteruolare paſſi fuerint, ecquam aliàm opportuniorem reſtare viam graſſandi ad belli decora, niſi vt exercitus fame perditus, ſub Duce ſemiuiuo, hoſtibus multitudine, copiâ militum, & cibariorum ſuperioribus obſiſtat, fruſtretur, illudat, perque victoriam, & prædas de Nauarræis reportatas, reuictam Regalis iactantiæ vanitatem in triumphum ducat?

Sequanam nauibus traijcere, & Lutetiam exercitum adducere ſtatuit Alexander.

Iam pridem Farneſius, ex quo contractiorem in dies annonam fieri ſenſerat, rationem excogitauerat, quâ de laqueis, in quos alienâ culpâ ſe induerat, ſuo ſe ingenio extricaret. Anceps primò aſpectu, plenumque audaciæ conſilium, ſed perinde neceſſarium, ac ſalubre, Sequanam tranſmittere nauigijs, & feſtinatis quantâ maximâ celeritate itineribus, Pariſios in tutum recipere conſtituit copias, per viam priùs hoſtilium oppidorum direptionibus alendas, ditandaſque. Vt commodiùs deſtinata perficeret, caſtra propiùs flumen collocanda duxit. Primo

Primâ luce caſtris egreditur.

mane, Sequanam versùs & Calidobechum, ſilentibus tubis, tympaniſque exercitum mouet, cùm opportunè ſuborta nebula profectionem tegeret. Ne ſtrepitus vaſa colligentium exciret hoſtem inquietum, inſtiturumque abeuntium veſtigijs, quatuor lanceariorum turmæ, cum ſenis fiſtulatorum cohortibus progreſſæ, ſub Ranutio Principe, Regias in aditu ſyluæ ſtationes, quàm tumultuoſiſſimè inuadunt. Iamque primoribus cæſis, aut fugatis, ferociter inſtabant cœteris Fœderati, cùm exeuntes è caſtris Nauarræi equites, pediteſque certamen ſummâ contentione redintegrant. Dum illic ſtrenuè res geritur, & à depluente vndique pilarum tempeſtate, perſtrepunt cuncta, Fœderatorum agmina per otium, & ſecuritatem ad Sequanæ ripam ſe transferunt. Tres horas tenuit obſtinata in fronte nemoris concertatio. Cùm ex vna parte Fœderati ſpeciem præberent, quaſi locum ab hoſtibus inſeſſum occupare niterentur, cùm ex aduerſo Regij fortiſſimè repugnarent. Donec Ranutius à ſuis admonitus, in tuto iam ſocias copias eſſe, ſenſim cohortes pedem referre imperat, atque extremo agmini, quod Aumaliæ Dux regebat, ſe adiungere. Has porro ipſe concitatiore gradu eſt ſubſecutus, improuiſo abſceſſu

Fallendo Hoſti, Filium cum aliquot equitum peditumque turmis ad inuadendam Regiorũ ſtationẽ emittit.

Dum feruet concertatio, Fœderati in tutum euadũt.

Sequitur ſuos Princeps Farneſius, & dies hoſti fraudem aperit.

ſceſſu attonitos relinquens equites Regios, Regemque. Qui poſtea ſolertiam iuuenis Farneſij, ſine fine laudauit, vbi diſcuſsâ nebulâ, vacuiſque apparentibus Fœderatorum caſtris, innotuit, quò velitatio illa, & pugna tam vehementer pugnata ſpectaſſet.

Quamuis nihil propiùs fuerit, quàm vt militum paucorum ſiue incuriâ, ſiue flagitio, huiuſce receptus gloria deformaretur, aut in cladem verteret. Siquidem in reditu, Princeps Ranutius tria ænea tormenta, in priſtinis deſerta caſtris offendit. Quamobrem quantumcumque periculum, à propinquo hoſte, ſi fortè recedentis tergo inhæreret, poſt hanc ignominiam ponens, confeſtim cohortes, quas dimiſerat, ab itinere reuocat, atque earum collatâ celeriter operâ, in caſtra militares machinas reducit, cum ingenti Parentis gaudio, & militum triumpho. Quæ ſanè omnia licèt incredibili alacritate perfecta fuerint, magna tamen ex parte fructu ſuo caruiſſet labor, niſi Nauarræos à perſequendis, cùm pedem referrent, Farneſianis auertiſſet, aut ſuſpicio inſidiarum, aut tædium, & laſsitudo certaminis. Adeò in bellis & ſapiẽter prouiſis, & fortiter adminiſtratis, quaſi iure ſuo fortuna interuenit, & niſi virtuti Ducum quantumuis exaggera-

Relictas per incuriam tres curules machinas magnâ ſuorum lętitiâ in caſtra adducit idem Princeps.

tæ, calculum ſuum addat (vt cum vulgo loquar) cœca iſthæc rerum Domina, martialis gloria non abſoluitur.

Henricus abeuntium Fœderatorum veſtigijs inſiſtit, in omnem rei gerendæ occaſionem intentus.

Periniquo animo tulit Rex Henricus hunc receptum, migrationemque Fœderatorum, in tanta propinquitate ſuarum legionum, citra periculum, ne dum citra cladem, ſuoſque Duces tantâ belli arte à Parmenſi puero circumductos. Quare non modò in caſtra, quæ mane hoſtes reliquerant, ipſe veſperi cum exercitu tranſgreſſus eſt, ſed poſtridie vix ortâ luce ad ſpeculanda noua Fœderatorum caſtra contendit, vt ſicubi munita eſſent negligentiùs, illac locum infligendo vulneri quæreret. Animaduertit ſtationem equitum leuis armaturæ, à reliquo exercitus corpore ſpatio diſiunctam longiore, quàm vt ſubueniri commodè poſſet, ſi fortè à Regijs inuaderetur. Id ipſum caſtrorum vitium prior Alexander notauerat, cùm adumbrata ei de more proponeretur in tabella forma caſtrorum; iuſſeratque per celerem mutationem equeſtris hoſpitij, periculo anteuerti. Quominùs extemplo obtemperaretur, obſtitit auaritia Prodromi equitatus, qui ſuas in tutum ſarcinulas auehendas ante curauit, quam Imperatoris mandatum ad Duces equitum perferret. Quapropter vbi detrimen-

mentum à ſtudio priuatæ reculæ, reipublicæ importatum audiuit, præcipiti fugâ gulam merito laqueo ſubduxit. Rex igitur poſterâ luce mille pedites, equites bis mille, cum ſeptem minoribus tormentis ad aggredienda caſtra Farneſianorum equitum mittit, ſub fortiſſimis Ducibus Bironio iuniore, ac Nuano item filio clarioris alterius, quem olim in Belgio militantem, ſub auſpicio Orangij Principis, à fortitudine bellica, & etiam amiſſo in pugna brachio, ſicut Valentinum Hiſpani brachium ferreum appellauerant. Cœteræ quoque cohortes, & turmæ, vt armarentur Rex præceperat, vbi res poſceret, ad ſubſidium accurſuræ. Irruptio Regiorum, & repentina fuit, & vehemens, audaciam augente propinquo exercitu: cùm ex altera parte Fœderatorum diſciplinam feciſſet ſolutiorem, abſentia Georgij Baſtæ equitum Commiſſarij, qui Calidobechi in oppido, ex morbo iacebat æger. Itaque equites breui defenſione tentata, deſertis tentorijs, impedimentiſque, vix incolumes in maiora caſtra ſe recipiunt. Illic ad arma conclamatum, ſtatimque Hiſpanorum quatuor cohortes, ſub Duce impigro Franciſco Venero, ſiue ad auxilium, ſiue ad vltionem inſtructæ prodeunt. Fiſtulatores omnes erant.

In leuis armaturæ equites, longiùs à reliquo Fœderatorum exercitu ſeiunctus lectiſſimam militum manum immittit Rex.

Fœderati equites, vix tentata defenſione in maiora caſtra ſe conferunt relictis impedimentis.

Qua-

Redeũtibus cũ præda Regijs non parũ cladis Hiſpani fiſtulatores inferunt.

Quare occupato aggere imminente valli, per quam onuſti prædâ redibant Regij, non modicam intulere crebris iaculationibus cladem, grauiorem illaturi, de loco peditibus ad præliandum, quàm equitibus opportuniore; ſi aut reliquus Hiſpanorum peditatus inſequi Venerum feſtinaſſet, aut niſi Nauarræi expeditionis exitu vtcunque proſpero contenti, ſecuritati ſuæ, maturato cum præda reditu conſuluiſſent.

Hoc equitum infortuniũ Alexãdrum iter accelerare cogit.

Hoc infortunium ſtimulos accelerandæ profectionis Farneſio ſubdidit. Quandoquidem eò ventum videbat, vt neque ſuis Ducibus, morbo, & fame languentibus, neque Gallis perfidia inſuper laborantibus credere tutò rempublicam poſſet, nec denique ſatis fideret ipſimet ſibi; Quippe qui, aliàs integris viribus, errores miniſtrorum corrigere ſolitus, tunc in languido corpore, deficiente ſæpius animo, niſi per interualla, Farneſio toto vti non poterat. Cœterum, nacto iam filum, quo ſe his labyrinthis euolueret, artificium fuit adhibendum, per quod Maineus, & Galli conſiliarij à ſuis Hiſpanorumque ſententijs diſſidere pertinaces pellicerentur, vt quemadmodum victoriam recuſauerant, ita etiam ſalutem non abnuerent. Mottæo caſtrorum Præfecto conſilium primò communicat, mox eodem adiu-

Vt Maineum ad traijciendũ Sequanam inducat, Mottæi opera vtitur.

Conſiliũ Maineo Duci, & Mottæ Domino communicat.

adiutore ad pertrahendum in ſententiam Mainei Ducem hac ratione vſus eſt. Cùm propoſitum traijciendi fluminis, ambobus aperuiſſet; vterque ſtatim, ex ingenio, & aſſuetudine Lotharingus, Mottæus ex compoſito, & ſimulatè ad contradicendum eriguntur. Magnas ambo difficultates, & aperta diſcrimina obijciebant. Latitudinem fluminis, altitudinemque aquarum, propè oceani oſtia, in immenſum excreſcentium: tum propinquitatem Regij exercitus, equeſtribus, & pedeſtribus copijs affluentis: tranſuehendorum inſuper in alteram ripam tormentorum, ſarcinarumque multitudinem, præter equitatum, peditatumque. Ne modicos quidem torrentes, ac riuulos, citra periculum coram hoſtibus tranſuadari: quanto diſcrimini fore expoſitum tranſitum fluminis interminati; ſtatis marinis æſtibus ad pelagi ſimilitudinem procelloſi? in vicinitate porrò tanta Regiorum agminum, qui nauigia vltro citroque commeantia, vel impetita tormentis demerſuri ſint, vel manu, ac prælio occupaturi. Niſi fortè ſperaret Alexander, furtim tranſmitti poſſe tantum aquarum, à tanta vi militum, impedimentorum, baliſtarumque, nil ſentiente, aut nil auſuro propinquo Rege, iuxta vigili, & inquieto? Qui videlicet ad Fœdera-

Propoſitæ ab his difficultates.

deratos diuexandos omnibus horis, &, ne quoquam ſe inſcio, inuitoue cogitarent, ſua propemodum caſtra ipſorum caſtris applicuerit. Addebat præterea Maineus generosè ſententiam ſuam, popularem, & in vulgus militum probabilem. Si valetudo propè complorata Farneſij, ſi morbi Ducum, militumque, & nihilo meliùs à commeatu, & pecunia valens reſpublica, ex tædio vitæ, conſilia deſperata ſuggererent nonne expeditius irruptionem per medias Nauarræorum acies tentare, vt in prælio non in fuga, non vndis obruti mortem indecorem, ſed glorioſam ferro nec inultam viri militares oppetant? Hæc Maineus. Cui Parmenſis diſertè: de ſua, multo minùs de communi ſalute deſperaſſe ſe pernegat. Conſilium quidem afferre nouum, anceps, arduum, ſed perinde neceſſitatibus exercitus Catholici, ac ſaluti accomodatum. Quodque (vti bis meminerint à ſe factum in Lutetia olim, nuper in Rhotomago liberatis) incolumitatem ſuis, hoſtibus terrorem, &, ſi interpellare auſint, exitium, admirationem cunctis gentibus ſit pariturum. Receptum ſuadere, non fugam. Quamuis hanc aliquando, inter artes belli, ad intercipiendam victoriam, computari. Luce, palàm in conſpectu Regalium legionum, Se-

Soluuntur ab Alex. qui ſui conſilij rationes explicat.

qua-

quanam cum exercitu tranſiturum, ita quidem rebus omnibus temperatis; vt non lixa, non iumentum, ne ſarcinula quidem (modò imperijs pareatur) peritura ſit. Binarum noctium, & vnius interiectæ lucis interualla, traducendis copijs depoſcere. Si qua pars equitum, aut impedimentorum ſuperfuerit, eam Rhotomagum mittere ſtatuiſſe, vt illo ponte traijciat. Poſt hæc, de fabricandis, in vtraque fluminis ripa, geminis caſtellis diſſeruit. Quorum alterum Sequanæ iugum imponeret, claſſemque frænaret Hollandicam, ne ab Henricopoli, vbi ſedebat, ſoluens naues adoriretur Fœderatorum exercitum tranſuehentes; alterum, quod obuerſum Regiorum caſtris, circumpoſitam planitiē ſeruaret, prohiberetque, ne pedites, equiteſque Galli Farneſianis in cymbas conſcendentibus negotium facerent.

Cùm hæc, aliaque in id ſpectantia vbertim Alexander explicuiſſet, Mottæus tamquam vi argumentorum euictus manus dare, probare inuentum, laudare ſolertiam, operis confectionem poſcere. Annuere pariter Dux Mainei, ſeu rationibus, & authoritatibus amborum inductus, ſeu, quòd in rebus anguſtis, æmulatio refrixiſſet, an denique, quia cautum ſibi, per priorem diſſenſum, ſatis duceret, ab improſperæ (ſi fors ob-

Alexandri ſententiam Mottæus primùm, deinde Maineus probat.

ſtaret) profectionis infamia. Eò igitur intentior Farneſius in expeditionem incubuit, cuius omnis ſiue gloria, ſiue dedecus, in ſe vnum redundatura erant. Præter innumerabilem copiam lintrium, lemborum, ratiumque variæ magnitudinis, quam Rhotomagi comparari mandauerat, ibidem extrui quàm occultiſſimè iuſſit quædam molis maioris nauigia; aliaque iuſtæ magnitudinis complura, terna inter ſe, aut quaterna coniungi: quæ aſſeribus fulta validiſſimis, & conſtrata capacibus tabulatis, quadraginta militaria tormenta, ſarcinas legionum, & cum equitibus equos commodè tranſportarent.

Plurimas variæ formæ naues Rhotomági confici curat Alex.

Cùm verò rates tradere Domini abnuerent, niſi pretium ante numeraretur, negarentque opifices Rhotomagenſes, opus iniunctum perfecturos, mercede non conſtitutâ, in extremâ inopiâ Hiſpani ærarij, ad publicam rem tuendam, publicâ exercitus beneuolentiâ Farneſio abutendum fuit. Quidquid igitur auri, argentique paulò ſplendidior miles, vel in nummis, vel in annulis, torquibuſque ſeruauerat, vt conferrent, inuitatu prouocauit, exemploque; deſumptis de ſuo, atque diuenditis argenteo inſtrumento, pretioſâ ſupellectile, & aureis ornamentis. In hunc modum conquiſitâ, & Rhotomagum ſummiſſâ pe-

Pet. de Caſtro in côm. a.1591

Cum pecunia deeſſet ad inſtruẽdum nauium apparatum, ſuo ſuorumque militum ære ac diuendita pretioſa ſupellectile hunc defectũ ſupplet.

ſâ pecuniâ, mirabili celeritate naualis apparatus inſtruitur.

Interim ad cuſtodiendam ripam, & flumen, hoc, ne ab exercitu Regio, illam, ne ab Hollandica claſſe, infeſta tranſmigrantibus fiant, octo cohortes Vuallonum, ſub Claudio Barlotta Tribuno, tranſmiſſæ in vlteriorem ripam erigunt, muniuntque propugnaculum ſtellatâ formâ; cuius tres radij Sequanam ſpectantes, vniuerſam alueí latitudinem defenſabant. Per idem tempus in oppoſita citima ripa, ſimile huic propugnaculum excitatur à Boſſuuij Comitis legionarijs, inſtruiturque tormentis quatuor, & propugnatoribus mille ducentis; queis non modò fluminis tranſitus muniebatur, & arx obuerſa mutuis fouebatur auxilijs, verùm etiam circumiacentibus latè campis, à tempeſtate pilarum iniectus terror, ripæ acceſſu Regias legiones arcebat.

Vtramque ripam gemino excitato propugnaculo munit.

Conſtructis arcibus, & exercitu ad profectionem accincto, quæ in XI. Kal. Iunias indicta fuerat, ſub antecedentis diei veſperam, de repente oculis Fœderatorum innumerabilis multitudo nauiū in flumine apparuit. Hæc paucis ab Rhotomago horis, velocitate ſumma deſcenderat, incitata curſu defluentis amnis, & recurſu oceani reciprocantis. Præter maiores rates, minoreſ-

Naues Rhotomago aduehiunt.

que grandia nauigia, tranſuerſis contecta trabibus, & pontonibus connexa viſebantur, pro equitatu, & bombardis æneis tranſuehendis. Vbi ad ripam claſſis hæc nauigiorum omnis generis appulit, nullâ interpoſitâ morâ, pedites Galli, equiteſque cum Duce Aumalio impoſiti, tum illorum ſarcinæ, cum aliquot militaribus tormentis, eâ ipſâ nocte traducuntur: præmiſſo quidem ad traijciendum Rhotomagi pontem, cum ſuis impedimentis Belgico equitatu. Ortâ luce, vt reliquæ legiones Hiſpani, Vuallones, Itali pari ſecuritate tranſmitterent; decem Italorum ſigna ſub Camillo Capiſuchio, & quadringenti equites Belgæ, Italis permixti, ſub Appio de Comitibus Pontificij exercitus Moderatore, progrediuntur in campos, Nauarræis tentorijs proximos; vt ſpeciem præbeant prouocantium de more Regios ad velitare certamen. Inter hæc Nauarræ Rex, rareſcere paulatim, atque imminui Fœderatorum aciem, quæ ſedebat in collibus, conſpicatus in ſuſpicionem bellici doli venerat. Sed opinatus alia omnia, præterquam id, quod erat, quod videlicet in tanta propinquitate, atque in conſpectu Regalium copiarum tranſire Sequanam Parmenſis auderet, iubet Bironium iuuenem cum expeditis equitibus inſcen-

Primoris mox agmen ratibus impoſitum tranſit.

Henricus dolum ſuſpicatus Bironium exploratum mittit, quid rerū hoſtis agat.

ſcen-

ſcendere proximum cliuum, ſpeculariq́ue quid rerum Hoſtis agitaret. Biro celeriter faſtigium collis emenſus nouam, & vix credibilem, niſi teſtatam oculi facerent, inuſitati ſpectaculi aperit ſcenam. Fœderatorum copias tranſmittere vaſtiſſimum flumen, erectis vtrobique in ripa geminis hinc, atque illinc propugnaculis cuſtoditum. Alueum Sequanæ, quantus in latitudinem patet, millia paſſuum ferè duodecim, contabulatum, ſub innumeris latere nauigijs, partim commeantibus lentè cum ſarcinarum oneribus, tormentorum, militumque, partim remeantibus vacuis, eòque perniciori natatu fluuium remetientibus, ad cœteros tranſuehendos. Fœderatorum alios in vlteriorem ripam iam tranſgreſſos, atque à Ducibus diſtributos in ordinem, ſub ſuis abire vexillis: alios de pontonibus bellica tormenta, ſarcinaſque deponere: alios recèns appulſos exſcenſionem meditari. Neque ſecus in citeriore ripa, de reliquis paucis (minus enim quintâ exercitus parte ſupererat) nonnullos operam nauibus onerandis dare, ſcaphas, & lembos ad traijciendum quoſdam ingredi, reliquos diſpertitos in cohortes, ac turmas, tutari tranſgredientium terga; præter binas peditum, totidemque equitum acies in campum profectas, vel ad ſub-

Cuncta ſedulò explorat Bironius.

ſubmouendos longiùs à ripa Regios, vel ad detinendos, fruſtrandoſque adumbrati certaminis ſcenâ.

Exploràta Regi nuntiat, Hoſtis audaciam, & mutatam repentè rerum faciem miranti.

Cùm ex Bironio quamocyſſimè reuerſo huiuſcemodi narrationem Rex Henricus audiret, ſtupore primùm defixus hæſit, mox dolore, atque irâ inflammatus excanduit. Angebatur maximè, quod infringi ſentiret in manibus palmam, ſubripique victoriam exploratiſſimam, cuius ipſe famam in Gallias, & propinqua regna nuncijs literiſque diſtulerat. Circumcluſam caſſibus prædam neſcio quà inopinanter elabi, dum Sequanæ fluctus ab Oceani recurrentis æſtibus inacceſſos indigenis, externi exercitus nauigant, ratium ſyluâ repentè ſubnatâ. Eo ne ſe fato bellare, vt militarium laborum fructus Farneſianis toties artibus interceptos doleat? Sic belli furto Lutetiam ante ſeſquiannum: ſic alio Rhotomagum nuper ſurreptum; alio denique nunc Parmenſem, & ſemetipſum ex vulnere ſemianimem, & legiones à fame ſemimortuas, cladi, aut captiuitati ſubducere? Quid facturum, ſi ſe integro, aut illis valentibus vti poſſet? At non ſemper bellicos dolos feliciter proceſſuros. Aliquando detectam maturè fraudem in caput authoris reuolui.

Cùm

Cùm animum eiuſmodi cogitationibus momento volutaſſet, equites leuis armaturæ ire præcipites, ad occupandam hoſtium fugam imperat. Mox ipſe ſubſequitur, cum alis loricatorum, quantá maximá celeritate, vt extremam Fœderatorum aciem adhuc hærentem in ripa fluminis, & impeditam inuadat, opprimatque: Ad ſatietatem trucidaturos (exclamans) reliquias exercitus diſſipati, neque auſuras obſiſtere impares numero, animiſque, quæque iam in fuga, non in ferro, non in dexteris, at in pedibus, ratibuſque, ſpem ſalutis repoſuerint. Quin eodem impetu, nauigia parata conſcendere iubebat, vt in alteram ripam tranſgreſſi, cæderent agminum ſecundi, & primi fugientium terga, ſpolia diriperent, atque vnius prælij felici exitu, finem Fœderis tyrannidi, ſuo autem Regi, Gallici regni coronam imponerent. His animatæ vocibus Regiæ turmæ citato curſu, ad Sequanam deſcendebant, haud dubiam perniciem portantes Fœderatis tam in flumine, quàm in ripa verſantibus. Sed Boſſuuianum propugnaculum furentibus interceſſit. Cùm hos, & illos pariter tegeret, pilarum procellá, in Regios temerè ſubeuntes effuſá. Qua ſtatim diſcerptis primoribus, proximis ſauciatis, reliquorum curſus fuit retar- In ſubeuntes temerè Regios Fœderati è propugnaculo fulminãt.

retar-

retardatus. Rex ipſe, tunc reprehenſo equo, in alia conſilia reuoluitur. Imperat illico peditatum cum tormentis acciri, ad arcem ſubitariam, verberatione, atque aſſultibus excindendam. Simulque alia tormenta transferri iubet in collem Sequanæ impendentem, quem continuò præmiſſis equitibus occupauit, vt inde fulminantes bombardæ rates hoſtium in flumine deprimerent, mergerentque. Vtrumque conſilium irritum fecit tum ſolertia, tum velocitas Farneſiorum. Siquidem, antequam Regiæ cohortes cum tormentis muralibus ad quatiendam Boſſuuij arcem, aduenirent, eâ iam relictâ, Boſſuuiani, detractas inde bombardas, in nauigia transferebant. Et Alexander ab alterâ ripa conſpicatus Nauarræos molientes in cliuum æneas baliſtas, intellecto periculo; Centurionem in lembulo ad Principem filium legat cum mandatis, vt Regijs cohortibus in collem enitentibus opponat Italicæ legionis fiſtulatores inter vineta, ſyluaſque impunè iaculaturos. Quod vbi factum, & Regij pedites cum tormentis iter occæptum omittere coguntur, circuitu longiore tutiorem viam ad colles quæſituri, & ſpatium interea Fœderatis eſt datum, quo non modò vltimæ aciei agmina euaderent in alteram ripam, ve-

Propugnaculum expugnari, tormenta in collem promoueri iubet Rex.

Regis conatus celeritate & induſtriâ Farneſiorum eluditur.

verùm etiam, quod erat reliquum agminis, Vuallonicæ cohortes, cum Principe Ranutio, tormentiſque naues poſtremò ingrederentur.

In medio hi curſu erant, cum æneæ bombardæ de colle, in quem labore multo à regijs tandem translatæ fuerant, euomere perniciem cœperunt, tum in Vuallones nauigantes, tum in cuſtodem fluminis Barlottæ propugnaculum. Sed gratior eius tempeſtatis terror, quàm damnum fuit. Siquidem ferrei globi cùm in aggerem rectà inciderent, nihilo maiorem, quàm pro mole cuiuſque pilæ, hiatum faciebant: & Fœderatorum rates, vt æneam procellam declinarent, obuerſis iaculationi puppibus, ad inferiorem ripam proras direxerant. Maioris verò molis nauigium, quo tormenta vehebantur, ad Millaregium, paulò ſupra Calidobechum appulit.

Ita cunctis proſperè procedentibus, nouum periculum, vnde minùs timebatur, exoritur: quo Farneſiani receptus gloria, quæ in tuto collocata putabatur, in diſcrimen de integro redijt. Cùm enim à Boſſuuiano propugnaculo raptim auecta terna tormenta grandiori nauigio tranſportarentur, quàm remotiſſimè à collibus, è quibus Nauarræorum bombardæ detonabant, ecce tibi obuiam prodeunt armatæ Batauorum naues,

Nouum Farneſianorũ diſcrimen a ſuperueniente ex improuiſo Batauorum claſſe.

à Sequanæ fluminis oſtio: vnde, ſeu forte fortunâ Farneſianæ profectionis audito ſtrepitu, ſeu conſultò, per nuncium Regis admonitæ, ad obturbandum aſcenderant. Tunc deliberatio difficilis tam nautas machinarum vectores, quàm cuſtodes milites tenuit, quaſi Scyllam inter, & Charybdim deprehenſos. Incerti videlicet erant, vtrum præſtaret progredi, an retrocedere? Nam, ſi vltra tenderent, impareſque viribus in Batauam claſſem incurrerent, clades certa, vel captiuitas imminebat. Sin ad ſuperiorem ripam, longiùs à Batauis nauibus auerterent curſum, ſuberat timor, ne à depluente propiùs hoſtili pilarum nimbo ſubmergerentur. Parmæ pariter Principem, qui cùm equitibus in pontone vectus ad litus appropinquabat, haud minor animi fluctuatio circumdedit. Rediret in ſubeuntes Hollandos, vt periclitantia tormenta periculo ſuo vindicaret? Præter quam quòd iniquiſſimum certamen, de humilioribus in ſuperiores naues futurum apparebat, ſalutem publicam, quę in portu iam erat, in fluctus, & diſcrimina reuocabat. An trium tormentorũ exiguam iacturam, poſt exercitum incolumem, cum quinque ſupra triginta tormentis haberet? Angebat pudor, metuſque, ne quid ſpoliorum, non

Id periculum magnanima Parmæ Principis audacia diſcutitur.

tam

tam neglectum à Farneſijs, quàm ab ſe occupatum, Hoſtis iactaret. Vicit in iuuenili animo perfectæ laudis cupido: & cum paterna, tum propria, aduersùs Galliæ Regem æmulatio. His geminis veluti facibus inſtinctus, in cymbam deſilit, Mottæo, Capiſucchio, Sanpaulo, alijſque proceribus comitatus, & ad tormenta defenſanda prouolans, priùs exemplo, dein hortatu commilitones circumuectus accendit. Ne tam grande Catholicis partibus dedecus, & intolerandum Imperatori parenti ſuo dolorem inuri paterentur, vt vel vnico militari tormento potiretur Hoſtis. Fruſtra liberatum bis Rhotomagum, fruſtra Sequanam toties, & ad vltimum coram legionibus Regijs impunè tranſitum: ſi vllas haberent Nauarræi, quas pro trophæis oſtentarent, agmini Farneſiano detractas exuuias. Reputarent fideliſſimi commilitones, quid ab ipſis militare ſacramentum, quid Alexandri reuerentia, quid ante parta tot belli decora exigerent. Sibi omnia facere, ac perpeti certum, ne qua labes honoratiſſimi poſt hominum memoriam receptus gloriam inficiat. His vocibus perorantem Parmæ Principem, excepit ingens plaudentium legionum clamor, repercuſſu circumiacentium riparum, nemorum,

 vnda-

vndarumque congeminatus. Continuò in lintres, & lembos, etiam qui iam ripam obtinuerant, cum ſuis quiſque contubernalibus Duces inſiliunt, atque maioribus, minoribuſque ſclopis inſtructi Hollandis minantibus bellum, bellum vltrò inferunt. Barlottæ propugnaculo, cui fluminis cuſtodia credita erat, in ſuccedentes hoſtium naues, pilarum nimbum præmittente. Neque ſegniùs ex aduerſo Regij tormentorum libratores in flumen, & Fœderatorum rates, è colle iaculabantur. Sed diſpar erat in vtriſque, vti periculum, ſic & metus. Nam Fœderatorum lembi, quò incitatiùs in Batauos ferebantur, eò longiùs Regiorum à terra ictus declinabant.

Hollandi, vnde venerant, redire cópelluntur.

At Hollandorum naues, cùm Farneſianas oppugnatum venirent, in effuſam de propugnaculo globorum tempeſtatem ſe induebant, mox innumerabilium nauigiorum aſſultum excepturæ.

His geminis quaſſata terroribus, & antequam congrederetur, ſuperata Batauа claſſis, circumactis proris, eòque directis, vnde venerat, imperium fluminis liberum reliquit Farneſianis. Qui per oſtentationem pugnæ, victoriâ potiti, & quidem incruentâ, ouantes gaudio ad ripam appellunt. Illic è nauigijs deqoſita tormenta binæ Hiſpano-

panorum cohortes à Ranutio in id deſtinatæ excipiunt, mox inſtructis ordinibus, aciem mediam, quæ præceſſerat, ſubſequuntur.

Rates, quæ Fœderatos tranſuexerãt, aut Rhotomagum remiſſæ, aut igne abſumptæ.

Subſtitit parumper cum reliquijs extremi agminis Princeps, donec pontones, & rates, quæ tantum exercitum tranſuexerant, partim Rhotomagum, cum ſuis nautis pactâ mercede remuneratis, reuertuntur, partim cuſtodibus vacuæ, ne quem ad perſequendum hoſtibus præberent vſum, ſubiectis in ripa ignibus concremantur. Ad extremum omnem fluminis tractum incendijs collucentem deſerens Princeps Ranutius, paulo poſt ſolis occaſum coniungitur Alexandro. Is lento itinere ad Blimentiii vicum, ſtatim à militibus captum, ac direptum tribus à Sequana millibus paſſuum, caſtra poſuerat, munieratque; copias, quæ flumen ſiue ponte Rhotomagenſi, ſiue nauigijs tranſmiſerant, reliquo eius diei, & nocte proxima præſtolaturus.

Alexander recepto omni exercitu ſumma celeritate Lutetiam cõtendit.

Poſtquam hos recepit, alioſque milites collegit diſperſos in campis, poſtridie Lutetiam verſus itineri paratum, & prælio feſtinatione tantâ exercitum mouit, vt quadraginta propemodum millia paſſuum vnius diei ſpatio confecerit. Anteuertendum putabat celeritati Regis, quem fruſtratum cæteris tentamentis, expeditas ad vltimum

mum turmas immiſſurum ad Fœderatorum inſectanda veſtigia conijciebat, nec falsò. Siquidem Rex Henricus, vbi Regalium copiarum impetus, Batauicæ claſſis irruptio, & bombardarum de collibus iaculationes, in abſcedentes Catholicos fruſtra fuere, quod vnicè conandum ſupererat, omnem equitatum leuis armaturæ cum ſuis Ducibus, per arcuenſem pontem accelerare præcepit, vt, ſi quos licentia militaris, & libido latiùs depopulandi, aut ex morbis, vulneribuſue inualetudo, in via tardiores effecerat, hos à ſuorum ſubſidijs abiunctos opprimeret. Intercepti ſunt nonnulli, & trucidati ab equitibus Regijs iratis, ob fruſtratam ſpem victoriæ, prædarumque.

Imminentes Regij veſtigijs Fœderatorum paucos interceptos trucidant.

Altera luce Alexander Buſcaſciardum vicum in via poſitum cùm occupaſſet, Mainei Ducem cum equitum, peditumque ſubſidijs Rhotomagum inde dimittit, ad firmandum ſtatum ciuitatis, ne per occaſionem à propinquo Rege retentaretur. Tertia die Neoburgum oppidum, quòd ſe dedere recuſaſſet, expugnat, diripit, inceditque. Mox Eudamum conditionibus intrat, quoniam victoribus Neoburgenſi excidio ſatiatis pro venia ſupplicauerat.

Neoburgum expugnat & vaſtat, Eudamum deditione capit Alexander.

Difficile dictu eſt, quantam rerum copiam de-

ſpo-

ſpoliatis Hugonotorum oppidis in tranſcurſu auexerint Fœderati: multiplicem commeatum, generis varij ſupellectilem, non exiguam vim auri, argentique, paratam vltro, & expoſitam inuadentibus prædam; quandoquidem tamquam in ſumma pace agebant, ſecuri vnicè Catholicarum legionum; quas in Normanniæ angulum compulſas, obſeſſas, tantùm non captas, popularium litteris, ac teſtificationibus acceperant. Quin lætioribus in dies aduenientibus nuncijs, & conditiones referentibus; quas Rex victis indulturum ſe promiſerat, more humano, quo placita facilè creduntur, & augentur in maius, vota pro ſucceſſibus, & facienda pro factis, vulgata fuerant. Grauem igitur exercitum, opulentumque direptionibus hoſtilium regionum trahens, celeritate mirabili à Sequanæ oſtio, ad Charentonium pontem quatriduò populabundus Farneſius venit. Hinc immiſſâ Lutetiam ad diſtrahendum ingenti frugum, pecorum, & aliarum rerum prædâ, vnà operâ Pariſienſes ciues ciborum lautitiâ, & ſuas legiones pecuniarum pretijs lætiores fecit. Quamuis autem hoſpitaliter inuitaretur, abſtinendum duxit militem ingreſſu Ciuitatis, omni deliciarum genere affluentis. Verebatur ne, ſicut homines ab extremis in

Thuan. Buſſier. Caterinus. Turtura. Campana. Carolus Coloma lociscit. de Caſtro an. 1592.

Exercitũ opulentũ direptionibus hoſtiliũ agrorum Luteciã verſus Parmenſis ducit.

ex-

extrema ſine valetudinis vitio migrare non ſolent, ita Farneſianus exercitus, maxima penuriæ mala perpeſſus, copiá rerum diffflueret ſubitá, quemque aſpera præliorum non fregerant, opulentia, otium, & laſciuia vrbana diſſoluerent. Subitario è nauibus ponte conſtrato, per Alexandrum de Montibus Tribunum Italicæ legionis ad Lutetiæ cuſtodiam excubantis Sequanam rurſus cum copijs, tormentis, & ſarcinis traijcit, iterque dirigit ad Theodorici caſtrum, quod anno ſuperiore Hiſpanicis expugnatum armis Hiſpanico præſidio tenebatur. Egreſſæ Lutetiá Principes Matronæ Nemoroſia, Mompenſeria, Guiſia prætergredientem Farneſium conueniunt, & liberatum Rhotomagum, ſeruatum exercitum Fœderatorum, vtrumque ſumma cum gloria, gratulantur.

Principes fœminæ Lutetiá egreſſæ Parmẽſem cõueniunt gratulantes.

In Theodorici caſtro Parmenſis agmina egeſtate, certaminibus, & itineribus fatigata, quindecim dierum requiete, ac militarium operum vacatione recreauit, in regione amica, & abundanti. Tum aduectá de proximo Belgio pecuniá, ſtipendium exoluit emeritis legionibus, quæ ſemeſtrem in Gallia militiam, duobus tantu aureis viritim adnumeratis tolerauerant. Exinde vt exercitum Regis Hiſpani, adhuc in Gal-

Qui in caſtro Theodorici copias quiete, ac ſtipendio reficit.

Gallijs hærere ſentirent per ſua damna Nauarræi, Regijs circum arcibus arma inferri imperat. Alias pòpulationibus & incendijs agrorum, alias aſſultibus repentinis, vel obſidijs experiri vim belli. Epernæum quàm primum expugnari mandat, arcem non ignobilem, in ripa Matronæ ſitam; quâ in poteſtatem Sancti Fœderis redactâ, laxabatur Lutetiæ annona,& proximæ vrbi Chatalauno, in qua Senatus prouinciæ ſedem habet, metus ex periculo creabatur.

Rhoni Domino ſub auſpicio Mainei caſtrorum Præfecto Generali dimidiam partem copiarum ſubſidio Fœderatorum deſtinatam tradit legiones quinque ſub Fuſtembergio, Boſſuuio, Balanſonio, Barlotta, & Capiſuchio Tribunis,cum Italico,&Vvallonico equitatu ſub Marchione Malaſpina, quibus omnibus in Gallia Camillus Capiſuchius præerat, & ipſe ab Alexandro in Belgium regrediente Maineo parere iuſſus. In huius itaque aduentu Epernæo admota ſunt caſtra, poſitiſque idoneo loco tormentis, verberatio inſtituta. Cùm labefactata perpetuo quaſſu mœnia idoneum ruinâ ſpatium aperuiſſent,arcis Gubernator Sãcti Stephani Dominus inſtantis periculi monuit Regem.Is continuò Niuernij Ducem, & Bironium Mareſcal-

Ex literis Maynei a.1592

Mainei Dux Alex iuſſu Epernæum obſidet,& ad deditionem vrget.

Rex equitatũ præmittit, cum peditatu ſecuturus.

ſcallum, cum equitatu præmittit, cæteris rebus compoſitis, cum volucri acie ſubſecuturus. Nam poſt abitum Fœderatorum, ſtatim Germanas legiones cum Anhaltino Principe defectu ſtipendij tumultuantes exauthorauerat, Gallos quoque pedites vigilijs, prælijſque oppidò laſſos remiſerat domum, ſenis millibus externorum peditum, binis equitum Gallorum reſeruatis, quos Farneſio, ſi quid in Gallijs vltrà moliretur, opponeret. Biduum ijſdem in caſtris eſt immoratus ex mœrore animi, & inopia conſilij, quò arma, & vires verteret incertus; cùm omnia vacua, & muta circumſpiceret arua, colleſque paulò ante duorum exercituum fremitu, claſſicis, & clamoribus reſultantes. Elapſum è manibus, & auectum procul hoſtem penè captiuum, materiem perpetuam virtutis Gallicæ iuuentuti auidæ præliorum, ſimulque ſpem ſibi debellandi, rurſus abſtuliſſe. Contritam incaſſum obſidione trimeſtri Franci, Britanni, Bataui, Germani militis operam, Eliſabethæ Reginæ conſumptum aurum, ſuam, & ſuorum Ducum diligentiam eluſam, tantum ſudoris fruſtra fuſum, & ſanguinem etiam Regalem. Robora bellatorum, florem nobilitatis, præclariores Duces, quibus in acie Mars pepercerat, poſt hoſtis abſceſſum,

Digreſſis Fœderatis, magnã exercitus partem dimittit.

Mœrens, & incertus animi, ... fruſtratam ſpem victoriæ.

Ob multos bellatores, & Duces ferro extinctos, aut morbo, interque hos Mompenſerij Ducẽ, quẽ Regis laude dignatus fuit.

ſum, exantlatæ militiæ malis extabuiſſe. Interque hos Franciſcum Borbonium Mompenſerij Ducem Regij generis Principem, cui Rex ipſe virtutum excellentiſsimarum quodammodo inter ſe pugnantium præconium dedit, virum appellans per æquè pium, & militarem, quantum in ſanctitatem Catholicæ fidei propenſum, tantum à Sancto fœdere, atque à perfidia Fœderatorum alienum, Regi ſtudentem vel maximè, ſed eiuſdem Regis, in cauſa Religionis, minimè blandum obiurgatorem.

Iam verò Belgium repetenti Alexandro, res Fœderis, Catholici Regis armis proſperè geſta in tribus Galliæ prouincijs nunciatur. A Lotharingiæ Duce in ſua ditione, in Britannia minore à Duce Mercurij, cæſos vtrobique in acie Hugonotos, Epernæum verò in prouincia Briæ per obſidionem ſubactum induſtriâ, Camilli Capiſucchij, qui à Maineo Duce ad tranſigendum cum obſeſsis de conditionibus miſſus, optimas detulit, vt feſtinata deditione auxilia Regis irrita faceret, quod plane contigit è ſententia. Quare ſenior Biro cum arcis paulò ante hoſtibus deditæ munitiones exploraret ad recuperationem tentandam, ictu tormentariæ pilæ fortuito in caput impactæ, exanimatus concidit; vberibus lacri-

Carolus Colona. Turtura.

Tria vno tempore proſperè geſta nunciantur Alex.

crimis defletus à Rege; qui Ducis egregij, amiciſsimique caput, non Epernæi modò, ſed ſexcentarum arcium pretio redemptum vellet. Neque ſolùm Bironij Patris miſera cæde, verùm etiam filij prægrandi vulnere, multoque ſuorum ſanguine, Epernæum Henrico conſtitit. Quin interuallo menſis integri, ne dum quatriduo ea oppugnatio milites Regios fatigaſſet, niſi Rex, per ſimulationem inuadendæ proximæ arcis, elicitâ inde potiori parte præſidij, legione Vuallonica cum Barlotta Duce, mox oppidum ſemierme, tota mole virium aggreſſus foret.

Vt Regi paria reddant Fœderati, pro Epernæo Veruinium adoriuntur; & à quadringentis equitibus, ducentiſque peditibus fruſtra defenſum ad deditionem compellunt arcem ſitu, & ſtructurâ nobilem, nobiliorem intra ſexennium futuram pace, inter potentiſsimos Europæ Reges inibi conſtituenda. Nec eo contentæ Catholicorum copiæ, quoniam Nauarræ Rex, ad fluminis nauigationem Pariſienſibus impediendam, in Matronæ inſula propugnaculum extruxerat; ad eoſdem ab altera parte ſubleuandos, Creſpiacum in Valeſijs obſidione cingunt, expugnant, locique cuſtodiam Capiſuchio, eiuſque militibus committunt, vt ijs deducentibus cibaria

Ex Ducis Maynei ad ipſum Capiſuchium literis 21. Oct. 1592.

ria ex fertili circumiacente regione, Lutetiam ſecurè deuehantur.

At Farneſius grauiſsimi belli curâ, periculiſque, maiori gloriâ quam felicitate defunctus, in procerum concilio, ſtatum expoſuit valetudinis ſuæ, quæ tum à veteri intercuti morbo, tum à recenti vulnere, nimio plus debilitata languebat. Neque enim tempeſtiuæ curationi locum fecerat occaſionum neceſsitas, quotidiana diſcrimina, & ambigua frequentium præliorum. Retulit ſententias medentium, qui authores erant, vt omiſsis militaribus munijs, ad Spadanos fontes recurreret, ſi conſultum cuperet ſaluti præcipitanti. Senatu itaque annuente, in Belgium Idibus Iunij reuertitur, ſtatimque ad Spadanas aquas contendit: præmonito per literas auunculo Rege, quàm afflicta valetudine, quàmq; imbecillis corporis viribus vteretur. Quamobrem Imperatorijs muneribus impar, gratijs ante actis ex animo Regiæ Maieſtati, pro continuato tot annos Præfecturæ ſplendidiſsimæ honore, ſupplices preces adhibebat, vt per eius clementiam abdicare liceret. Vacaturum quod ſupererat vitæ, cum ſuſtentandæ valetudini, tum animo ad ſuprema componendo. Succeſſorem proinde quem deligere dignaretur, opperiri, qui virium integer, vegeto cor-

Qui admonet ſenatũ, de ſtatu ſuæ valetudinis, & de ſententiâ medentium.

Regem etiam admonet, & ſucceſſorem mitti poſtulat.

corpore, animoque prouinciarum adminiſtrationem capeſſeret: tum, ſi quid à languido Duce peccatum, corrigeret, repararetque. Miſſionem ſapienter flagitanti Parmæ Duci, Hiſpaniæ Rex, pari ſapientiâ repulſam dedit. Cùm enim Hiſpanæ rei, pariterque Chriſtianæ plurimum referre iudicaret, vt Belgicus exercitus, primo quoque tempore, Gallias repeteret, vbi, habenda erant ſuper Catholico Rege deligendo comitia, ijs adeſſe regendis, moderandiſque conſilio, atque armis, Alexandrum volebat, haud ignarus, quantâ ob prudentiam, gloriamque belli, apud Galliæ proceres, populoſque authoritate polleret. Laudare ſe itaque repetitum ſalubrium aquarum vſum, ſperareque (reſpondit) quemadmodum commodæ ſuperioribus annis extiterint, ita non abſimilem, ad ineundam tertiam in Gallias expeditionem, illarum ſenſurum opem. Hortari ergo, ac ſi opus ſit, etiam imperare, vt per æſtiuos menſes in vnam inſtaurandæ valetudinis curam intentus, nullis inde, ciuilibus, aut militaribus munijs abduci ſe ſinat. Sibi cœtera cordi fore. Comitemque de Fuentes Petrum Henricum Guſmanum ex Hiſpanijs mittere, qui pro Alexandro, ad Alexandri nutum, rem Belgicam temperet. Vnam Gallici Re-

Philippus Rex Galliarum comitijs pro Rege deligendo conuocatis Alexandrum adeſſe vult.

Laudat regreſſum ad Spadanas aquas vt earum ope conualeſcat magis.

Valeum ſed maximum negotiū electionem Regis illi commēdat.

Regis electionem, dignum ſeculorum curâ negotium Farneſianæ induſtriæ gubernandum reſeruare; quod, inſtar nauigij diutinâ tempeſtate iactati, ex alto litus tandem aſpiciat. Modò magnus Gubernator laceris velis, & armamentis vtcunque ad curſum aptatis, portum occupare non ceſſet.

Tam honorifico auunculi Regis iudicio, imperioque Farneſius, poſt iuuentam, & virile robur in obſequio Catholicæ Religionis,& Maieſtatis traducta, poſtremum quoque ætatis actum, & vltimum vitæ ſpiritum impendere iuſſus eſt. Nec detrectauit ille obſequij tenax, & parendi certus, quamuis in dies deficere labantia membra ſentiret. Verùm ita rebus commodabat humanis, diſtrictum duorum ingentium bellorum curis animum, vt imminens pro corona celeſti certamen decretorium æternitatis attentiùs meditaretur. Quinque ſiquidem menſium ſpatio, quot à reditu de Gallijs, ad exitum è terris interceſſere, ſæpius expiatis confeſſione culpis, quinquies ad diuinum epulum acceſſit; confectiſque teſtamenti tabulis piarum largitionum plenis, Principem filium, in Italiam ad auitas ditiones redire compulit, ne quid, occaſione paterni exceſſus, & hæredis abſentiæ, turbaretur.

Alex Regis imperio acquieſcit.

Ad mortem tamen piè ſe comparat.

Per ſacramenta Confeſs. & Euch. frequentata, teſtamentum conficit & Principem filium in Italiam remittit.

In-

Inter hæc, ab omni Galliæ parte delegati Fœderatarum ciuitatum Lutetiam Pariſiorum confluebant; quos vbi frequentes conueniſſe nunciatum eſt, domum in vrbe magnificam conduci ſibi, ornarique ſplendidè Farneſius iuſſit, comitijs præſentiâ, & conſilijs moderaturus.

Lutetiam confluentibus delegatis domũ ea in vrbe Farneſius conducit.

Quin, vt auctoritas amplior, & momentum ab armis accederet, colligendis vndecumque copijs, adque fines Galliarum promouendis inſtabat. Securitati Pariſienſium (vti ab ijs rogatus fuerat) conſultum ſe velle per armatas legiones prætendebat, aduerſus apertam Nauarræ Regis violentiam, & contra graſſantes occultò aſtus Politicorum. Cùm & amicos Fœderis principes, vnâ eademque operâ retinere in fide pararet, & Senatores Infanti Auſtriacæ fauentes ad fiduciam factionis erigere. Interea neceſſarius apparatus tantarum rerum moli, ex Hiſpanijs non apparebat. Quare literis ad Regem datis: Neque ſatis mirari ſe, neque cauſam ſuſpicari teſtabatur, cur, appetente die comitijs Galliarum inchoandis præſtitutâ, nulla pecuniæ, vel armorum ſubſidia in Belgium ex Hiſpanijs aduenirent: quo ſanè tempore, à cunctis Auſtriacæ dominationis prouincijs feſtinari paraſſet, & vires, opeſque conferri, ſiue ad Hæreti-

Colligit milites in Galliam ducendos.

Scriptis ad Regem literis vrget ſubſidia pecuniæ atq; armorum ex Hiſpanijs.

reticum Benearniæ Principem interiectis armorum obicibus excludendum Gallico ſolio; ſiue vt Senatorum voluntates Infanti Auſtriacæ, quà pretioſorum munerum opulentiâ, quà potentiâ formidatarum legionum ita conciliarentur, vt electionem externæ Principis, inueteratæ Salicæ legis venerationi præhabendam putarent.

In eamdem ſententiam Philippus Cardinalis Sega Legatus Galliæ, Petro Millino Hiſpaniarum Nuntio perſcripſerat, vt moneret Regiam Philippi maieſtatem, ſi Sereniſſimam filiam in Reginam Gallorum deligi ex animo optaret, abolerique Salicam legem, amabilem auri, terribilem ferri vim exerendam, inculcandamque; quò Gallos in ſua vota, ſeu volentes duceret, ſeu nolentes traheret. Neutrum à Rege perfectum eſt vitio partim temporum, partim miniſtrorum. Nam, præterquam quod immane quantum pecuniarum, & virium in Hiſpanicam claſſem, expeditionemque Britannicam, ante quatuor annos collatum fuerat, non mediocris quoque ſummà nuper in præpotentem exercitum ſub Alphonſo Vargas immiſſum ad Aragoniæ motus compeſcendos, ad hæc, ſtipendiorum vis immenſa profundebatur in proceres, exercituſ-

Idem contendit Card. Sega Legatus literis ad Nuntium Hiſpaniarum ſcriptis.

Nihil profectū eſt, Cur?

 que

que Gallorum ad bellum in quinque prouincijs ſuſtentandum fruſtra dehortante Farneſio; qui tam in conſultationibus bellicis, quam in literis ad Regem ſcriptis, vnum partium robur, & belli caput, Henricum Regem debellandum eſſe ſtatuebat, & omiſſa inutili ſectione ramorum, infligendam trunco ſecurim; vt arbos radicitus excinderetur. Ita Cæſarem, in expugnando Magno Pompeio, præcipuam operam collocaſſe: mox Africanos eiuſdem, & Aſiaticos exercitus, orbemque terræ Pompeianum, fato Pharſalicæ cladis inuoluiſſe.

Alex. ſententia de vno Rege Henrico debellãdo omiſſis cæteris.

Acceſſit grauiſſimum eo ipſo anno incommodum, quod, quadraginta Anglorum nauibus Indica maria obſidentibus, conſueta inde metallorum tributa, in Hiſpaniam commeare nequiuerant; cum vnus ex illis ingentibus gaulis, quo aurum infectum procudendis ter decies centenis aureorum millibus vehebatur, interceptus in prædam Catholicæ Religionis hoſtibus ceſſiſſet. Atque iſtud fortunæ crimen, illud hominum fuit, triumuirûm videlicet Hiſpanorum. Hi conſcij domeſticæ inopiæ, quanquam difficultatibus ærarium Regium premeretur, perinde ac ſi affatim cuncta ſuppeditarent, tantos præſeferebant ſpiritus, vt pro arbitratu verſare comitia

Turto. ral. 15.

Buſſier. Thuan. Cæter. l. 12. Turtu. l. 18.

Mai-

Mainei Ducem circumſcribere, reliquos proceres circumducere; vna ſpe auri vana, & futili poſtularent. Siquidem Duci Maineo dictitanti: præmitti cum pecunijs equitum, peditumque copias ab Hiſpanijs oportere, vt mox Infans Auſtriaca in Gallicum Regnum reciperetur, Regis miniſtri ſubijciebant: Auſtriacam priùs infantem in ſuum ſolium adſciſcerent Galli, poſtmodum ex Hiſpanijs largos auri ferrique torrentes inundaturos.

Longè alia Parmenſium Duci ratio conſiliorum. Qui vbi differri ſine fine ſenſit expectatum ab Hiſpanijs auxilium, vrgente rerum Gallicarum neceſſitate, vel priuato impendio (vt aliàs fecerat) reipublicæ ſubuenire conſtituit. Ab Antuerpiæ Daniſtis aureorum trecenta millia ſuo ipſe nomine fœnori ſumit, partiturque in milites, qui vndique conuocati, ad imperium Ducis tertiam in Gallias expeditionem molientis, pleni ſpei, atque animorum aduolauerant. Ad ſpargendam itaque latè Alexandri cum exercitu redituri famam, Gallias versùs, contendunt recèns conductæ à Curtio, & Perneſthenio Germanorum legiones, Vvallonicæ acies, ac Belgicæ turmæ, ſeptem circiter peditum millia, cum equitibus mille quingentis, aggregaturæ ſe illic

Alex. ad cogendos milites pecuniam fœnori ſumit.

Pet. de Caſtr. a. 1592 Cater. Tuturo.

Præmittit in Galliam cohortes varias & turmas.

S. R. E. copijs, tribus peditum millibus; equitibuſque ducentis; adiungi iuſſis Hiſpanis pariter, Italiſque ſub Camillo Capiſucchio, & Antonio Zunnica, ſummam peditum quatuor millium, equitum ſexcentorum conficientibus: Quibus vbi Farneſius cum Prætorianis militibus, cum honorarijs, & reliquâ mole virium ſe adiunxiſſet, ſibique Maineum aſſociaſſet cum Gallicæ nobilitatis equitatu, conflandus erat exercitus ſupra viginti millia veteranorum, quàm validus erigendis Fœderatorum animis, tam conſternandis Hugonotis, & Nauarræ Regi terribilis.

Ad 20. millia militum veteranorum adducere in Gallias parat Alex.

Ea quippe tempeſtate cum bellum Normannicum quatuor iuſtos exercitus, binos in ſingulis partibus exhauſiſſet, ſemeſtri (quod maximè mirum videtur) ſpatio, ad ſupplendas delectibus legiones, quod ære ſuo Parmenſis fecerat, Henrico Regi neque pecunia aderat, neque tempus ad eam conquirendam ſuppetebat. Nam Eliſabetha Regina, Britannicum ſanguinem, aurumque fruſtra profuſum in obſidione Rhotomagi cõqueſtâ, negabat mercatores Londinenſes poſthac obolum ſuffecturos, niſi pro ſubſidijs præſentibus, mercedem certam Caletum, & Guiſnas acciperent. At Henrico tanti

Colo. ma l. 1. a. 1592

Ex aduerſo Henricus Rex laborat paucitate militũ. Nã Rhotomagi obſidio ſex menſibus quatuor exercitus conſumpſit.

Britanniæ Regina Galliæ arces pro auxilijs depoſcit.

Guiſnæ.

non

non erant Anglicana ſubſidia vt, ne ijs careret, regni partes perdere mallet:in poſſeſſionem nobilium arcium, vetuſtis Galliarum raptoribus inductis;cùm præſertim abuſuros exemplo Hiſpanos crederet, ſtatimque parem arcium numerum à Fœderatis exacturos, non ſine pernicie Gallici regni diſcerpendi ab auxiliatoribus ſuis.

Sed Henrico Regi non probatur.

Interim Hiſpani Regis copijs coaleſcentibus in Gallia, per ſuam abſentiam Farneſius præfecit Appium de Comitibus, præter inueteratum familiæ ſplendorem à proauis Ducibus, Purpuratis, & ſummis Pontificibus, inſuper ſuis laudibus clarum, decenni militia ſub Alexandro, & Ductoribus Batauorum Schenchio, Hollachio, alijſque acie victis. Is porro, in Italiam iam reuerſo Sfondrato, cùm etiam Apoſtolicæ Sedis agminibus præeſſet, eo tempore ambos exercitus Pontificium, & Hiſpanum tamquam ſummus Imperator gubernauit; quod ipſe in epiſtola ad Petrum Cardinalem Aldobrandinum affirmat.

Coaleſcentibus in Gallia copijs Alex. præponit Appium de Comitibus.

Eius nobilitas & virtus.

Vide Famianu dec. 2. l. 7. & 8.

Ex Archiuio Vatic.

Vt ſuum belli apparatum ex propinquo Parmenſis vrgeret, Bruxellis Atrebatum ſe contulerat. Illic totos quindecim ante obitum dies, equo circumuectus pedeſtribus copijs, & equeſtribus colligendis operam dabat, languorem

Parmenſis Atrebatum ad Galliæ fines contendit.

Quotidie copias inuiſit equo vectus.

cor-

corporis, animi vigore vel ſuſtinens, vel diſſimulans. Tandem Kalendis Decembribus, ingraueſcens vltra modum valetudo, defectu repentino virium, efferre pedem domo prohibuit. Neque tamen omiſit in cubiculo aures poſcentibus dare, domeſtica negotia tranſigere, Ducumque authoramenta non pauca vacillante dextera ſignare. Cubiculario autem monenti cum lacrimis, ne ſe vexando vitæ ſcintillulam extingueret: Sinito (inquit) vt quemadmodum anteactam omnem ætatem, ſic & momenta vltima reipublicæ impendamus. Ita Imperator ſui ſeculi ſummus, tertium ſuſcepto pro Religione Gallico bello, militariter immori voluit, idemque facere vitæ, ac virtutis extremum. Cum enim poſt ſolis occaſum hora conſueta ſomnum in ſtratis petijſſet, nocte concubia famuli ſuccedentes lectulo, quem ſopitum quieſcere rebantur, agentem animam offendunt. Conuocata illico interior familia lugentes cubiculum complent. Hos intuitus tranquillo, & propiore ad lætitiam vultu, ſupremum valere iubet, vetatque dolere præmaturo exitu, quem ipſe libens, vt Dei donum acciperet, quod natura mortalibus nouiſſimum fecit. Neque enim metuendam putabat mortem, cui toties in acie occurrerat?

1. Decembris ex defectu ſubito viriũ reſiſtere domi cogitur.

Coloma Carnero. Campana loc. cit.

Alex. in morte magnanimitas.

Haræus Coloma. Carnero. Campana loc. cit.

rat? quamque tetram licèt, ac trucem didicerat meditando manſueſcere? Mox vnctionem extremam depoſcit; nam ſummo manè cùm rei Diuinæ interfuiſſet, cæleſti cibo ſe munierat. Protinùs Abbas Sancti Vedaſti, qui Ducem in cœnobio magnificentiſſimè exceperat, accurrens inungit ſacro oleo. Poſtridie rumor diditus tota vrbe ciues, milites, vulgus mœrore compleuit. Varijs in templis Numini publicæ venerationi expoſito ſupplicatum, pro ſalute Gubernatoris Belgij prouinciarum. Quem poſtera luce cùm animus linquere rurſus eâdem horâ cepiſſet, eum lapſum virium prodromum eſſe mortis interpretatus, effigiem Chriſti de cruce pendentis primùm pectori, mox ori admouit, atque in Dei oſculo animam Deo reddidit. Alex. obitus. Vulgato tranſitu Ducis, omnia ſacrarum turrium æra prolixè lugubrem ſonitum ediderunt, deinde ſub veſperam cadauer religioſo Capuccinorum ſacco amictum, manibus pedibuſque nudatis (ita ipſe teſtamento mandauerat) humeris aulicorum deportatur in Sancti Vedaſti templum, cereis ampliùs trecentis prælucentibus. Vbi cùm preces hymnoſque conſuetos alternè fundentes religioſi illius familiæ alumni decantaſſent, rurſum è templo in pro-

ximum conclaue transfertur, atque extractis inteſtinis, quæ ſub ara maxima ſepulta ſunt, corpus odoribus conditur, Parmam in Italiam tranſmittendum.

Teſtamentum Alex.

Supremis tabulis reſignatis, luctus redintegratus eſt omnibus, deſiderio benignitatis incredibilis, quà ferè neminem ex familia, ab illuſtrioribus orſus, vſque ad infimos famulorum, indonatum prætererat. Vnde apparebat, artem domeſticos demerendi, perinde ac ſubiugandi hoſtis, illi Principi non defuiſſe. Poſt legatam in opera pia pecuniam non mediocrem, præſertim ad puellas inopes Parmæ, Placentiæ, atque in Caſtrenſi Ducatu collocandas, aureis quingentis in dotem vnicuique virgini contributis: honos eſt habitus quatuor Principibus fæminis Farneſio ſanguine ortis, quæ in familias clariſſimas Borromæam, Sforiam, Pallauicinam, & Piam nupſerant. Gemmis ingentis pretij aureorum circiter mille, ſingulæ ſingulis donatæ. Exinde cùm ad aulæ proceres deſcendiſſet, Comiti Iacobo Pioſaſcho præfecto ducalis domus, tria aureorum millia legauit, totidem Petro Franciſco Nicello magiſtro ſtabuli, & Coſimo Maſio à ſecretis. Pari muneris honore coniunxit nobiles quatuor cubicularios: Comites Nico-

laum

laum Ceſium, Horatium Scottum, Caluanum Anguiſciolam, & Petrum Aloyſium Rangonum. Secundùm hos paulò minorem ſummam Benedicto Iamdemariæ Præfecto ærarij reliquit: cuius pronepos Marius Marchio Iamdemaria, cùm viuens negotia Romæ Sereniſſimi Parmenſium Ducis Reſidentis titulo tractaret, huiuſce teſtamenti exemplum, aliaque narrationi noſtræ inſerenda ſuggeſſit: ea propter & ipſe meritus à nobis hiſtoriæ inſeri; vir prudens, & quam Domino fidus, tam acceptus ſummis Pontificibus, & probatus, propriâ, & rarâ miniſtri laude, per amabilitatem ingenij ſui, ſerendæ inter Principes beneuolentiæ artifex.

Haræus an. 1592. Ex Atrebato Bruxellas relatum Farneſij corpus ad Vrbis portam excipitur, occurrentibus cum clero religioſis ordinibus, equitibus aurei velleris atratis, vrbanis magiſtratibus at ſine inſignibus; cum promiſcua multitudine militum ciuiumque. *Campana vol. 2. lib. 13.* Qui poſtridie, cùm exequiæ Regales in templo Principe celebrarentur, erumpentes per interualla miſerandos in gemitus, euerſum Belgij columen, Religionis proſtratum propugnaculum lamentabantur.

Quod ſi vt Præſidi prouinciarum in Belgio, ita in Italia vt Parmæ, ac Placentiæ Duci, magnificè

parentatum fuit. Genitoris cineres Parmam reduces, Odoardus Cardinalis, & Ranutius Dux funere excepere ſumptuoſo, quod illuſtriores Inſubriæ Præſules, cum Antiſtite Mediolanenſi, frequentes honeſtarunt, per Farneſiæ laudis elogia lenito luctu, & irritato. Exinde Ducis oſſa in paruo D. Franciſci templo, ſub labro aquæ luſtralis humata ſunt, quaſi prætereuntium veſtigijs conculcari geſtirent; epigraphe hac inciſa vulgari ſaxo:

Campana.

Carolus Coloma lib. 8. in fine.

Cæſar Campana vol. 2. lib. 13.

ALEXANDER FARNESIVS
BELGIS DEVICTIS
ET FRANCIS OBSIDIONE LEVATIS
VT HVMILI HOC LOCO
EIVS CADAVER REPONERETVR
MANDAVIT IIII. NON. DECEMB.
AN. MDXCII.

In hunc modum Parmenſis, per Chriſtianam animi demiſſionem, an altitudinem? de faſtu Principum poſthumam immortalitatem affectantium in ſepulchris, deque ſuis ipſius triumphis triumphum egit. Nec æquitas iſthæc, & moderatio orta illi primùm in extremis fuit, vt pleriſque mortalium, ſerò, & ſub mortem ſapientibus. Sed in flore ætatis, & curſu victoria-

Ex autograph.

Io. Rho lib. 7. virt. hiſtoria.

riarum, diſertiſſimis viris ingenium, & ſtylum offerentibus ad nomen æternandum, ſtudium remittens negabat ſe de interitura litterarum perennitate laborare. Adducentibus verò Magni Alexandri exemplum, inanem gloriolam vſque ad delicias aucupantis: ignotum (aiebat) fuiſſe Macedoni Chriſtum, & ſempiternæ beatitatis cœleſtem gloriam. Ex aduerſo humanam omnem felicitatem famamque, quantumlibet intendatur, numquam eò creſcere, vt miſeriam, & mortem exuat.

Haræus *Campana. Carnero an. 1592. Aloyſ. Bauia 4. parte hiſt. Pontific.*

Roma denique tamquam Romano Principi, fortiſſimoque exercituum Imperatori, qui martiæ gentis claritudinem fuligine temporum obſitam nouis trophæis illuminauerat, præter exequias in Romani populi templo ſplendidè repræſentatas, in Capitolio ſtatuam S. C. dedicauit, cum inſcriptione glorioſa:

QVOD ALEXANDER FARNESIVS PARMAE AC PLACENTIAE DVX III. MAGNO IN IMPERIO RES PRO REPVBLICA CHRISTIANA PRAECLARE GESSERIT, MORTEMQVE OBIERIT, ROMANIQVE NOMINIS GLORIAM AVXERIT

S. P. Q. R.

At Clemens VIII. Pontifex Maximus eidem

vt S.R. E. Vexillifero, in Baſilica Vaticana Principis Apoſtolorum, perſolui iuſſit inferias Purpuratorum Patrum frequentiá celebres; quas dum Clemens ipſe præſentiá Pontificiæ Maieſtatis decorandas cenſuit, viſus eſt Parmæ Ducem, communione excelſiſſimi honoris, ad Regiam dignationem euehere. Nec immeritò. Ad Romanum quippe Pontificem pertinebant ornamenta Imperatoris, qui toto vitæ curriculo, aut contra Mehemeticam ſuperſtitionem in Oriente, aut in Occidente, ac Septemtrione aduerſus Hereticam perfidiam, pro Religione ſemper arma tractauerat, in vexillis exaratum aureis literis lemma circumferens: *DEO OMNIS HONOR ET GLORIA.*

Bauia par. 4. hiſtor. Pōtific. Ex autogr. Aloyſ. de Bauia 4. parte Hiſtoria Pōtific.

Ex autogr.

Et profectò Alexandri obitus, ceu graue Chriſtianæ reipublicæ vulnus, exceptus eſt cum gemitu Italiæ, Belgij, Galliæque. In proximis Britanniæ, ac Germaniæ, atque in remotis Hiſpaniarum regnis, indoluere quotquot integræ Religioni procul à ſtudijs partium fauebant. Itali inſtauratorem priſtinæ armorum gloriæ, Moderatorem æquiſſimum Belgæ, Galli, Catholicæ religionis ad extremum bis adductæ, liberatorem requirebant. Neque verò inimici fas putarunt, interitu lætari Ducis hoſtibus formidati,

Carolus Colomo loc. cit.

dati, ſed non inuiſi; quorum reuerentiam fortitudine, amores clementiâ demeruerat. Tum, ſi quos æmulatio, & liuor in errorem induxerat, vt incolumi, & florenti Farneſio obtrectarent, hi morte immatura ſatiati (ſeptimum ſupra quadrageſimum annum vix expleuerat) parcente ſepultis inuidiâ, laudibus cumularunt. Cùm præſertim inter illos, qui ſermonibus populorum ad Præfecturam Belgicam deſignabantur, nemo vnus tot virtutibus togatis, ac bellicis emineret, quot exigere tempora videbantur in Alexandri ſucceſſore, tamquam in Hercule Atlantis onus ſubituro. Qui videlicet Comitem Mauritium in Belgio, Henricum Regem in Gallia, ſucceſſibus armorum exultantes compeſceret, qui exercitum in ſumma difficultate nummaria compararet, affluente ad dandum Farneſio nomen milite, pro præſenti ſtipendio, religioſiſſimi promiſſi fide authorato: qui comitijs Pariſienſibus præeſſet armatus, vt æquos, iniquoſque, terrore hos, illos inſuper gratiâ, in officio contineret: qui denique ab vna parte, Pontificium legatum Philippum Cardinalem Segam, cum Hiſpani Regis adminiſtris conſentientem, ex altera Mainei Ducem, proceresque Gallos ab ijs diſſentire manifeſtos, au-

ctori-

ctoritate, atque hortatibus in commune bonum conciliaret; quemadmodum Phonaſcus in odeo voces acutas, & graues attemperat ad muſicum concentum. Et ſanè quantum opis eſſet in vno Parmenſi, ad fatiſcentem Sancti Fœderis molem fulciendam, ab eius exceſſu, Fœderatorum retro labente fortunâ, liquidò apparuit ſolutis, nullo operæ pretio facto, Regni Comitijs in Gallia, in Belgio, nouis exortis Hiſpanorum, Vvallonum, & Italorum ex defectu ſtipendij ſeditionibus. *Card. Bentiu. part. 3. lib. 1.*

Neque ea propter quis exiſtimet, Alexandrum, cum inuicto Hiſpani Regis exercitu, incaſſum laboraſſe. Nam, præter multiplicatam cum bellis bellicam gloriam, arcium Gallicarum alijs protectis; alijs expugnatis, fructum tulit Chriſtianæ Reipublicæ non pœnitendum, bis reprehenſum ab Hæreſis ruina Regnum Gallicanum, Britanniâ iam collapſâ, Belgio, & Germaniâ nutantibus, in eumdem caſum reliqua Europæ tracturum. Quo præſertim tempore, in diſcrimine erat humanum genus, diuiſis gentium ſtudijs in hos, aut in illos, vtrùm vera, an falſa religio præualeret; tum quamcunque in partem pondere ſuo Septemtrio vergeret, eò fortunam Orbis terræ inclinaturus videba-

batur. Quare, ſi hoc ſeculo in Germania, Belgio, Gallijſque Romana Religio non reuireſcit modò, ſed floret quotidie magis, Hæreſi marceſcente, poſtquam Pontifices, Cæſares, Reges auctores tanti boni celebrauerimus, magnam laudis in partem vocabimus Alexandrum, qui Catholicæ cauſæ Propugnator conſilijs, armis, & ſanguine, de ſua, deque futura ætate optimè meruit.

FINIS.

ERRATA	PAGINA	LINEA	CORRIGE
ramen	11	marg.	tamen
metuſqua	70	10	metuſque
que	106	5	quæ
expeditones	164	5	expeditiones
redimeret	202	marg.	redimerent
Roſentalis	205	marg.	Roſentalia
ocealuiſſent	228	11	ocealluiſſent
decimotertio Kalend.	248	16	decimonono
Caſtri Bertrami	260	16	Caſtri Vetrani
Italia ex vt	263	marg.	Italia exul
traſmiſſo	335	vlt.	tranſmiſſo
opponoret	336	23	opponeret
rationem	342	marg.	ratione
ſexto Kalendas	370	12	ſeptimo Kalendas
Zuutzenburgij	382	2	Suarzenburgij
Aſculanis	450	15	Aſculani
Aumalientibus	490	25	Aumalieuſibus
Etruria Dux	528	19	Etruriæ Dux
inuitat	530	marg.	*adde* Maineus
quarto Kalend.	547	21	decimoquarto
eumdum	550	18	eundum
Hiſpanici	569	marg.	Hiſpanicis
Malneum	ibid.	ibid.	Maineum
totique	570	marg.	totius
metus,	572	marg.	metu ſe
ſeiunctus	605	marg. 1.	ſeiunctas
imittit.	605	marg. 1.	immittit.
per	631	marg.	poſt

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A.

ALBERTVS *Archidux proponitur in ſponſum Iſabellæ Hiſpanæ Infanti. pagina* 541.

Alenconij *Dux minax in fratrem Henricum III. Galliæ Regem.* 57. *Traditur in cuſtodiam, mox fugit ad Hugonotos à quibus Imperator exercitûs ſalutatur.* 58. 59. *fugiendi cauſa.* 59. *Honorificis conditionibus redit ad partes Regis.* 59. 60. *Poſt tentatam improſperè Belgij dominationem morbo, & mæſtitia contabeſcit.* 81. *De eo iudicium,* 81. *Poſt eius mortem inualeſcit Sanctum fœdus.* 84.

Alexander Farneſius. *ſumma rerum ab eo geſtarum in Gallia.* 2. *eum Belgio timentem angunt arma contra Galliam, & Religionem Cathol. mota.* 90. *Philippo Regi periculum per litteras ſignificat.* 91. *quid de motis in Galliæ Regem à Guiſio armis ſenſerit.* 103. *Capiſuchium Pariſios mittit ad Card. Caietanum Legatum ſalutandum.* 137. *vrget eum Legatus & Miniſtri Hiſpani ad mittenda Fœderatis auxilia.* 138. *literis, & nuntijs Philippi Regis permotus militem, & Duces Fœderatis deſtinat, licèt alienus ipſe ab ea coniunctione.* 138. *Ricardotum Præſidem ad Philippum mittit, edocturum quid eam ad expeditionem neceſſarium.* 139. *Egmontium cum* 1800. *equit. ad Fæder. mittit.* ib. *congreditur cum illo Maineus.* 154 *Alex. ſe alienum ab expeditione Gallica oſtendit, & cur?* 155. *Collaltum cum milite in Gallias mittit, & Regem ab eo conſilio conatur auertere.* 156. *pro Alexandri ſententia Idiaqueſius apud Regem perorat.* 159. *eius præſentiam in deliberatione de expeditione Gallica optat Idiaqueſius.* 160. *& Chriſtophorus Moura.* 171. *iubetur à Rege expeditionem Gallicam toto conatu ſuſcipere.* 181. *eius virtutes enumerat Rex, quibus illi expeditioni par ſit.* 182. *ad Regis imperium animo fluctuat.* 182. *& ſeq. diu animo fluctuans priuatam rem tandem publicæ poſthabet.* 185. *animi ſui fluctuationem Regi aperit.* ibid. *oſtendit ſe paratum mori pro Deo & pro Religione.* 187. *iubetur quamprimum in Gallias mouere.* ib. *Alexandrum conſulunt cohortes Leuianæ quid agendum in defectione Manriquianorum?* 197. *eius artes ad componendos Manriquianos.* 198. *amiſſio Bredæ eum vehementer angit.* 205. *Bredæ amiſſæ culpâ nonnulli ipſum aſpergunt.* 206. *Alexander non Italis magis, quàm exteris militibus carus, ipſe viciſſim omnium amans.* 207. *Carolum Mansfeldium mittit ad Bredam recuperandam.* 208.

Seditioſos Manriquianos ad officium reuocare ſtudet perſolutis ſtipendijs. 213. Exercitum in Gallias præmittit. 216. Mottæum Caſtris & rei tormentariæ præficit. 220. eius conſtans in Mansfeldios beneuolentia, licèt calumnijs irritata. 219. Bruxellis profectus B. Virginem Halenſem inuiſit. 248. peruigilio aſſumptæ Virginis Gallias intrat. 248. Lutetiam rumore ſui aduentus ſuſtentat, & hoſtes terret. 249. Subſiſtit Guiſiæ, & ibi SS. Sacramentis ſumptis ad expeditionem ſe parat. 250. admonetur de defectu rei tormentariæ, eique cōſulit. 250. & ſeq. Excipitur à turmis Gallorum tanquam Imperator Sancti Gallorum Fœderis. 251. Iure iurando affirmat Lauduni, ſe vnius Catholicæ Religionis defendendæ causà cum exercitu in Gallias miſſum. 202. quanto plauſu exceptus ſit à Ciuitatibus Galliæ Catholicis? 253. expectationem vincit aſpectu, virtutibus, & comitatu. 253. exercitum luſtrat Liſiaci. 254. omnium oculos & ora ad ſe rapit. 257. confertur Carolo V. auo. ibid. deliberat de ratione belli gerendi contra Nauarrum cum Fœderat. Ducibus. 260. mittit ad explorandum locum caſtrorum à Maineo deſignatum. 264. Gallorum ſententiam in ſpeciem fauet. 265. Sollicitus eſt, quòd vulgentur à Gallis arcana. 265. Maineū mirà dexteritate in ſuam ſententiam pertrahit. 269. quà ſolertià tertium agmen hoſtiles contra inſultus in itinere tutum reddiderit? 270. ſub eius aduentum pacis negotium reſumptum. 272. pacem cum Hugenotis eſſe ſibi poſſe negat. 277. Diſciplina exercitus ipſius. 282. Blaſium Capiſuchium mittit ad hoſtium caſtra noctu inquietanda. 283. ſtatuit mouere caſtra Lutetiam verſùs. 286. XXIX. Auguſti deſtinat profectioni. 287. aciei inſtruendæ munus offert Maineo. 287. humanitate ſibi conciliat animos Gallicæ Nobilitatis. 288. comparatur cum Nauarro. 293. reſpondet prouocationi, quà ab Henrico ad prælium inuitatur. 296. eius egregium ſtratagema in eludenda Nauarræorum ſpe. 300. & ſeq. Laniacum obſidet, & expugnat. 301. & ſeq. ſub pœna capitis edicit ſuis, ne vallo egrediantur. 311. copias ad prælium inſtruit, & cur? 316. Laudes in illum collatæ à Pariſienſibus. 324. mendacia exploratorum à ſe miſſorum detegit. 334. variæ arces illi ſe dedunt. 337. obſidet Corbolium. 338. tormentis verberat. 339. mutat rationem oppugnandæ arcis: quà ſolertià? 342. & ſeq. prouidet ne deſtinationē fallat euentus. 344. feſtinat aggredi arcem, & cur? 346. ignoſcit Riberæ ex immodico pugnæ ſtudio peccanti. 355. capit Corboliū, & parcit ad templa confugientibus. præcipitio mulctat Gallos, qui victores è tēpli Turri ſaxis petebant. 360. Corbolium Maineo tradit & Gallis. 361. impeditur hyeme, ne alias arces occupet. 362. exercitum in Belgium reuocant eius neceſſitates. 363. quantum de ſuo impenderit in Gallicum bellum. 366. itineris Belgici difficultates præuidet, præcauetque. 368. mouet exercitum. 368. poſtremam aciem ad pugnam cum Regijs inſtruit. 371. imperat ſuis, vt hoſtem inuadant. 372. Aegrè accipit Hiſ-

*Hiſpanos Legionarios è Friſia in
Brabantiã, ad hybernandum tranſ-
latos.* 378. *ob eius reditum lætitia
Belgarũ.* 381. *ſubſidia militibus à
Rege petit.* 383. *contendit amouere
ſuſpiciones falſis criminationibus
Philippi animo iniectas.* 385. *Io-
annis Morei littera in Alexandrũ
ſcripta ad ipſius manus deueniunt.*
386. *prudenter cauet legionum ſua-
rum ſeditionem.* 394. *cogit exerci-
tum, vt ſuccurrat Zutphaniæ ob-
ſeſſæ.* 421. *inuitat Vega Legiona-
rios ad expeditionem.* 422. *iis re-
nuentibus culpam aut ignoſcit aut
diſſimulat.* 423. *copias recenſet Ru-
remundæ.* 423. *deditionem Zut-
phaniæ & Dauentriæ intelligit, nec
conſternatur animo.* 424. *recreatur
aduentu & operâ filij natu maio-
ris.* 425. *rogant eum Neomagen-
ſes vt Knodſenburgum expugnet:
quid eam ad rem tentandam illum
impulerit?* 426. *Caſtra muniri cu-
rat ad Knodſenburgum.* 428. *dolet
ſuorum temeritatem, & hoſtium au-
daciam fortiter comprimit.* 431.
*ad oppugnationem accincto Regis
imperium ſuperuenit, in Galliam
reuocantis.* 432. *huic, licèt inuitus
paret.* 433. *mirâ ſolertiâ exercitum
indemnem reducit oblatâ priùs
Batauis pugnæ copiâ.* 434. *remo-
ratur eum ab expeditione Gallica
pecuniæ defectus.* 437. *de ſuis re-
ditibus in Italia militum ſupple-
menta legit.* 439. *purgat ſe illi In-
ſubriæ moderator ob militem in Sa-
baudiam miſſum.* 441. *alienus à
Gallica expeditione, cur?* 441. *Rho-
tomago obſeſſo ſubmittit auxilia.*
473. *redit in Gallias cum exercitu.
ibi purgat ſe de mora longiore apud
Sfondratum & copias ſuas Fœdera-
torum exercitui adiungit.* 474. *ac-
cepto in poteſtatem Farneſenio co-
pias educit prælio paratas, & iti-
neri.* 480. *ad Aumaliam pugnæ
ſignum dare, & exercitum vniuer-
ſum educere abnuit & cur?* 489.
*confirmatur in ſententia relatione
militis capti.* 490. *captis pluribus
oppidis, Caſtrum nouum oppugnat.*
497. *deditionem offerentibus pro-
pugnatoribus, non niſi deprecante La-
thræo ignoſcit.* 498. *expugnata poſt
quatriduum arce ſubſiſtit in Nouo
Caſtro, dum cibaria conuehantur.*
500. *Rhotomagum versùs caſtra
promouet.* 505. *non probat conſilium
Ducum ſuadentium diuiſionẽ exer-
citùs.* 506. *numerum ſtatumque
hoſtium accuratè explorat.* 507. *co-
gitat peditatum Regis ab equitatu
ſeiunctum opprimere.* 508. *dubius
de Gallorum obſeſſorum fide, noua
ſubſidia in vrbem intromittit conſi-
lio ſuo promouendo.* 509. *explora-
to locorum ſitu, mouet caſtra, & Du-
cibus conſilium ſuum aperit.* 510.
*feſtinata obſeſſorum eruptio conſilia
euertit.* 511. *perculſis hoſtibus in-
ſtandum cenſet, & rationes conſilij
Ducibus aperit.* 516. *Gallis ſua
conſilia improbantibus, redit in Pi-
cardiam, & exercitum ad hyeman-
dum diſtribuit.* 518. *exercitum re-
ficit in hybernis, & de ratione belli
deliberat.* 525. *inter Gallicæ coro-
næ competitores præ cæteris inclinat
in Maineum.* 532. *Philippo Regi
per literas exponit ſua de deligendo
Galliæ Rege conſilia* 535. *Rhoto-
magum versùs mouet exercitum.*
547. *Heluetios tumultuantes mirâ
prudentiâ compeſcit.* 548. *difficul-
tates in Somona flumine tranſmit-
tendo ſuperat.* 550. *& ſeq. recen-*

ſet copias. 554. Rhotomagum ingreditur triumphantis in morem. 5 58. laudes in eum à Rhotomagenſibus, & ab illo in Rhotomagenſes congeſta. 5 5 8. deliberat de perſequendo hoſte, & conſilij ſui rationes affert. 560. Gallorum ſecutus conſilium, copias Calidobechum adducit. 564. prohibet Batauos, ne in ſuos tormentis è nauibus ſæuiant. 566. locum verberationi Calidobechi deſignans vulneratur ictu ſclopi fortuito. 567. mirà fortitudine diſſimulat vulnus. ib. confirmat medentes trepidos ad adhibenda plagæ remedia. 568. Maineum rei ſummæ, filium Hiſpanis legionibus præficit. 569. militum in eum amor, & in decumbentem commiſeratio. 571. ægrè impetrat à ſuo milite, vt Nauarræos abire Calidobecho permittat dedita arce. 572. contendit ſuadere Ducibus, vt exercitum traducant in agrum Iuliobonenſem. 577. obſtrepit illi Maineus. 578. veritus defectionem Gallorum ſequitur ſententiam Mainei. 580. Gallis vincere regios nolentibus, ſuperſedet legiones ad opprimendum primum agmen emittere. 583. ſuos vno prælio debellare cupientes inhibet. 595. iocatur in fiduciam Henrici victoriæ famam totà Europà ſpargentis. 600. Sequanam traijcere, & Lutetiam exercitum adducere meditatur 601. equitum infortunio cogitur accelerare iter, & ad adducendum in ſuam ſententiam Maineum Mottæi operà vtitur. 6 0 6. ſoluit difficultates à Maineo & Mottæo propoſitas. 608. ſuo, & militum ære naues ad tranſitum coemit, cùm aliunde pecunia non ſuppeteret, 610. ripam munit gemino propugnaculo. 611. conatus Regis celeritate, & induſtrià eludit. 616. recepto omni exercitu Lutetiam ſumma celeritate contendit. 621. expugnato Neoburgo, Eudamum illi deditur. 622. exercitum, licèt inuitatus, Lutetiam non introducit. 623. Principes feminæ illum conueniunt gratulantes. in Theodorici caſtro militem ſtipendio ac quiete reficit. 624. Senatum bellicum, mox Regē ſuæ valetudinis admonet, & ſucceſſorem ſibi mitti poſtulat. 629. Regis ſententiæ, eum Gallia comitijs moderari iubentis, acquieſcit. 631. ad mortem ſe non minùs quàm ad expeditionem Gallicam parat. 631. eius morbus, mors, virtutes, exequiæ varijs locis celebratæ. 637. & ſeq.

Aloyſiam *Vademontij Comitis filiã Henricus III. vxorem ducit. 85. per illam de pace impetranda cum Maineo agit Rex. 112.*

Alphonſus *Ferrariæ Dux à Maineo inuitatur ad ſpem regni Gallici. 530. recuſat ſeruire ambitioni, pecuniam tamen petitam ſub certis conditionibus pollicetur. 531.*

Alphonſus *Mendes equeſtris alæ Præfectus feliciter irrumpit in Batauos. 400.*

Altercatio *inter Gallos & Farneſianos Duces. 580.*

Ambitionem *Card. Barbonij fouet eius Præceptor Ioannes Tocardus. 468.*

Amor *militum in Alexandrum. 571.*

Andreas *Brancatius V. Villarij Marchio.*

Andreæ Niuelli *operà ſuburbium D. Iacobi contra Nauarræos defenſum. 331.*

Anglorum *Regina V. Eliſabetha.*

Anglus *Orator Henricum hortatur ad*

ad obſidionem Rhotomagi. 452.

Animus inuictus *Alexandri inter aduerſa.* 424.

Anna Eſtenſis, *Ducis Guiſij mater fruſtra dehortatur filium ab acceſſu ad Comitia Bleſenſia.* 106. *exemplo ſuo, dapes ab Hæretico rege reſpuentis, Pariſienſes animat ad grauiſſima obſidionis mala ferenda.* 230.

Antiſtites *Galliæ Turonum inuitantur ab Henrico IV. dehortante per literas Caetano Legato Apoſtol.* 152.

Annas Ioyeuſa *Dux maximè gratioſus apud Henricum III. Galliæ Regem.* 67. *maris Præfecturam ab eo accipit.* 67. *Contra Hugonotos mittitur cum exercitu, & infeliciter pugnans occiditur.* 91. 92. *Sumptuoſo funere decoratur à Rege.* 92.

Annonæ *ſumma difficultas Pariſijs.* 225. *ſubleuari non poteſt à Fœderatis, niſi auro Hiſpanico.* 270. *magno numero Lutetiam inuehitur.* 290. *magna annonæ vis reperta Laniaci à Farneſianis.* 322. *annonæ incommoda Alexandrum redire in Belgium cogunt.* 364. *annonæ in Fœderat. caſtra tranſuehendæ viā omnem præcludit Henricus, & eius inde caritas.* 581. *ex annonæ penuria calamitates Exercitus Catholici.* 595. *annonæ copiâ leuatur pecuniæ defectus in Exercitu Nauar.* 596.

Antonius *Nauarræ Rex conſpirat cum Hugonotis in Franciſcum II.* 15. *mortuo Franciſco Secundo renunciatur Præſes vniuerſæ Galliæ.* 16. *De Regno magis, quàm de religione ſollicitus.* 17. *Pij IV. induſtriâ abalienatur ab Hæreſi. ibid. Honorifico conuicio honeſtatur à Beza. ibid. obedientiam per legatos defert Romano Pontifici.* 18. *in Rhotomagi obſidione vulneratur, & Vrbe expugnata moritur.* 18.

Antonius *Zuñiga Tribunus Legionis Manriquianæ in Gallias cum ſuis mittitur.* 216. *renuit tentare irruptionem pro liberanda Lutetia Farneſio non conſulto.* 224. *mittitur à Farneſio ad explorandum caſtris locum.* 264. *ſuâ prudentiâ rixam inter Vuallones, & Hiſpanos ortam compeſcit, & iras in hoſtem vertere iubet.* 352.

Appius de Comitibus *Equitum ductor mittitur in Gallias.* 217. *intereſt conſultationi de bello gerendo.* 260. *Cū equitibus primi agminis diripit carros onuſtos impedimētis Nauarræ Regis.* 288. *Præfectus Caſtr. Gener. in exercitu Pontificio.* 440. *Eodem tempore Romani Pont. & Hiſpani Regis copias in Gallia moderatur.* 637. *Eius nobilitas & virtus. ibid.*

Arembergius *Comes intereſt conſultationi de bello contra Nauar. gerendo.* 260.

Artes *Alexandri in deludendo hoſte.* 306. *Artes Nauarri in hoſte fallendo.* 327. *artes Nauarri & dexteritas in conciliandis ſibi Proceribus factionis Borboniæ.* 466. *& ſeq. Alexandri in adducendo in ſuam ſententiam Maineo.* 606.

Aſculi Princeps *intereſt conſultationi de ratione belli contra Nauar. gerendi.* 260. *diſſuadet irruptionem in vrbem.* 262. *iubetur à Farneſio Rothomagenſibus obſeſſis auxilia ſubmittere.* 473.

Atrebati *moritur Alexander Farn.* 638.

Audacia *militum aliquot Farneſianorum.* 344. *& ſeq. audaciam Mauritij & Batauorum comprimit Alexander.* 431. *audaciam Far-*

Farneſianorum miratur Nauarrus. 614. Principis Ranutij in repellendis Hollandis audacia. 618.

Aula. Aulicorum inſtabiles vices. 70.

Aumaliæ in planitie, celebris Henrici cum Catholicis pugna. 484. & ſeq. capitur à Catholicis Aumalia & diripitur. 497.

Aumalius è Fœderatis vnus intereſt deliberationi de bello contra Nauarrum gerendo 260. prima acies illi ducenda committitur. 287. extremo agmini praeſt in receſſu ad Calidobechum. 602.

Aumontius Nauarro ſolutionem obſidionis ſuadet. 285.

Aurei nummi pretio Breda ab Hollandis emitur. 201.

Auſtriacorum proprium vbique terrarum Religionis iura tueri. 176.

Authorum diuerſitas in attribuenda variarum nationum militibus expugnatione Lanıaei. 323.

Auxilia ad Henricum vndique confluunt. 449. auxilia externorum ſuſpecta Gallis. 454.

B.

BAra Centurio auxilia Rhotomagum per medios hoſtes introducit. 510.

Barlamontius intereſt deliberationi de bello gerendo contra Nauar. 260.

Bataui militis virtus, laude digna ſi in meliori cauſa. 102. Bataui arces aliquot fraude intercipiunt. 411. non audent infeſtare recedentes Farneſianos. 435. reditum Farneſij in Gallias remorantur. 443. è claſſe in Farneſianos ad Calidobechum fulminant, ſed maiori ſuo damno quàm hoſtium. 566. recedentes Farneſianos infeſtant è nauibus, ſed coguntur recedere à Principe Ranutio. 617.

Belgarum equitum in prælio Iurienſi egregia facinora. 142. quam iacturam in prælio Iurienſi ſint paſſi? 147. Belgarum lamenta, querentium ſe deſeri ab Alexandro. 186. Belgij amittendi periculum inculcat Philippo Alexander. 286. Belgij neceſſitates Alexandrum è Gallijs reuocant. 363. Belgarum lætitia ob reditum Alexandri. 381.

Bernardinus Mendoza Orator Philippi Regis ſuadet Maineo vt Regios inuadat, priuſquam numero creſcant. 137. ſuis opibus famem Pariſienſium ſubleuat. 231. monet Farneſium ne Gallorum fidei nimium credat. 265. fauet inter competitores Sceptri Gallici Card. Borbonio, & cur? 533.

Bernardinus Nogaretus Epernonij Dux maxime apud Henricum III. gratioſus. 67.

Bironius Senior Henrico Quarto expugnationem Lutetiæ diſſuadet. 150. Gallos erumpere geſtientes retinet metu inſidiarum. 247. in ſenatu bellico conſulitur de ſoluenda obſidione Lutetiæ. 289. eius ſententia quo modo inuadenda hoſtium Caſtra? 317. obſidionem vrbi Rhotomago admouet. 453. ſuadet Regi, ne deſerat obſidionem. 476. cum pedite in Rhotomagi obſidione ſubſiſtere iubetur. 479. erumpentes Rhotomagenſes reprimit, ſed ſerò, euerſis iam operibus. 514. vulneratur. 515. ſuadet Henrico Regi reditum ad fidem orthodoxam. 544. Rex illi quã mitiſſimè reſpondet. 545. Regi ſubitum Parmenſis aduentum ad ſoluendam Rhotomagi obſidionem ſignificat. 555.

pro-

probat conſilium Henrici cenſentis ſuperſedendum certamini cum Fœderatis. 575. *mittitur ad ſoluendam Epernæi obſidionem* 624. *occiditur.* 627.

Bironius Iunior *adoritur Hiſpanos maximo ſuo periculo.* 373. *eripitur periculo, quod adierat, Regis ſolertiâ.* 374. *Caſtrorum Catholicorum partem negligenter cuſtoditam inuadit.* 501. *mittitur ad explorandas hoſtium molitiones.* 612. *explorata nuntiat.* 613.

Blanchenburgenſe *propugnaculum expugnatum, & euerſum à Norritio Tribuno Anglo.* 411.

Blaſius Capiſuchius *cum tribus equitum turmis abit in Gallias.* 216. *iuſſu Farneſij noctu hoſtem inquietat.* 283. *vulneratur in pugna cum Nauarræis.* 375. *hoc vulnus illi glorioſum.* 376.

Bonfiliacius *præſidij Bredani Dux abeſt dum Mauritij Comitis fraude Breda capitur.* 200. *vrbi laboranti auxilium fert, ſed ſerum.* 205.

Borbonij *Principes Hugonotorũ fautores religionẽ ambitioni prætexunt.* 6. *Borboniæ ſtirpis ius ad coronam abolere moliuntur Fœderati.* 527.

Borbonius *Iunior Cardinalis à Catholicis Gallis ſceptro deſignatur fauente Innocentio IX. Pontifice cum Cardd. Collegio.* 462. *fouet Regni ſpem patrocinando Catholicis.* ibidem. *mittit Balbanum ad Pontificem, vt gentis ſuæ ius ad regnum, & ſuam illi perſonam commendet.* 463: *ſuccenſet illi Philippus Rex ob pueritiam inter Caluinianos actam.* 538.

Brancatia *ex familia oriundus Villarius.* 558.

Breda *cuſtodum ignauiâ & Mauritij Comitis aſtu amittitur ab Hiſpanis.* 199. *& ſeq. eam recuperare ſtudet Farneſius, ſed fruſtra.* 208. *Breda Naſſauianorum antiqua poſſeſſio.* ibid.

Branſuicenſis *Dux falsò dicitur occiſus in prælio Iurienſi, commendatur Regi Philippo ab Alexandro.* 149.

Burgundiæ *Ducatum ſibi, ac poſteris depoſcit Maineus.* 458.

C.

Calamitates *Exercitus Catholici ex annonæ penuria.* 595.

Calidobechi *obſidionẽ ſuadet Maineus;* 562. *eius ſitus, & munimenta.* 565. *obſidione cingitur.* 567. *metu excidij dedunt ſe propugnatores.* 572. *Farneſianorum contra eos ira ob Alexandrum vulneratum.* ibid. *accurrit ad obſidionem ſoluendam Henricus, ſed ſerò* 574.

Calliditas *nimia in Politicis noxia.* 8.

Calones & *Lixæ Nauarræi ſpeciem præbent pedeſtris aciei in pugna ad Aumaliam.* 490.

Caluanus *Anguiſciola equitum ductor in expeditione Gallica.* 217.

Caluinianæ *inſtitutionis proprium Regibus moliri perniciem.* 14.

Camillus Capiſuchius *Italicæ Legionis tribunus mittitur à Farneſio ad ſalutandum Lutetiæ Legatum Caietanum.* 137. *in itinere Lotharingico vincit acie Raitrum turmas, & in caſtra Fœderatorum tranſire compellit.* 145. *recuſat tentare eruptionem pro liberanda Lutetia in conſulto Farneſio.* 224. *intereſt deliberationi de bello contra Nauarr. gerendo.* 26. *ab Alexandro exploratum miſſus refert ineptum caſtris ponendis locum à Maineo deſignatum.*

tum. 267. hortatur militem ad naues aliquot hoſtium intercipiendas, felici euentu. 313. capti Laniaci laus illi à multis attributa. 323. cum ſuis fortiſſimè pugnat ad Corbolium. 355. & ſeq. ab Alexandro Belgium repetente relictus in Gallijs Sanctum Lambertum, Sanctum Gaulinum, aliaſque arces ac oppida in poteſtatem Fœderatorum redigit. 379. in pugna ad Aumaliam volucrem peditum aciem in Regios ducit. 485. offert ſe Alexandro ad inferendum per media caſtra hoſtium in vrbem Rhotomagum commeatum. 506. Regios è colle caſtris imminente deturbat. 585. Batauos alio colle poſt atrocem pugnam deijcit. 592. prouocare iubetur ad certamen Regios, vt eos à veſtigandis Fœderatorum conatibus auertat. 612. cum Principe Ranutio magnà audacià & fortitudine Batauos fugat. 619. præficitur exercitui Hiſpano in Gallijs relicto. 625. eius induſtrià Epernæum Fœderatis deditur. 627. Creſpiaci nobiliſſimæ arcis cuſtodia illi committitur. 628. Ab Alexandro ad Comitia Regni redituro in Gallias cum copijs præmittitur. 636.

Capitis pœnà propoſità vetãtur egredi munitionibus Farneſiani. 311.

Capuccini, & Carmelitæ in ſupplicatione Lutetiana. 233.

Cardinalis Pelleuæus V. Pelleuæus.

Cardinalis Alexandrinus V. Michael Bonellus.

Cardinalis Borbonius V. Carolus.

Cardinalis Guiſius V. Ludouicus.

Cardinalis Caietanus V. Henricus.

Cardinalis Gonzaga V. Scipio.

Cardinalis Maurocenus. V. Maurocenus.

Cardinalis Borbonius iunior. V. Borbonius.

Carolo V. confertur gloria & animi magnitudine Farneſius. 257.

Carolus Nonus Galliæ Rex iuuatur auxilijs à Pio V. Pontifice ſubmiſſis. 19. Beneuolentiã ſimulat erga Colinium, & Hugonotos cum offenſione Catholicorum. 21. Henrico Nauarræ Regi ſororem deſpondet. 21. honorificè excipit Franciſcum Borgiam ex Gandiæ Duce Soc. Ieſu Præpoſitum Generalem, quem reuerenter audit de Catholica Religione tuenda differentem. 23. eiuſdem precibus ſe commendat. 24. ægrè fert ſe ſuſpectum haberi quaſi minùs amantem Religionis Catholicæ. 28. nititur placare Cardinalem Alexandrinum Pontificis Legatum honoribus, blanditijs, donis, ſed fruſtra. 28. offenditur à Legato aſperiùs agente. 29. negat ſe arma moturum in Belgium interpoſito iuramento. 31. Bonellum Legatum benignè dimittit. 32. Hugonotos vna nocte Pariſijs cædi imperat. 33. nititur placare Britaniæ Reginam, & Germaniæ Principes ob eam cædem iratos, atque ideo declarat patratam odio perduellionis non hæreſis. 37. Card. Vrſinum Legatum benignè audit, ſed vacuum dimittit. 39. Horribilis in eum coniuratio detegitur. 41. Amplectitur conſilia Gregorij XIII. quamuis obſtantibus Politicis. 42. pœnas in coniurationis Principes Alenconiũ, & Nauarrum meditatur. 43. ſed morte præuertitur. 44.

Carolus Lotharingiæ Dux filio coronã Galliæ procurare nititur. 528. in eum propendet Philippus Rex. 538.

Ca-

Carolus Dux Mainei *Regni Gallici competitor*. 528. *V. Maineus:*

Carolus Guiſiæ Dux *competitor coronæ Gallicæ*. 529.

Carolus Cardin. Vindocinus *Gallicæ coronæ competitor*. 529.

Carolus Emanuel Sabaudiæ Dux *& ipſe regnum Gallicum ambit*. 529.

Carolus Card. Borbonius *Sancti Fœderis caput*. 83. *repentè abſcedit ab Aula*. 87. *conijcitur in carcerem cum præcipuis Fœderis Ducibus*. 108. *à Pariſienſibus poſt Henrici III. cædem Rex proclamatur*. 126.

Carolus Mansfeldius *mittitur ab Alexandro ad propugnaculum prope Merchium expugnandum*. 208. *auocatur ab eius expugnatione neceſſitate ſuccurrendi Neomago*. 209 *neglectà rei tormentariæ procuratione ad expeditionem Gallicam, præfecturam inuito Farneſio abdicat*. 218. *hanc eius abdicationem alij laudant, alij calumniantur*. 219. *merita pro defenſa in Hungaria Religione & glorioſa mors*. 221. *gratificari Hiſpanæ legioni præoccupat ante reditum Alexandri*. 378.

Carri *pro munitionibus exercitui Farneſiano*. 368. *mobilia Carrorum caſtra, quibus cinctus Exercitus Catholicus*. 484.

Caſtra *mouent Fœderati ad hoſtem perſequendum*. 335. *Caſtrorum Hiſpanorum ex maris exundatione periculum*. 403. *Caſtra munit Farneſ. ad Knodſenburgum*. 428.

Caſtri Ducatus *oppigneratus à Farneſio*. 366.

Catholicarum *Ciuitatum mæſtitia & indignatio ob cædem Guiſiorum*. 109. *Catholici Proceres ne Regem Hæreticum agnoſcere videantur, ad Fœderatos tranſeunt*. 126. *aliqui tamen pacem, & otium bello præhabent nullarum partium ſtudioſi*. 127. *Catholicorum in exercitu Regis motus animorum poſt victoriam Iurienſem*. 151. *conantur Regem inducere ad amplectendam palam fidem Catholicam*. 151. *Catholicæ Religionis defenſores Auſtriaci: quanti interſit illam religionem in Gallijs ſeruare florentem?* 176. *Cathol. Religionis ſtudio Pariſienſes ſæuiſſimam obſidionem tolerant*. 229. *eius tantùm defendendæ ſtudio Gallias ſe ingreſſum Alexander iure iurando affirmat*. 252. *illi ante omnia cauet Maineus in tractatione pacis cum Henrico Nauar*. 457. *Catholici Nauarro adherentes grauiter illi ſuccenſent*. 461. *conſilia agitant de Card. Borbonio ad coronam euehendo*. 462. *apud illos ſe purgat Henricus Rex*. 462. *quibus argumentis Religio Catholica perſuaſa ſit Henrico Regi*. 471. *Catholici Galli iniquè ferũt dilationem Henrici*. 546. *complures eorum non petito commeatu Regem deſerunt*. 546.

Cautionis *defectus multa in politicis damna parit*. 7.

Celeritas *ingens, quà Farneſiani munitiones ſibi circundant*. 310. *viæ difficiles mirà celeritate ab Alexandri exercitu emenſa*. 549. *celeritas Alexandri poſt ſuperatum Sequanam Pariſios properantis*. 621.

Centuriones *ſeueriores à Manriquiana legione ſeditioſa eiecti*. 196.

Certamen *inter Fœderatos & Regios*. 116. *Certamen ſingulare Mariuantij & Marolij*. 124. *certa-*

men artificioſum Equitum Hiſpanorum. 373. certamina duo riſu digna in obſidione Rhotomagenſi. 523.

Chriſtophorus Moura Regi Philippo in paucis carus. 159. ſuadet Regi expeditionem Gallicam multis argumentis. 171.

Cicotus Regiæ Aulæ ſcurra vulneratur à Salinio, quem ceperat. 504. laudatur ab Henrico ob fortitudinem bellicam, & moritur. 505.

Claſſis Hiſpanæ in Britanniam nauigantis exitium. 164. Claſſis Hollandica in Rhotomagenſium tecta tormentis ſæuit. 520. cogitur retrocedere erecto contra ſe caſtello. 521.

Claudius Barlotta Tribunus in exercitu Alexandri. 611.

Claudius Marolius Ioannem Mariuantium ſingulari certamine vincit. 124.

Clementis X. mira conſtantia in recuſando Pontificatus honore, eique pro viribus obſiſtendo. 22.

Comitatus nobiliſſimus Alexandri Farneſij. 258.

Comitia Galliæ indicta Bleſiæ: 105.

Comparatio Henrici Nauarri cum Alexandro Farneſio, & vtriuſque dotes. 293. & ſeq.

Competitores Regni Gallici. 528. eorum obſequia in Hiſpaniæ Regem. 532.

Concionatorum hortationibus ſæuiſſimæ obſidionis mala tolerant Pariſienſes. 229.

Conditiones pacis à Nauarro propoſitæ. 275. Conditiones pacis propoſitæ à Maineo. 417. & ſeq. Regijs impudentiâ plenæ videntur. 459. conditiones quibus Galli Proceres in ſolium Gallicum adſciſcere volebant Iſabellam Infantem. 542.

Coniuratio Hugonotorum in Franciſcum Secundum Galliæ Regem, 13. Coniuratio horribilis in Carolum IX. 41. coniuratio Legionariorum Vegæ; eius initia & progreſſus. 406. & ſeq.

Conſilia occulta tenere ſtudet Farneſius, 342. Conſilia Gallorum de Hiſpaniæ Rege in Galliarum Patronum deligendo. 527. Trium virorum Hiſpanorum conſilia Regi Philippo ſignificata per literas à Parmenſi. 535. Conſilia Regis Philippi de deligendo Gallis Rege. 539

Conſtantia mirabilis Pariſienſium in ferenda ſæuiſſima obſidione. 228.

Conſultatio Fœderatorum de ratione gerendi belli. 260. diuerſæ in ea Gallorum Hiſpanorumque ſententiæ, horum differendum certamen, illorum irruptionem tentandam ſuadentium. 261.

Calumniæ quibus impetitus Farneſius. 386. contumelioſa reſponſio Naſſauij pugnam cum Hiſpanis detrectantis. 400.

Conuentus Fœderatorum in arcelonuillæ. 84.

Corbolium obſeſſum à Farneſianis. 338. eius deſcriptio. ibid. foſſarum latitudinem, & profunditatē ſcrutantur Farneſiani. 344. & ſeq. oppugnatur. 350. & ſeq. capitur cum ingenti ſtrage defenſorum. 352

Cortracum à Legione Manriquiana ſeditioſa occupatur. 196.

Crimina à Ioanne Moreo obiecta Alexandro. 386. vel falſa, vel miſta mendacijs. 387.

Cunctatione Hiſpanorum reſpirat Henricus Nauarrus. 175.

Da-

D.

DAuentria *obſeſſa à Comite Mauritio*. 415. *deditur grauiter vulnerato Gubernatore*. 418.
Deditio *Dauentriæ poſt vulneratum Gubernatorem*. 418. *Hulſti ope factioſorum*. 444. *Neomagi*. 445.
Deliberatio *Henrici de ſumma belli, & Procerum in Senatu ſententia*. 476. *& ſeq. Deliberatio Farneſij an inſtandum hoſti à Rhotomagi obſidione recedenti?* 560.
Deſcriptio *Comitatus Alexandri Farneſij*. 258. *Planitiei ad Aumaliam, pugnæque in illa commiſſæ*. 481. *& ſeqq. exercitus Fæderati*. 482. *tranſitus fluuij Somonæ*, 550. *& ſeq. Calidobechi*, 565. *tranſitus Sequanæ ab exercitu Fæderatorum*. 613.
Deſperatio *animos addit Gallis in defenſione Corbolij*. 357.
Didacus Auila *à Manriquiana Legione ad necem quæritur*. 196.
Didacus Ibarra *Miniſter Hiſpani Regis Sponſum externum Iſabellæ in Galliarum Reginam eligendæ proponit, ſed repudiatur*. 541.
Didacus Ortiſius *à Manriquianis ſeditioſis ad necem quæritur*. 196.
Difficultates *itineris è Gallijs in Belgium prauidet & præcauet Alexander*. 368.
Diligentia *PP. Societ. IESV D. Iacobi ſuburbium contra Nauarri inſidias defenſum*. 329.
Diminutio *Farneſiani exercitus & eius cauſæ*. 381.
Diſciplina *compenſat paucitatem militum*. 250. *Diſciplina Farneſiani militis repentino in caſu monſtrata*. 282. *Belgici exercitus diſciplinam corrumpit inopia*. 383. *diſciplina ſolutior inter equites Fæderatos hoſtium illos inſultibus obnoxios reddit*. 605.
Doloris *violentiâ penè inutilis adminiſtrando bello redditur Alexander*. 596.
Dolo *Batani arces aliquot capiunt*. 411.
Dominorum *legio appellatur Legio Manriquiana*. 122.
Dracones *quid, & quis eorum vſus?* 371. *retardant Farneſianorum impetum*. 375. *ſua cæde victoriam Catholicorum ad Aumaliam remorantur*. 487.
Ducum *& militum ſupplicatio Pariſijs*. 234. *obſtringunt ſe iure iurando pro defendenda Religione Catholica*. 234. *Ducum authoritate nititur militaris res*. 418.

E.

ELiſabetha *Anglorum Regina Nauarrum hortatur vt maturet expugnationem Lutetiæ ante aduentum Farneſij*. 210. *mittit ſubſidia Batauis contra Hiſpanos*. 396 *cauſæ præcipuæ quæ illam in Hiſpanos concitauerunt*. 410. *Subſidijs militaribus iuuat Hugonotos*. 411. *reditum Farneſij in Gallias diſturbare conatur*. 437. *pecunijs milites eius & Duces corrumpit*. 439. *fæneratitia eius liberalitas ſuſpecta Henrico*. 454.
Emanuel Lalanius *V.* Renthiaci Marchio.
Emanuel Vega *Tribunus Hiſpanus in Friſia*. 394. *obuiam progreditur Batauis cum ſua Legione*. 396. *diſſuadet pugnam cum Batauis*. 398. *eius tabernaculo milites ali-*

aliquot nitratum puluerem ſubijciunt, 401. tollitur in aera tabernaculum, & ſtrato excutitur Vega. 402. eius in omnem Legionem acerbitas. 402. negat cedendum exundationi maris. 403. eius legionarij loco ſtipendij depoſcunt commodiora hyberna. 405. impetrant. 406. coniuratio & ſeditio Legionariorum Vegæ. 406. & ſeq. accurrit Vega vt compeſcat turbulentos. 407. deſeritur à ſuis: reſponſum eius forte & magnanimum. 408. cogitur à militibus excedere vrbe. 409. Legionarij Vegæ inuitantur ab Alexandro ad expeditionem in Friſiam. 421. renuunt, & ſe ad defenſionem Brabantiæ arcium offerunt. 422. Tribunus tamen cum trecentis triginta ſequitur Alexandrū. 423. Vegiana Legio ſequitur Alexandrum redeuntem in Gallias; Vega Portus Herculeo præficitur. 475.

Emitelium *Caſtellum ſe dedit Verdugo.* 396.

Epernæum *à Maineo expugnatum.* 627.

Epernonius. *vide etiam* Bernardus Nogaretus. *mutua inter illum & Guiſios odia.* 68. *inquè fert Ioyeuſam in Maris Præfectura ſibi prælatum.* 68. *præſidio domeſtico præficitur à Rege, & Tribunus Gallorum peditum ab eodem nominatur.* 69. *ſuadet Regi bellum contra Fæderatos.* 84.

Equites *Fæderati milites Nauarræos in Laniaci ſubſidium miſſos cædunt aut capiunt.* 319. *Equites Fæderati non petità plerique venià domum repetunt.* 336. *Equitum Hiſpanorum artificioſum certamen.* 373. *Equites Fæderati à Nauarræis impedimentis exuti.* 605.

Erneſtus Archidux *in Sponſum proponitur Iſabellæ Infanti Hiſpaniarum.* 541.

Error *Gallorum in mutandis ordinibus Farneſianis victoriæ occaſio.* 321.

Eruptio *felix obſeſſorum Rhotomagenſium.* 515. *aliæ eorundem eruptiones.* 521.

Euchariſtia *in medium allata compeſcuntur in mutuam cædem ruentes Manriquiani.* 215. *quoties Euchariſtiam ſumere ſolitus Alexander?* 250.

Eudamum *deditur Alexandro.* 622.

Europæ Principum *conſpiratio an Hiſpanis timenda?* 179.

Exemplis *fœminarum Principum recuſantium veſci dapibus ab heretico Rege ſubmiſſis firmantur Pariſienſes ad ſæuam obſidionem ferendam.* 230. *exemplis Ducum feruet pugna in oppugnatione Corbolij.* 353.

Exercitus *Catholici luſtratio.* 254. *exercitu incolumi Rempublicam ſtare.* 262. *Exercitus Nauarræi & Fæderatorum numerus.* 281. *pares inter ſe, licet diſſimiles. ibidem. Nauarrus ſuum exercitum è Lutetiæ ſuburbijs euocat, vt Fæderatis prohibeat iter.* 289. *Exercitum Nauarrus prudenter inſtruit.* 303. *exercitus Fæderatorum mæror, & indignatio ob neglectam opprimendorum Nauarræorum occaſionem.* 335. *exercitum quiete xx. dierum reficit Alexander.* 368. *quantum imminutus Galliæ calamitatibus exercitus Farneſij?* 368. *Exercitus Fæderatorum in ſecunda expeditione Gallica quis & quantus?* 482. *exercitus Regij & Fæderati ſta-*

tus

tus miſer. 546. diteſcit Alexandri exercitus ſpolijs hoſtium. 623.
Expectatio longa Nauarræorum, ſed irrita, pugnæ cum Fœderatis committendæ. 303.
Expeditio Gallica Regi Philippo diſſuadetur à Ioanne Idiaqueſio. 160. & ſeq. ſuadetur eidem à Chriſtophoro Moura. 171. & ſeq. in ea, ſeu vincant, ſeu vincantur Hiſpani, gloriæ certos eſſe aſſerit Moura. 180. committitur Alexandro Farneſio à Rege. 181. eius difficultates. 182. & ſeq. à Gallica expeditione cur abhorruerit Alexander? 441.
Expugnatio Laniaci à Farneſianis. 321. Corbolij. 359.
Exundatio Maris inſolita. 403.

F.

FAbius Mirtus Archiepiſcopus Nazarenus Nuntius in Galliam miſſus à Gregorio XIII. poſt mortem Caroli IX. 44.
Facinus inſolens, & crudele aliquot Legionariorum Vegæ. 401.
Factionum machinamenta Deus euertit. 12.
Fama Victoriæ Henrici Regis de exercitu Fœderato quo, & quàm vario ſenſu per Europã excepta? 599.
Fames extrema Pariſienſium à Nauarro obſeſſorum & fœda facinora, ad quæ impulit. 225. & ſeq. fame non ferro delere Fœderatos vult Henricus. 576.
Fameſenium arx Alexandro deditur. 480.
Farina confecta ex oſſibus mortuorum. 228.
Fœminarum principum exempla Heroica. 23. fœminæ perſonatæ malè multant petulantiam Regiorum ad Rhotomagum. 524.
Feritas Milonia expugnatur à Farneſianis. 245.
Flauius Card. Vrſinus in Galliam ad Carolum IX. Legatus mittitur à Gregor. XIII. 35. Interſiſtit Camberiaci Regis, & Pontificis monitu. 36. mox honorificè Pariſijs excipitur. 37. agit cum Rege de Fœdere ineundo contra Turcas, de affinitate iungenda cum Hiſpano, de Britannia communibus armis inuadenda. 38. benignis verbis excipitur à Rege, ſed re vacuus dimittitur. 39. reuertitur in Italiam. 41.
Fluctus expugnant Hiſpanorum pertinaciam. 404.
Fœdus Gallicanum. Iudicium de Gallorum Fœdere. 9. eiuſdem initia & progreſſus humanis ætatibus comparati. 10. eius violenti conatus excuſabiles. 11. eiuſdem admirabilis conſtantia, & finis glorioſus ſub Henrico IV. 12. initia Sancti Fœderis. 60. ſpecioſa vocabula noui Fœderis, quod populis ſuadetur Religionis ſpecie. 73. eius leges populo fauorabiles. 74. Romanum Pontificem, & Hiſpanum Regem adſciſcit. 75. Poſt Alenconij mortem inualeſcit. 81. Fœderati abutuntur religionis obtentu ad ſuam potentiam ſtabiliendam, & regiam euertendam. 82. Fœderati milites ſcribunt, & arces occupant. 84. ſcriptis cauſam ſuam tuentur. 87. Eorum arma à prudentioribus improbantur. 87. creſcente eorum potentia Rex pacem cum illis inire compellitur. 90. Regis in eos edicta & arma. 115. Fœderati à Regijs victi. 117. exercitus eorum imminutus. 119. Fœderis res denuo extimis.

ſtmis ad ſumma emergunt plurimorum acceſſu. 126. Fœder. Proceres rem priuatam curant publicâ neglectâ. 128. in Iuriensi prælio poſt ſtrenuam pugnam vincuntur à Regijs. 145. Fœderis res Iuriensi clade vehementer afflicta. 149. emolumenta ex Fœdere in Hiſpaniam deriuata. 178. occurrunt Henrico accincti ad pugnam Fœderati. 451. Fœderati Galli in pugna ad Aumaliam ſaucio Rege pugnam intermittunt. 491.

Fortitudo militis Farneſiani in oppugnatione Corbolij. 339. Innici Caruaſalij Hiſpani. 354. Vegæ Tribuni. 408. Henrici Regis in pugna ad Aumaliam. 487. Alexandri vulnus diſſimulantis. 567. eiuſdem, remedia vulneri adhibentis. 568. & ſeq.

Fortunæ in bello vis. 603.

Foſſas Corbolij metiuntur Farneſiani. 347. & ſeq.

Franciſcus Borgia ex Gandiæ Duca Præpoſitus Generalis Soc. Ieſu additus comes Michaëli Card. Bonello ad Reges Europæ Legato. 22. à Rege Franciæ Carolo Nono honorificè excipitur. 23. Ab eodem ad colloquium admittitur, & reuerenter auditur. 23. Regem ad Religionem Catholicam tuendam hortatur. 23. Galliæ Regnum ad priſtinam felicitatem rediturum vaticinatur. 24.

Franciſcus Secundus Galliæ Rex oppugnatur in Arce Amboſiana ab Hæreticis. 14. liberatur à Franciſco Guiſiæ Duce: contractis auxilijs deliberat de excindendis Hæreticis. 15. eiuſdem mors intempeſtiua. 16.

Franciſcus à Luxemburgo Brienæ Comes à Maineo vincitur & capitur. 115. Catholicorum Henrico IV. militantium ad Sixtum V. Orator. 130.

Franciſco Sermonetæ Duci collati ab Hiſpaniæ Rege honores. 132.

Franciſcus Venerus Dux ſtrenuus redeuntes cum præda Nauarræos malè multat. 606.

Franciſcus Verdugus Friſiæ Præfectus. 394. ad pugnam elicere conatur Batauos. 396. propugnaculum extruit propè Groningam. 397. Emitelium Caſtellum in deditionem accipit. 396. Vegæ pugnam cum hoſte diſuadentis iudicio acquieſcit. 399. prouocationem Naſſauij acceptat. 400. captiuos remittit ad Naſſauium cum mulis. ibid. laudat iudicium Linaris, qui pugnam nuper ſuaſerat. 401. Vegam conſulit in periculo Caſtrorum à mari exundante. 403. introducto, licet difficulter, præſidio Groningam à periculo expugnationis aut deditionis liberat. 419.

Fraus Mauritij Comitis in Breda capienda. 220. & ſeq. in capiendo Turnohuto. 412. in capiendo propugnaculo Zutphanienſi. 413.

Furta calonum Gallorum. 241.

G.

GAlliæ Status cum illuc Alexander venit. 3. eiuſdem calamitates ſub Franciſci Secundi pueritia. 5. Gallia diſtracta in geminas factiones, Guiſiorum fauentium Catholicis, & Borboniorum fauentium Hæreticis. 7. iterum in partes Henrico IV. & Carolo X. fauentium. 136.

Gallicæ expeditionis difficultas & præ-

præſtantia. 9. *Summa rerum in ea ab Alexandro Geſtarum*. 2.

Gallorum *pietas in Sacris expeditionibus, & victoriæ*. 62. *indignantur imminutam ob hereſim pietatis antiquæ gloriam*. 63. *Ordines omnes Galliæ in Hæreſim conſpirant*. 64. *gaudent certaminibus*. 224. *Gallorum calonum furta*. 241. *Secretorum ob priuata commoda non ſatis tenaces*, 265. *Gallorum equitum negligentià amittitur occaſio opprimendi primi Nauarræorum agminis*. 582.

Gaſpar Colinius *Præfectus Gallici maris Hugonottorum fautor coniurat in Franciſcũ Secundũ*. 15. *vulneratur in prælio cũ Pontificijs*. 21.

Gaudium *Nauarri ob propinquam ſpem certaminis*. 302.

Georgius Baſta *Equitum Commiſſarius in exercitu Alexandri*. 244. *intereſt deliberationi de bello contra Nauar: gerendo*. 260. *ludum ſuum in expeditione Laniacenſi bene ludit*. 303. *Regijs incurſantibus ſtrenuè obſiſtit*: 307. *mittitur ad laceſſendum poſtremum Nauarræorum agmen*. 314. *in reditu è Gallijs poſtremo agmini præficitur*. 368. *in pugna ad Aumaliam equites leuiter armatos effundit in Regios*. 486. *æger decumbit Calidobechi*. 527. *ob eius abſentiam ſolutior in equitatu Fœderato diſciplina*. 605.

Germaniæ *Principes Hæretici pro Hugonotorum defenſione numeroſum in Gallias exercitum mittunt*. 90. *eius exercitus capite deſtituti clades*. 93. *eius reliquijs etiam fœminæ inſultant*. 94. *paſſi cladem ſua temeritate & vecordia*. 173. *quantum Germano militi ſtipendiorum debuerit Alexander?* 366. *auxilia mittunt Henrico Principes Germani Proteſtantes*. 446.

Grangia *Dux Equitum Corbolienſium*. 338. *lytrum pactus ſe dedit*. 359.

Gregorius XIII. *Iubileum indicit pro rebus Galliæ*. 34. *iubet San-Bartholomæanam Hugonotorum cædem pingi in ædibus Vaticanis*. 35. *hortatur Carolum IX. ad coëundam ſocietatem cum Rege Hiſpaniæ*. 42. *Henricum III. in Galliam ex Polonia properantẽ Romam inuitat, aut Bononiam per Legatum, ſed fruſtra*. 44. 46. *cui tamen per eundem Legatum ſua conſilia inſinuat*. 47. *Henricum III. Gall. Regem fruſtra monet de iungenda cum Hiſpano ſocietate*. 57. *approbat S. Fœdus in Gallia*. 76. *arma tamen in Regem ſumpta non probat*. 88. *Anathematis fulmen quod ferre rogabatur in Nauarrum & Condæum prudenter differt*. 88. *& cur?* 89.

Gregorius XIV. *Nepotem cum exercitu in Gallias mittit*. 449.

Groningenſium *ſtrenua opera in extruendo propugnaculo*. 397. *Legiones Hiſpanas vrbe excludunt*. 404. *Groningam adoriri feſtinat Naſſauius, ſed præuenitur à Verdugo*. 418. *Ciues ægrè admittunt præſidium Hiſpanum*. 419.

Giurius *in Regis Henrici periculo cum lxx. Gallis nobilibus accurrit*. 488. *Regem ſaucium in ſuam turmam recipit, & ſagulo gregarij militis operit*. 491. *ſuffoſſo equo crus illi ſiniſtrum grauiter affligitur*. 492. *præficitur Nouo Caſtro*. 496. *illi veniam apud Alexandrum impetrat Iathræus*. 498. *lis inter illum, & Farneſium orta ob conditiones de-*

deditionis Regis arbitrio permittitur. 499. *Giurius Caluini erroribus addictus*. 498. *vulneratur ab erumpẽtibus Rhotomagenſibus*. 522. *Henrici de eo encomium*. 522.

Gratiæ *Deo actæ à Pariſienſibus ob ſolutam obſidionem*. 292. *à Rhotomagenſibus ob eandem cauſam*. 558.

Guilielmus Balden *ſuburbium S. Iacobi contra Nauarræos defendit*. 331.

Guilielmus Naſſauius *Friſiæ pro Hollandis Gubernator mouet contra Hiſpanos*. 396. *detrectat cum illis pugnam. ibid. damno ſuo coactus ſuccedit munitionibus Hiſpanorum*. 397. *prouocat Hiſpanos ad pugnam*. 399. *ijs obuiam progreſſis detrectat certamen cum contumelioſa reſponſione*. 400.

Guiſius *Dux Pontificem, & Hiſpaniæ Regem Fœderi Gallicano conatur adiungere*. 75. *opponitur Germanorum Hæret. exercitui*. 91. *eo profligato, ingenti plauſu excipitur Pariſijs*. 94. *laudatur à Summo Pontifice*. 95. *aſpirat ad affinitatem cum Pontifice. ib. inermem ad ſe venientem Rex è medio tollere cogitat*. 98. *denuo pacatiùs cum Rege congreditur*. 99. *à Regis cæde abſtinet*. 102. *varia variorum ea de re iudicia*. 103. *concordia eius cum Rege. ibid. venit ad Comitia Bleſiam*. 105. *fruſtra dehortante matre*. 106. *occiditur ibidem per inſidias*. 107. *aliquot ipſius interfectores in ſuſpendium acti*. 246.

Guiſiæ Dux *Iunior competitor Coronæ Gallicæ*. 529. *effuſam ſuorum fugam inhibet, & compoſito agmine in hoſtes inuehitur*. 589. *cum cataphractis pugnat contra Nauarræos*. 594.

Guiſij *fauent Catholicorum factioni*. 7. *Eorum potentia ſuſpecta Regibus. ibid. Guiſiorum priuatæ rationes ſtudio Religionis immiſtæ*. 66. *cur ſe Catholicæ factioni Duces præbuere?* 67. *dolent alios inferioris ſortis ſibi prælatos*. 67. *occultam conſpirationem moliuntur in Regem & cur?* 70. *Guiſijs fauet Populus, vt veræ religionis fautoribus*. 71. *Guiſiorum artes ad populum demerendum*. 72. *Nouum Fœdus religionis nomine perſuadent populis*. 73. *timent ne Nauarræ Rex hæreticus Regnum obtineat*. 83.

H.

HÆreſeos *ortus & progreſſus in Gallia*. 4. *Summa malorum quæ ab ea in Galliam profluxerunt*. 9. *Eius incrementum in Gallia poſt obitum Henrici II*. 13.

Hectoris *Caballi præclara virtus & fides*. 346.

Heluetiorum *virtus in prælio Iurienſi*. 145. *cum ijs benignè agit Rex*. 146. *ſtipendia poſcunt, ſed ioco eorum petitiones eludit Henricus*. 333. *minantur hoſtilia Farneſio, ni ſtipendia accipiant*. 363. *eos ob ſtipendiorum defectum tumultuantes Alexander prudenter compeſcit*. 548.

Henrici II. *fortuita mors in certamine ludicro*. 4.

Henricus III. *ex Duce Andegauenſi electus in Regem Poloniæ*. 41. *in Galliam per Italiam properans poſt mortem Caroli IX. fratris Romam inuitatur à Gregorio XIII. qui magnas de eo ſpes conceperat, ſed fruſtra*. 44. 45. 46. *Monita Gregorij*

rij non audit. 47. eius mores cum fortuna mutati. 48. lentus, & cur in Catholica Religione tuenda. 49. ob odium in Hæreticos, & Guiſianos tertiam contra vtroſque factionem ſuſcitat, ſed euentu infelici. 50. 51. initio Regni miram exhibet morum varietatem cum detrimĕto exiſtimationis apud Catholicos, & Hæreticos. 52. 53. Auxilium militum Italorum reſpuit, nummorum à Gregorio XIII petit; ſed Pontifex renuit. 54. contemnitur ob vitam deſidem ac voluptatibus deditam. 55. negligit coniurationis initia. 77. deliberat an bello impetendi Fœderati. 84. Hugonotis Ioyeuſam, Ducem Guiſiæ Germanis opponit, quo conſilio? 91. Concionatorum contra illum libertas. 96. fruſtra eam Rex caſtigare laborat. 97. à Guiſij inermis cæde eum dehortatur mater. 98. ad comprehendendos coniuratos militem Lutetiam inducit. 100. cum ſuo milite à coniuratis repulſo periclitatur. 101. illi Guiſius parcit. 102. eius cum Guiſio concordia onerosa. 103. profugit Carnutum, & auxilia Anglicana oblata repudiat. 104. Comitia Regni Bleſiam indicit. 105. ibique Ducem Guiſium per inſidias occidi, Card. eius fratrem in carcerem trudi iubet. 107. Catholici vehementer hac cæde contra Regem exacerbati. 109. Pontifex Sixtus V. cœtu fidelium illum eijcit. 111. Fœderatorum in eum odia, & hinc ipſius deſperatio, ex deſperatione ſocietas cum Nauarræ Rege. 114. edicta in Fœder. 115. Mainei inſidias indicio molitoris euitat. ibid. Lutetiam cum Nauarro obſidet. 117. excidium vrbi minatur. 118. à Iacobo Clemente adacto in viſcera ferro lethaliter vulneratur. 120. Nauarrum Regni hæredem nuncupat. 121. piè moritur ex vulnere. ib. morum & vitæ eius Synopſis ib.

Henricus IV. Nauarræ, poſtea Galliæ Rex hæreſim abiurare recuſat, ad quod inuitabatur ab Henrico III. 86. Ioyeuſam contra ſe miſſum cum exercitu vincit. 92. Lutetiam cum Henrico III. obſidet. 117. hæres Regni declaratur ab eodem extremis admoto, & ab exercitu rex ſalutatur. 121. ſoluit obſidionem Lutetiæ prætextu curandi Regij funeris. 128. in prælio Iurienſi conſilio & virtute Fœderatos profligat. 142 nudato capite ſe viuum oſtendit cùm mortuus diceretur. 144. lethaliter in Iurienſi prælio vulneratus dicitur, ſed falsò. 147. quàm facilè illi futurum fuiſſet Lutetiam poſt prælium Iurienſe expugnare? 150. cur ea expugnatione ſuperſederit? ib. ſperat Lutetiam fame ad deditionem adactum iri. 151. Antiſtites Regni Turonum inuitari curat tanquam tractaturus de rebus Religionis. 152. Regiæ voluntati intercedit Caietanus Legatus. 152. Lutetiam obſidere ſtatuit. 153. eius exiſtimationem apud Philippũ Regem exaggerat Idiaqueſius. 168. totius Europæ imperium affectare dicitur à Chriſtoph. Moura. 174. dictum de eo Romani Pontificis. 175 monitus ab Angliæ Regina maturare expugnationem Lutetiæ, ſuperſedet ea expugnatione, & cur? 210. in eum proni, Politici appellantur Pariſijs. 235. Legati à Pariſienſibus ad eum miſſi ad tractandum de pa-

pace. 236. acri oratione Pariſienſes ſuæ ipſorum conditionis admonet. 238. libertatem conſcientiæ ſibi depoſcit. 238. non procedit tractatio pacis. 240. fruſtra conatur elicere è monumentis ſuis Farneſianos. 243. pacis conditiones Fœderatis ab eo propoſitæ. 273. Induciarum negotium admittit, ſed illæ non procedunt. 276. expoſtulat cum Præſide Pariſienſi. 278. offenſus libertate Præſidis faceſſere eum iubet è conſpectu. 276. ægrè adducitur ad deſerendam Lutetiam penè captam. 283. cogit Senatum bellicum qui ipſi ſuadet ſolutionem obſidionis. 285. exercitum euocat è ſuburbijs Lutetiæ, vt Farneſianis occurrat. 289. Calas occupat. 289. comparatur cum Farneſio. 293. prouocat Fœderatos ad præliū. 296. gaudium illius ob ſpem certaminis in loco ſibi æquiore committendi. 301. prudētia in exercitu inſtruendo. 302. pugnæ copiam offert Fœderatis. 311. conſulit defenſioni Laniaci. 317. caſtra muniri curat & ordinat exercitum. 318. cum 1000. equitibus ad opem Laniaci accurrit. 319. ſerum arce iam capta auxilium. 322. Suburbia Lutetiæ noctu aggredi ſtatuit. 326. ſed irrito conatu. 327. redit ſecundò ad aggreſſionem, & quare quàque ſpe? 329. iterum deluſa eius ſpes. 332. eius vrbanitas ac facetiæ. 332. dimittit exercitum pluribus incommodis affectum, acie tantùm ſelectiore retenta. 336. Caſtrum Theodorici præſidio firmat, & Fœderatos inſequitur. 369. ad certamen inſtructus apparet xxv. Nou. 370. ſolertia eius mira & prudentia in pugna cum Farneſianis commiſſa. 371. & ſeq. eius potentia poſt Farneſij diſceſſum in Gallijs creſcit. 448. auxilijs vndique confluentibus primum ſtipendium ſoluit. 449. obſidione Rhemenſi omiſſa venit in Lotharingiam, & quo conſilio? 450. Fœderatis ad pugnam accinctus occurrit. 451. vias obſidet, quibus eundum Fœderatis. 452. Anglis hortantibus Rhotomagum obſidet. 453. fœneratitia Eliſabethæ liberalitas illi ſuſpecta. 454. conditiones pacis illi à Maineo propoſitæ. 457. Catholici aſſeclæ grauiter in illum commoti. 461. purgat ſe apud Catholicos. 462. in eius manus deueniunt literæ Portij, coniurationis Borboniæ nuntiæ, 465. ſolicitudo Regis ex ea coniuratione orta ſedatur ab amicis. 466. Artes Henrici ad conciliandos ſibi oppoſitæ factionis Proceres. 466. & ſeq. argumentis Perronij conuictus Religionis Catholicæ veritatem agnoſcit. 471. deliberat de ſumma belli. 476. & ſeq. Bironium in Rhotomagi obſidione cum pedite ſubſiſtere iubet, ipſe equitem ſecum contra Fœderatos ducit. 479. egreſſus cum equitum turmis incidit in Fœderatos & cum ijs manus conſerit. 481. actis in fugam excurſorijs equitibus Fœderatorum exercitum ex edito colle contemplatur. 482. non ſinitur immorari ſpectaculo, Catholicis vndique contra eum inſurgentibus. 485. mira ſolertia & fortitudine ſe defendit. 486. vulneratur. 487. ſubducitur exitio à Niuernenſi Duce. 493. in proximo nemore adhibet curationem vulneri, non tam graui, ac timebatur. 494. de bello conſultat in Nouo Caſtro. 495. molitionibus Fœderatorum diſiectis commea-

tus

tus intercipere ſtudet. 497. fatigat Fœderatos perpetuis velitationibus. 500. lepidum eius de Salinio dictum. 505. Fœderatis digreſſis obſidionem Rhotomagenſem inſtaurat. 520. eius conatum in extrahendis è foſſa bombardis præoccupat Villarius. 521. malè multat Rhotomagenſes conantes reparare muri ruinas. 523. inuitatur à Proceribus Gallis ad reddendum ſe fidei Orthodoxæ. 544. conatur reuocare Catholicos proceres eum deſerentes, ſed fruſtra. 546. audito Fœderatorum aduentu in caſtra redit, & decernit ſoluere obſidionem Rhotomagi. 555. ingentem cogit exercitum. 573. accurrit ad impediendam Catidobechi expugnationem, ſed ſerò. 574. iudicat ſuperſedendum certamine. 575. decernit Fœderatos vincere fame, & aditum commeatibus præcludit. 576. ſylua eijcere Fœderatos laborat. 586. mittit Britannos ad Guiſianos colle deijciendos, & inferendum hoſtibus terrorem. 588. ad deijciendos ex alio colle Fœderatos Naſſauium mittit. 591. ſuos velut ad prælium educit in aciem. 592. militem belli finiendi cupidum inhibet. 595. exercitus Fœderati calamitates transfugæ Galli ipſi patefaciunt. 597. vias omnes aduehendi Fœderatis commeatus obſidet. 598. triumphum canit ante victoriam, quam ſpe deuorauerat. 599. abeuntium hoſtium veſtigijs inſiſtit intentus in omnem opportunitatem cladis infligendæ. 604. mittit Bironium cum Nuano aduerſum leuis armaturæ equites Farneſianos, à quibus hi impedimentis exuuntur. 605. Bironium mittit ad hoſtium molitiones explorandas. 611. audaciam hoſtium, & mutatam rerum faciem indignabundus admiratur. 614. dum plenus irarum recedentem hoſtem inſequitur, ſiſtitur Fœderatorum è propugnaculis iaculatione. 615. parantem excidere hoſtium propugnacula anteuertit vtriuſque Farneſij ſolertia. 616. inſiſtens abeuntium Farneſianorum veſtigijs, aliquos eorum intercipit & trucidat. 622. poſt elapſum è manibus Fœderatorum exercitum, copias exauthorat incertus conſilij, mæſtuſque ob amiſſos præclariſſimos Duces. 626. non placet illi Gallicarū armorū diſpendio Anglicana auxilia mercari. 637.

Henricus Card. Caietanus S.R.E. Camerar. Legatus à latere in Gallias mittitur. 131. eius decora. 16. proficiſcitur Roma. 134. Tauannius illi in itinere inſidias ſtruit, quas mirabiliter declinat. 135. Lutetiæ miſer ſtatus ſub eius aduentum. 16. Pariſienſium animos erigit. 136. Antiſtites Galliæ data Epiſtola à Nationali Concilio auocat. 152. eius in obſidione Lutetiæ virtus, pietas, liberalitas, fortitudo &c. 232. eius Laus. 234.

Hercules Sfondratus Gregorij XIV. nepos Pontificij in Gallias exercitus Dux. 449. queritur neminem Fœderatorum ſibi obuiam venire. 450. apud eum de mora ſe purgat Alexander, & tandem Fœderatas copias coniungunt. 474.

Hermañus Comes Bergenſis Gubernator Dauentriæ. 415. deditionem vrbis ſtrenuè abnuit. 416. graue vulnus accipit. 417. propterea deditur vrbs. 418.

Pppp 2 Hiſ.

Hiſpanus *Orator diſcedit ab Aula Gallica, ob interceptam à Batauis in Belgio Vrbem ope Gallorum.* 30. *Hiſpani ſuſpicantur contra ſe bellum parari à Carolo Nono Rege Gallorum.* 30. *eorum querela contra Fœderatos ob ſumptus Fœderis nimios.* 129. *Hiſpani aduerſus Gallos in Italiam euocati ibi cum imperio permanſerunt.* 172. *milites Hiſpani magnifici.* 222. *eorum querelæ ob furta Gallorum calonum.* 241. *negant opem ferre laboranti Rhotomago, niſi Regis electio maturetur.* 526.

Hollachius *Comes cum ſuis Bredam capit.* 303. *& ſeq.*

Hugonoti *coniurant in Franciſcum II.* 13. *Lutetiam confluunt ad nuptias Nauarræ Regis cum Margarita Caroli IX. Sorore.* 32. *Nocte Sacram D. Bartholomæo lucem præcedente cæduntur, & varij ob eam cædem motus & iudicia.* 33. *iuſſu Greg. XIII. pingitur in ea cædes in ædibus Vaticanis.* 35. *eorũ metus ne deſerãtur à Rege ad Catholica ſacra transgreſſuro.* 151. *eorum incrementis Sanctum Fœdus obſtat.* 178.

Hulſtum *in Flandria ſe dedit Mauritio.* 444.

Humanitate *Gallorum Nobilium animos ſibi conciliat Farneſius.* 288.

Humerius *V. Iacobus Humerius.*

Hyems *impedit Farneſium ab expugnatione arcium circa Lutetiam.* 362. *Hyberna commodiora loco ſtipendij depoſcunt Hiſpanæ legiones.* 405.

Hymnus *gratiarum cantatus Lauduni in aduentu Farneſij.* 252.

Hyppolitus *Bentiuolus equitum ductor in expeditione Gallica.* 219.

I.

IAcobus Clemens *Henrici III. interfector.* 120.

Iacobus Dauy Perronius *vir genere & literis inclytus in aulam Card. Borbonij adſciſcitur.* 468. *mittitur ad Gallos proceres in nouii Fœdus inducendos.* 469. *ſed eum Rex Henricus mira humanitate ſibi deuincit. ibid. Fœdus ab eo conflatum ab ipſomet extingui nequit.* 470. *inſtrumentum eſt præcipuum conuerſionis regiæ.* 470. *quibus potiſſimùm argumentis Regis animum Catholicæ Religionis ſtudio accenderit.* 471.

Iacobus Collaltus *cum Germanis in Lutetiæ & Fœderis ſubſidium ab Alexandro mittitur.* 156. *ſuis ſtipendia flagitat minitabundus.* 366.

Iacobus Comes Humerius *Condeum à Picardiæ Præfectura conatur excludere.* 64.

S. Iacobi *ſuburbium à PP. Societ. IESV defenſum.* 329. *& ſeq. S. Iacobum inuocant Hiſpani ante oppugnationem Corbolij.* 351.

Iathræus *primo agmini præponitur ab Alexandro.* 287. *vir belli ſciens. ibid.*

Ignauia *cuſtodum amittitur Breda.* 199. *& ſeq. cuſtodum ignauia ingens prope clades accepta à Fœderatis ad Iuetotum.* 588.

Imperatores *Clariſſimi ſuæ ætatis Henricus Nauarræ Rex & Alexander Farneſius inter ſe comparantur.* 293.

Induciarum *negotium inter Maineum & Nauarrum, ſed irritum.* 277.

In-

Innocentius IX. *ſummus Pontifex ſauet Card. Borbonio ad Galliæ ſceptrum aſpiranti*. 462. *Card. Borbonius ſuam illi perſonam, gentemque Borboniam commendat*. 463.

Inſidiæ *Nauarræorum detectæ*. 328. *iterum*. 330. *inſidiæ Hiſpanis ſtructæ à Mauritio: hos illis obnoxios faciunt ſuperbia, & temeritas*. 429.

Inuidiæ *metus Parmenſem ab expeditione Gallica retrahit*. 185. *inuidia ſemper aduerſaria virorum fortium*. 385.

S. Ioan. Baptiſtæ *cedi ſacer dies deſtinatur profectioni exercitus Catholici*. 287.

Ioannes Baptiſta Taſſius *adminiſter Hiſpani regis in Gallijs*. 137. *per illum conuenit de loco luſtrandi exercitus Catholici*. 253. *deliberationi de bello gerendo interuenit*. 160. *inclinat in Ducis Lotharingiæ filium ſceptro Gallico admouendum*. 534.

Ioannes Idiaqueſius *Philippo Regi gratus, expeditionem illi Gallicam varijs argumentis diſſuadet*. 159. *& ſeq. perſtringitur à Chriſtophoro Moura tanquam pronus in partes Parmenſis propter filium ſub eo in Belgio militantem*. 173. *per illum crimina ſibi obiecta à maleuolis diluit Alexander*. 385.

Ioannes Lorinus *S. I. inſidias Nauarræorum in aggreſſione Lutetiæ detegit*. 331.

Ioannes Mariuantius *cum Claudio Marolio ſingulari certamine congreſſus vincitur & Henrici III. mortem Pariſienſibus manifeſtat*. 123. *& ſeq.*

Ioannes Moreus *Miniſter Philippi II. in Gallijs*. 137. *quis fuerit, & cur Alexandro infenſus?* 385. *literæ eius quibus Alexandrum apud Regem inſimulat, intercipiuntur à Nauarro & mittuntur Alexandro*. 386. *repentina eius mors, imputata varijs, etiam Farneſio: ſed falſò*. 389.

Ioannes Toccardus *Card. Borbonij Præceptor eius ad regnum aſpirantis ambitionem fouet*. 468.

Ioci *militum Gallorum in tarditatem Hiſpanorum*. 306.

Ionuillæ Princeps *Ducis Guiſij filius in vincula iuſſu Regis conijcitur*. 108.

Ioyeuſa *V. Annas*.

Iſabella *Infans Hiſpan. in Reginam Gallis offertur à Philippo Patre*. 539. *cur expetita ab Hiſpanis, cur à Gallis, & quibus conditionibus?* 540.

Itali *præſidio Bredæ impoſiti*. 202. *fortiter initio reſiſtunt irrumpentibus Batauis, ſed mox eorum culpa Breda amittitur magno Parmenſis dolore*. 204. *ſumitur de deſertoribus Bredæ ſupplicium, gaudentibus alijs eiuſdem nationis*. 209. *illis ſolis Laniaci expugnatio attribuitur*. 323. *eorum labor ad pontem lapideum Corbolij & inuicta virtus*. 355. *& ſeq. per cæſorum cadauera in arcem penetrant*. 357.

Iubilæum *ob res Gallicas à Sixto V. indictum*. 134.

Iudiciorũ *diuerſitas & inuidia cauſæ cur Alexandro Moreus & alij obtrectarent*. 388.

Iuetotum *Ciuitas Exercitus Farneſiani periculo famoſa*. 156. *& ſeq.*

Iurienſe *prælium inter Nauarrum & Fæderatos*. 140. *initio Fæderatis proſperum*. 142. *ſed equitum*

leuis armaturæ vitio Nauarrus victoria potitur. 144.
Ius gentium vindicatum. 411.
Iuuenalis Vrſinus inuidioſo Giurij præconio offenſus à Nauarræis ad Fœderatos tranſit. 522.

K.

KNodſenburgum ex aduerſa Neomago ripa propugnaculum, rogatu Neomagenſium expugnare deſtinat Farneſius. 426. eius præſidium auget Mauritius. 427. ab eius expugnatione auocatur Alexander literis Regis Philippi. 432.

L.

LÆtitia ingens Pariſienſium ob annonæ copiam. 324.
Laſinius Laniaci Gubernator poſt ſtrenuè defenſam vrbem captus. 322.
Lamoralius Egmontius in gratiam Philippi fratris præfecturam Vuallonicæ legionis accipit. 149.
Laniacum adoriuntur Farneſiani. 315. & ſeq. eius defenſioni conſulit Henricus. 317. capitur magna propugnatorum ſtrage. 321.
Lantes V. Marcus Antonius.
Laudes in Farneſium collatæ à Pariſienſibus. 324. laus vrbanitatis Henrici IV. 332. laudem Giurij Ducis ſuam iniuriam alij interpretantur. 522. laudes mutuæ Farneſij & Rhotomagenſium. 558. laudes collatæ in Alexandrum ab exercitu eum paulò poſt amittere metuente. 570.
Laudunum venienti Farneſio Gubernator vrbis claues offert, eique occurrit Antiſtes loci. 251.
Lauardini in periculo ſui Regis fides & fortitudo. 488. graue vulnus accipit. 492.
Legionis Manriquianæ, & Leuianæ defectio. 192. & ſeq.
Leuiana legio in defectione compeſcitur à Manriquiana. 192. poſtmodum fida. 193. & 197.
Libertatem conſcientiæ ſibi depoſcit Nauarræ Rex. 239. eam ampliſſimam Catholicis promittit Nauarrus. 273.
Liſiaci luſtratur exercitus Catholicus. 253.
Literæ Nemoroſij teſtes ſolutæ obſidionis, & rei annonariæ Pariſijs illatæ. 290. Alexandri ad Philippum, quibus conqueritur de calumnijs Morei. 390. Literæ Morei contra Alexandrum ſcriptæ in eius manus deueniunt. 389. literæ Philippi ad Alexandrum plenæ benignitatis. 392. Portij ad maineum quibus Borbonij Card. Machinationes detegit. 465. Alexandri ad Philippum de deligendo Gallis Rege. 535. Philippi ad Alexandrum plenæ dignitatis. 537. literæ Hiſpanorum de Iſabella Infante in Reginam deligenda interceptæ & vulgatæ à Nauarræis. 543.
Longauillæ Dux ſubſidio venit Regi in pugna ad Aumaliã laboranti. 492.
Loquemanius Zutphaniæ Gubernator eam non ſine culpa tradit Mauritio. 415.
Ludouicus Balbanus à Card. Borbonio Romam mittitur ad negotia cum Pontifice tractanda. 463. ab eo ſui Principis arcana expiſcatur Portius. 464. à Ioanne Toccardo in aulam Card. Borbonij adſciſcitur, quo fine? 469.

Ludouicus *Card. Ducis Guiſÿ frater Bleſiam ad Comitia venit.* 105. *ibidem iuſſu Regis comprehenditur & coniicitur in vincula.* 107. *eius libera & minaces voces.* 108. *confoditur à ſatellitibus iuſſu regis.* 108.

Lucas Linares *ſuadet Verdugo irruptionem in Batauos.* 398. *eius iudicium laudatur à Verdugo.* 401.

Luſtratio *Catholici Exercitus.* 254. *& ſeq.*

Lutetia *Pariſiorum religioſis conſilijs opportuna, luget cædem Guiſiorum.* 109. *fames ex Regum obſidione.* 117. *gaudium ex mœrore poſt cædem Henrici III.* 126. *miſer vrbis ſtatus ſub aduentum Caietani Legati Apoſtoli.* 136. *ad Lutetiam aut obſidione liberandam, aut captam recuperandam properare iubetur Farneſius.* 187. *obſeſſi Ciues inſtant pro ſuppetijs, & queruntur ob dilationem.* 223. *extrema annonæ difficultate laborant.* 225. *remedia famis miſeranda & horrenda adhibent obſeſſi.* 227. *mirabilis eorum in tam ſæua obſidione conſtantia.* 228. *pacis tractationem publico conſilio ſuſcipiunt, ne priuatim à Politicis ineatur.* 235. *ſuſtentatur rumore aduentus Farneſij.* 249. *defenſa fideli Hiſpanorum ope in manus Henrici non venit, niſi poſtquam ille hæreſim eiurauit.* 267. *ad eam pene captam deferendam ægrè adducitur Nauarrus.* 283. *ſoluta obſidione cibaria magno numero inuehuntur.* 290. *diripiunt ciues annonam à Nauarræis relictam.* 291. *gratias Deo agunt ob famem ſubleuatam.* 292. *mercimonia, ſtudia literarum remigrant Pariſios.* 292. *Ciues ſolliciti pro exercitu Fœderatorum.* 292. *eorum Lætitia, & laudes collatæ in Parmenſem.* 324. *vigiles eos inuenit Nauarrus in aggreſſione nocturna ſuburbiorum.* 327. *cibaria illis in ſemeſtre prouidet Alexander.* 368. *Lutetiæ ſecuritati impensè ſtudet Farneſius.* 380. *ſalutaris illi Henrici abſentia.* 452. *vrbem ingenti omnis generis præda recreat Alexander.* 623. *Lutetiæ domum ſibi conducit Alexander, quam Comitiorum tempore incolat.* 632.

M.

Machinæ *admirandæ deſcriptio.* 347. *eam admirantur obſeſſi Corbolienſes & fruſtra conera illam ſe defendunt.* 349.

Magnanimitas *Farneſÿ in morte.* 638.

Maineus *fratris audaciam in mouendis contra Regem armis improbat.* 102. *Maineo contra Regem vrbes mittunt ſubſidia.* 112. *pacem cum Rege recuſat.* 113. *odium in Regem.* 114. *Briennæ Comitem capit & regem inſidijs propemodum intercipit.* 115. *Turonum ſuburbia incendit.* 116. *eius deliberatio in obſidione prima Lutetiæ.* 119. *Regni Vicarius à Pariſienſibus nominatur poſt cædem Henrici III.* 126. *varias Galliæ Vrbes Sixto V. oppignerare vult.* 133. *Mainei in prælio Iurienſi vigor, & virtus.* 143. *poſt cladem Meduntam fugit.* 146. *Lutetiæ defenſioni intentus excurrit in Belgium ad auxilia à Parmenſi impetranda.* 154. *eius fides in dubium vocata ab Idiaqueſio coram Philippo Rege, tanquam*

quam minus ſynceré volentis Hiſpano. 167. locum colloquio cum Farneſio deſignari curat. 213. occurrit exercitui è Belgio venienti. 221. exercitum cogit. 240. Condæum promouet copias. 243. illi ſe dedit Feritas Milonia. 244. cum Alexandro de ratione belli gerendi deliberat. 260. cenſet vrbi, & hoſti admouenda caſtra. 261. denuo inſtigat Alexandrum ad irruptionem faciendam. 267. dum rem tormentariam procurare nequit cogitur in Alexandri ſententiam ire. 269. eius ærarium ſemper vacuum. 270. Burgundiæ Ducatum illi pollicetur Nauarrus, dummodo pacem ineat. 273. tractationem de pace reijcit in Farneſium, admiſſurus tamen inducias, quæ non procedunt. 276. aciei inſtruendæ munus illi offert. Alexander, ſed recuſat Maineus. 283. committit illi medium agmen Farneſius. 288. 301. capti Laniaci decus Italis aſſerit. 323. non petita ab eo venia diſcedunt ab exercitu Equites Galli. 337. Corbolij expugnationem ſuadet Alexandro. 337. in procuranda re tormentaria non ſatis diligens, cauſa eſt cur obſidio Corbolij in longum extrahitur. 340. Corbolium illi tradit Alexander, cum damno cauſæ communis. 361. ducit medium agmen in reditu è Gallijs. 368. varias arces, & oppida capit. 379. inuitat Alexandrum ad reditum in Gallias. 442. impedit ne Henricus Rex obſideat Rhemos. 450. Sfondratum conuenit in Lotharingia. 450. quæ cauſæ pacem illi cum Henrico optabilem facerent? 456. Conditiones pacis Henrico Regi ab eo propoſita. 457. Fœderatorum inuidiam à ſe totis viribus amouere nititur. 460. Card. Borbonij occulta conſilia ex Portij Domino intelligit. 465. Faras in armorum ſedem concedit Farneſio. 474. Cataphractum equitem cum peditum agmine contra regios emittit in pugna ad Aumaliam. 486. perorat contra Parmenſis ſententiam, ſuadentis inſtandum perculſis Nauarræis. 517. ſuadet Alexandro expugnationem Fani Sancti Spiritus inutili conſilio. 519. Comitia in annum ſequentem coactus indicit. 526. quæ pollicitus fuerit efficere in ijs Comitijs? 527. Ferrariæ Ducem ad regnum Galliarum inuitat modica pecunia in ſpem tantæ rei poſtulata. 530. eius erga Hiſpanos fides ſuſpecta Regi Philippo. 537. ſermonem infert de Iſabella infante in Galliarum Reginam deligenda, & quibus conditionibus. 542. ingreditur Rhotomagum obſidione liberatum. 558. Alexander decumbere coactus ſummæ rerum illum præficit. 569. non probat conſilium Alexandri ſuadentis tranſitum in agrum Iuliobonenſem. 578. Maineo Galli aſſentiuntur ſtudio rei priuatæ. 579. mittit Camil. Capiſuchium ad Batauos loco pellendos. 592. cataphractos in hoſtem emittit & ſtrenuè pugnat. 594. valetudo eius tentatur ad Inuetotum. 597. quibus artibus eum Alexander in ſuam ſententiam pertrahere conatus ſit? 606. difficultates ab illo contra Alexãdri Sequanam traijcere ſuadentis conſilium propoſitæ. 607. tandem Alexandri ſententiam amplectitur. 609. obſidet Epernæum, & ad deditionem vrget. 624.

Manſ-

Manſfeldius V. Carolus. Petrus Erneſtus. Octauius.

Manriquiana legio *Leuianam legionem in officio continet, parata certamen pro fide ſuſcipere.* 192. *eius defectio, propter extremam inopiam, accedente quæſtoris cuiuſpiam imprudenti dicto.* 193. *Cortracum occupant.* 196. *Leuianas cohortes ad ſeditionis ſocietatem inuitant.* 197. *ſoluuntur illis ſtipendia.* 214. *à mutua cæde reuerentia S. Euchariſtiæ temperant, & prouoluti in genua iuramento ſe obſtringunt in obſequium Numinis & Regis.* 215. *in Gallias mittuntur.* 216. *ornatus eorum ſumptuoſus.* 222. *Legio Dominorum appellantur.* 222. *propugnaculum Corbolij magna fortitudine & audacia adoriuntur.* 336.

Marcus Antonius *Lantes in expugnatione Laniaci vulneratus.* 322.

Margarita *Caroli Noni Gallorum Regis ſoror deſpondetur Henrico Nauarræ Regi Hugenoto.* 21.

Marius Farneſius *cibaria Lutetiam inuehit.* 324.

Martigueſius *Ductor inſignis cognomento Miles imperterritus.* 21.

Maſſilienſes *ſe & ſua Sedi Apoſtolicæ offerunt.* 134.

Matrum *Pariſienſium generoſa in prolem caritas.* 227. *aliarum in eandem barbara crudelitas. ibid.*

Mauritius Comes *Guilielmi Orangij filius Bredam aſtu intercipit.* 199. *vt Carolum Mansfeldium ab eius recuperatione auocet, Neomagum obſidet.* 208. *obſidionem ſoluit, conſtructo in oppoſita Neomago ripa caſtello.* 209. *Turnohutum fraude capit, copias vltra Rhenum in Friſiam traducit.* 413. *aſtu expugnat propugnaculum Zutphanienſe.* 414. *obſidet Zutphaniam.* 414. *à præſidiarijs deditionem extorquet.* 415. *obſidet Dauentriam.* 415. *præuenitur à Verdugo in occupatione Groningæ quam moliebatur.* 419. *occupat propugnaculum Groningæ vicinum.* 420. *præſidium Knodſenburgicum auget.* 427. *venit Arnhemum, vbi viribus inferior vertitur ad inſidias.* 429. *oblatam ab Alexandro certaminis copiam abnuit.* 434. *Hulſtum in Flandria illi ſe dedit.* 443. *celeritate ſua Mondragonij con.tus eludit & Neomagum obſidet.* 444. *deditionem mox extorquet à ciuibus factioſis.* 445.

Maurocenus *Cardin. Sixti V. ad Henricum III. Legatus: per eum de pace cum Maineo tractat Rex.* 113.

Mediolani Gubernator *Farneſij militem Sabaudiæ Duci militare iubet.* 440. *ea de re apud Alexandrum literis ſe purgat.* 441.

Michael Bonellus *Card. Alexandrinus legatus à Pio V. ad Europæ Reges.* 22. *in Galliam equis curſorijs properat Pontificis iuſſu.* 22. *Perfunctoriè agit cum Carolo IX. de Francis Fœderi Chriſtianorum contra Turcas illigandis.* 25. *ſeriò nititur auocare ab affinitate iungenda cum Hæretico Nauarræ Rege.* 26. *Eique ſi perſiſtat in propoſito minatur nomine Pontificis.* 27. *queritur apud eumdem Hiſpaniæ Regis & Chriſtianæ Reip. nomine.* 27. *blanditias, honores, & dona Caroli IX. nihili facit, & aſperiùs agit cum eodem.* 28. *ob hoc tamen excuſandus.* 29. *impellit Venetum Oratorem ad repetenda centum aureo-*

Qqqq

aureo-

aureorum millia Regi à Republica mutuo data. 31. *Galli timent, à Card. Bonello Antiſtites Regni, & Clerus conciatur.* 31. *ſed hic timor euaneſcit ob mortem Pij V. qua audita Card. benignè dimittitur à Rege.* 32.

Minores & Minimi *in ſupplicatione Lutetiana.* 233.

Mœror *exercitus Fœderatorum ob periculum amittendi ex vulnere Alexandri.* 570.

Mompenſerius *ſuadet Nauarro vt Lutetiam deſerat.* 285. *cum cataphractorum turmis Fœderatos inuadit; & fortiter pugnat.* 594. *moritur & laudatur ab Henrico Rege.* 626.

Montinij *Dominus Giurij à Rege laudati præconium ſuam iniuriam interpretatur.* 522.

Morbos *cauere, quàm curare faciliùs.* 381. *morborum incommoda auocant Alexandrum à Gallijs.* 364.

Mortuorum *ex oſſibus confecta farina Lutetiæ.* 228. *mors repentina Ioannis Morei.* 389.

Mottæus *tormentariæ rei & caſtris præficitur à Farneſio in locum Caroli Mansfeldij æmuli abdicantis.* 220. *Liſiaci cum tertio agmine, & tormentaria re ſe adiungit exercitui reliquo Alexandri.* 279. *præficitur tertio agmini ab Alexandro in expeditione Laniacenſi.* 302. *expugnat ſuburbia Corbolij.* 338. *medium agmen ducit in reditu è Gallijs.* 368. *magnam ſua peritia rei tormentariæ adminiſtrandæ Regijs affert perniciem.* 594. *eius opera vtitur Farneſius in adducendo in ſuam ſententiam Maineo.* 606. *difficultates ab illo in ſpeciem propoſitæ.* 607. *Alexandri rationibus cedendo, in eandem ſententiam Maineum pertrahit.* 609. *cum Principe Ranutio deſilit in cymbam ad Hollandos tormentis imminentes repellendos.* 619.

Moura *V. Chriſtophorus.*

Muli *ditellarij in comitatu Alexandri.* 259.

Munimentis *ſe obuallant Farneſiani contra irruptiones Regiorum.* 243. *iterum ad Laniacum, magna feſtinatione.* 310. *ſub pœna capitis prohibiti egredi munimentis Farneſiani.* 311. *Nauarrus curat muniri caſtra.* 318.

N.

NAuarræorum *in Regem fides & liberalitas.* 129. *viribus augentur acceſſu Nobilium Catholicorum & exterorum auxiliorum ſpe.* 137. *obſidionem Lutetiæ noctu ſoluunt cum confuſione.* 291. *conijciuntur in fugam à Farneſianis.* 375. *Nauarræi populabundi à Fœderatis malè multati.* 476.

Nauis *onerariæ beneficio Bredam capiunt Hollandi cum ex negligentia militum explorata non eſſet.* 201. *& ſeq. naues* 6. *à Farneſianis intercipiuntur.* 313. *fruſtra ſe defendentibus Nautis.* 314. *Naues multæ coemptæ à Farneſio pro expugnatione Corbolij.* 343. *Naues ad tranſmittendam Sequanam ab Alexandro propria ſupellectile vendita procuratæ.* 610. *poſt tranſuectos Fœderatos partim Rhotomagum remiſſæ, partim igne conſumptæ ſunt.* 619.

Nazarenus *Archiepiſc. V.* Fabius Mirtus.

Negligentia *Gallorum amittitur occaſio*

caſio

caſio opprimendi primi agminis Nauar. 582.

Nemoroſij *in Iurienſi prælio virtus.* 144. *fugit Carnutum poſt cladem.* 146. *relinquitur à fratre Maineo ad defenſionem Lutetiæ, & eius dotes.* 154. *ſuis opibus, ſudore, ſanguine, Lutetiam ſuſtentat.* 231. *nuntiat Alexandro cibaria Lutetiam illata.* 290. *ſubolet illi conſilium Nauarri ſuburbia noctu tentandi.* 327. *quantum auri pro defenſione Lutetiæ impenderit præter labores ſudoreſque trimeſtres?* 366.

Neoburgum *expugnatur à Farneſio.* 622.

Nicolaus Ceſius *Equitum ductor in expeditione Gallicana.* 217. *miſſus ad ferreas pilas coemẽdas neceſſarias verberationi Corbolij.* 340.

Nietus *inſtructor Hiſpanæ Legionis metitur foſſarum Corbolij latitudinem.* 344. *vulneratur & capitur, & captus bene habetur.* 345.

Niuernenſis *Dux laborantem regiorum fortunam in pugna ad Aumaliam ſuo conſilio, & fortitudine ſuſtentat.* 492. *Regem reuerenter increpat.* 493. *ſapienter Nobilitatem Gallicanam cædi obiectare renuit.* 494. *mittitur ad opem laboranti Epernæo ferendam.* 624.

Nobilitas Gallica *auri Hiſpanici ſpe Farneſio grauis.* 365. *Nobilium Gallorum fortitudo & fides in Regis periculo.* 487. & 88.

Nomen *Alexandri exterret inimicos, amicos confirmat.* 249.

Noritius *Tribunus Anglus Blanchenburgum expugnat & euertit ad vindicandum ius gentium.* 411.

Nouiomagum *obſeſſum à Comite Mauritio liberatur à Carolo Manſfeldio.* 209. *Ciues rogant Alexandrum vt expugnet Knodſemburgum vrbi infeſtum.* 426. *nolunt ſibi augeri præſidium.* 436. *obſidetur vrbs à Mauritio.* 444. *factioſorum ope deditur.* 445.

Nouum Caſtrum *munit Henricus illique Giurium præficit.* 496. *expugnatur à Fœderatis.* 498.

Nox *pugnam Farneſianorum cum Regijs dirimit.* 327. *Nocturnam irruptionem in Nauarræorum caſtra tentant Farneſiani; ſed vigilem offendunt hoſtem.* 246. *vigilant Pariſienſes in nocturna aggreſſione Nauarræorum.* 327. *iterum tentata à Nauarræis nocturna Lutetiæ aggreſſio, iterum deluſa.* 330.

Nuanus *Henricum IV. ad expugnationem Lutetiæ inuitat poſt victoriam Iurienſem.* 150. *intereſt Senatui bellico.* 285 *eius ſententia circa defenſionem Laniaci.* 318.

Numerum *copiarum inire quam difficile, & quare?* 279.

O.

OBſidio *Lutetiæ* 117. *ſoluitur.* 291. & *ſeq. obſidio Laniaci.* 315. & *ſeq. obſidio Corbolij.* 338. & *ſeq. obſidio Zutphaniæ.* 414. *Dauentriæ.* 415. & *ſeq. Knodſemburgi.* 424. *Rhotomagi.* 453. & *ſeq. obſidio Rhotomagi ſoluitur.* 555. & *ſeq.*

Occiſorum *in expugnatione Laniaci numerus.* 322.

Oceani *inſolitus tumor & exundatio.* 403.

Octauij Manſfeldij *legio mittitur in Gallias.* 217. *occumbit Octauius in obſidione Knodſemburgi.* 432.

Odij *Gallorum euitandi cauſa Ale-*

Alexander redire vult in Belgium è Gallijs, & cur? 365. odium atrox militum aduerſus Vegam Tribunum. 403.

Odoardus *Lanzauecchia Sanctæ Gertrudis & Bredæ Gubernator dolo Mauritij Comitis Breda elicitur. 199.*

Oliuarius Comes *Hiſpanus Orator Sixtum V. inducere laborat ad non admittendum Oratorem Nauarræorum. 130.*

Oratio *Idiaquesij diſſuadentis Regi Hiſpano expeditionem Gallicam. 160. & ſeq. Oratio Chriſtophori Moura expeditionem Gallicam Philippo Regi ſuadentis. 171. Oratio Alexandri iure iurando affirmantis ſe Catholicæ tantùm Religionis defendendæ causa in Gallias veniſſe. 252. Hiſpanorum Ducum diſſuadentium irruptionem in vrbem Lutetiam. 262. Ducum Gallorum ſuadentium Nauarro ſolutionem obſidionis. 285. Vegæ pugnam cum Naſsauio diſſuadentis. 398. Mainei diſſuadentis depulſionem obſidionis Rhotomagenſis. 517. Alexandri ſuadentis perſequi recedentes à Rhotomago Nauarræos. 560. Mainei idem diſſuadentis. 562. Alexandri ſuadentis tranſitum in agrum Iuliobonenſem cum copijs. 577. Principis Ranutij ſuos animantis ad Hollandos fortiter repellendos. 618.*

Ordo *ſeruatus à Farneſianis in celeritate & ira. 335. error in mutandis ordinibus Gallis cladis occaſio. 321.*

Ornatus *ſumptuoſus legionis Manriquianæ. 222.*

Otij *intolerantes Galli. 518.*

P.

Pacis *tractatio publico conſilio ſuſcepta à Pariſienſibus. 235. nõ procedit & cur? 240. reſumitur, ſed iterum fruſtra: eius conditiones à Nauarro propoſitæ. 273. pax tractata inter vtriuſque partis Gallos. 453. cur ad eam proni Galli? 454. conditiones pacis Henrico Regi propoſitæ à Maineo. 457.*

Pactorum *vi teneri Hiſpanos arma in Galliam inferre probat Chriſtophorus Moura. 177. violata à Batauis pacta, queis Neomagum ſe dediderat. 445.*

Pariſij *V. Lutetia Pariſiorum.*

Paucitas *militum compenſatur fortitudine & diſciplina. 250.*

Paulus Antonius *ſtrenuè pugnans vulneratur in expugnatione Bredæ. 203.*

Pauli Lanzauecchiæ *negligentia amittitur Breda. 201.*

Paupertas *diſciplinam exercitus rũpit. 383.*

Pecherius *à Guiſij coniuge Bleſiam miſſus. 112. cum eo de pace cum Maineo ineũnda agit Aloyſia Regina. ibid.*

Pecuniæ *defectus remoratur Alexandrum ab expeditione Gallica. 437. quantum pecuniæ expeditioni Gallicæ neceſſarium? 438. pecunia corrumpit milites & Duces Eliſabetha. 439. ex pecuniæ defectu calamitates in exercitu Catholico. 596. defectu pecuniæ etiam Nauarræi laborant. 596.*

Pelleuæus Card. *conatur honeſtare Fœderatorum arma ſpecioſis Religionis nominibus. 88.*

Periculum *præſentiſſimum Bironij Iu-*

Iunioris. 373. *periculum aciei Farneſianæ in traſmittẽdo Somona fluuio*. 553. *periculum amittendæ rei tormentariæ ob repentinum claſſis Hollandicæ occurſum, à Principe Ranutio magna audacia & virtute diſcuſſum*. 618.

Petrus Caietanus *Tribunus peditũ Neapolitanorum*. 217. *intereſt conſultationi de bello gerendo*. 260. *expugnat ſuburbia Corbolij*. 338. *eius in expugnatione Corbolij fortitudo, & ſuos ad pugnam animantis alacritas*. 355. *cum ſuis ad certamen contra Regios properat*. 373. *Equitum magiſter in exercitu Pontificio*. 440.

Petrus Cardin. Gondius *Legatus à Pariſienſibus ad Nauarrum miſſus*. 236. *eius ad Regem Oratio initio cũ approbatione, in fine cõtemptu & ludibrio excepta*. 237. *priuatim humaniter à Rege exceptus, ſed publicè acri oratione reprehenſus*. 238. *reſumit tractationem pacis*. 273. *Meldas it ad Farneſium*. 277. *Farneſium hortatur ad pacem cum Hugonotis. ibid. Nauarro ſtudere creditur*. 278.

Petrus Cottonus *S.I. Henrico IV. à ſacris confeſſionibus; Regis in eum beneuolentia*. 333.

Petrus Erneſtus *Comes Mansfeldius Belgio pro Alexandro abſente moderari iubetur*. 218. *Vegæ legionem ad Hyberna euocat in Brabantiam*. 378. *Hyberna commodiora ab eo impetrauit legiones Hiſpanæ loco ſtipendij*. 405. *Dieſtemium & alia oppida illis aſſignat*. 406.

Petrus Eſpinacus *Antiſtes Lugdunenſis mittitur ad Nauarrum Legatus pro pace à Pariſienſibus*. 236. *à Rege humaniter excipitur*. 239. *denuo ob idem negotium ad Regem miſſus*. 273. *Farneſium Meldis conuenit*. 277.

Petrus Almeriquez *S. Andreæ Abbas, illata in medium S. Euchariſtia, ruentes in mutuam cædem Manriquianos cohibet*. 215.

Petrus Franciſcus Nicellus *ductor equitum in expeditione Gallicana*. 217. *ſpeculatum mittitur in obſidione Knodſenburgi*. 429. *inſidijs circumuentus à Batauis vulneratur*. 431.

Philippus II. Rex *Hiſpaniarum Sancto Gallorum Fœderi conſociatur*. 78. *initio diſſimulanter, mox exuit diſſimulationem, & cur?* 80. *litteris & Nuncijs vrget Parmenſem ad ferenda Fœderatis auxilia*. 139. *Parmenſis literis permotus in ſenatu deliberat, an Fœderati ſubſidijs & exercitu miſſo ſint adiuuandi*. 158. *diſſuadet illi expeditionem Gallicam Ioannes Idiaqueſius*. 160. *eandem ſuadet Chriſtoph. Moura*. 170. *& ſeq. Mouræ ſuaſione confirmatur in ſententia, & Parmenſem ad Gallicam expeditionem totum incumbere iubet*. 181. *Parmenſis virtutes ab eo recenſentur in epiſtola*. 182. *iubet Alex. quamprimum mouere in Gallias*. 187. *æquiori animo ſe laturum (ait) ſi Belgium ſibi, quàm ſi Gallia Deo pereat*. 188. *militum inopiam illi ſignificat Alexander & petit ſubſidia*. 383. *apud illum de calumnijs Morei per literas conqueritur Alexander*. 390. *eius reſponſum perbenignum, & Alexandro honorificentiſſimum*. 392. *Alexandrum in Gallias redire iubet, & conatus omnes ac curas in illas vertere*. 432. *Mediolani Gubernatorem* pur-

Qqqq 3

purgare ſe Alexandro iubet ob eius militem aliò miſſum. 441. *de eo in Galliæ Patronum deligendo conſultant Fœderati Galli*. 527. *competitorum coronæ Gallicæ erga illum obſequia*. 532. *reſpondet Alexandro, literis dignitate plenis, de deligendo Galliarum Rege, & in Lotharingiæ Ducis filiũ propendet*. 537. *vult Alexandrum Comitijs Gallicis pro deligendo Rege praeeſſe, à cæteris eum curis moleſtæ Gubernationis abſoluit*. 630.

Philippus Boncompagnus *Card. mittitur à Gregorio XIII. Legatus à latere ad Henricum III. Franciæ & Poloniæ Regem deſcendentem in Italiam*. 44. *inſinuat Pontificis conſilia Regi, ſed fruſtra*. 47.

Philippus Egmontius *cum mille octingentis equitibus, Fœderatis auxilio mittitur*. 139. *in Iurienſi prælio fortiter occumbit, & eius laudes*. 148.

Philippus Guaſtauillanus *Card. Gregorij XIII. ex Sorore Nepos*. 44.

Philippo Morneo *Henricus pacis negotium cum Maineo tractandum committit*. 456. *quid ſenſerit de conditionibus pacis à Maineo propoſitis?* 459. *ob odium in Catholicos negotium pacis artibus ſuis euertit ac tollit*. 460.

Philippus Naſſauius *mittitur ab Henrico ad deijciendos è colle quoſdam Fœderatos, & feliciter imperata exequitur*. 591. *ſed depellitur à Farneſianis poſt diuturnam pugnam*. 593.

Pietas *apud Alexandrum Parm: præualet priuatis commodis*. 185.

Pij IV. *Pontificis induſtria abalienatur ab Hæreſi Antonius Nauarræ Rex*. 17. *rationes eiuſdem Nauarri adiuuat apud Regem Hiſpaniæ*. 18.

Pij V. *Pontificis ardens ſtudium tuendæ religionis in Gallia*. 18. *ſubmiſſa ab eo Carolo IX. auxilia armorum regias partes erigunt*. 19. *Cardinalem Bonellum Legatum ad Reges Europæ mittit*. 22.

Politici *pro ſedandis internis Galliæ motibus bellum contra Hiſpanos ſuadent Carolo IX. ſed fruſtra, repugnante Rege*. 42. *Pacem occultò ſuadent Pariſienſibus*. 235. *Politicorum nomine notantur in hæreſim & Nauarræ Regem proni*. ib.

Pons *à Fœderatis conſtructus, & munitus prope Condæum*. 246. *Pons Naualis conſtructus à Farneſio ad Laniacum*. 314. *Pontes duo miſſiles ad expugnationem Corbolij*. 343. *Pons vnus ruptus in oppugnatione Corbolij*. 352. *ob pontem breuiorem clades Anglorum in aggreſſione Dauentriæ*. 417.

Portenta *in Cælo viſa ante prælium Iurienſe*. 142.

Portij *Dominus expiſcatur à Balbano Borbonij Card. arcana*. 464. *eadem Maineo per litteras patefacit*. 465.

Potentia *Nauarri poſt Parmenſis è Gallijs abitum creſcit*. 448.

Prælium *Iurienſe inter Fœderatos & Nauarræos*. 140.

Præſidium *Corbolij quàm numeroſum?* 338.

Priuatæ rei *ſtudio curas publicas negligunt Fœderati*. 128.

Propertius Baroccius *architectus caſtrorum admirandam machinam conſtruit ad expugnationem Corbolij*. 343.

Pro-

Proſperi Sanctacrucij *iudicium de Antonij Nauarræ Regis conſilijs.* 17.

Prouocantur *ad prælium Fœderati à Nauarro.* 296.

Prudentia *Nauarri in re ancipiti.* 374. *Alexandri in præcauenda ſeditione ſuorum militum.* 394. *Alexandri in compeſcendo tumultu Heluetiorum.* 548.

Puerorum *Rhotomagenſium pugna cum militibus Nauarreis.* 523.

Pugna *equitum Regiorum cum Fœderatis.* 307. *pugnæ copiam Fœderatis offert Nauarrus.* 311. *pugna equitum Fœderatorum cum Regijs.* 312. *atrox pugna inter Laniacenſes obſeſſos & oppugnantes Farneſianos.* 320. *inter obſeſſos Corbolienſes, & Farneſianos.* 353. *ad pontem lapideum ibidem ſæua pugna.* 356. *& ſeq. inter Farneſianos & Regios.* 373. *& ſeq. Hiſpanorum cum Batauis.* 430. *&* 31. *Pugna celebris ad Aumaliam Nauarræ Regis periculo & vulnere nobilitata.* 481. *& ſeq. Vuallonum cum Calidobecenſibus.* 565. *pugna quodammodò ludicra Gallorum Fœderatorum cum Regijs.* 583. *Regiorum cum Fœderatis crebræ pugnæ ad ſyluam inter caſtra vendicandam.* 586. *inter Guiſianos & Nauarræos ad Iuetotum.* 590. *atrox decem. horarum pugna inter Regios & Fœderatos.* 594.

Q.

QVerelæ *Belgarum lamentantium, ſe deſeri à Parmenſi, & Gallorum ſuccenſentium, Lutetiæ laboranti opem non porrigi.* 186. *legionis Manriquianæ ſeditioſæ.* 194. *Pariſienſium ob dilatas ſuppetias.* 223. *Hiſpanorum ob furta calonum Gallorum.* 241. *Farneſij de calumnijs æmulorum.* 390. *militum Hiſpanorum.* 394. *Alexandri de Gubernatore Mediolanenſi.* 441. *Herculis Sfondrati querentis neminem Fœderatorum ſibi obuiam venire.* 450. *militum Farneſianorum in tranſeundo Somona.* 550.

Quiete *viginti dierum reficit exercitum Alexander.* 368.

R.

RAnutius *Alexandri filius natu maior ſuperuenit Patri Geldriæ moranti.* 425. *inter Hiſpanos tyro militat.* 427. *tertij agminis Dux in receſſu exercitus à Knodſenburgo, aggerem fabricat, & munit.* 435. *præficitur legionibus Hiſpanis à Patre decumbente.* 569. *mittit Capiſuchium ad Batauos altiore loco deijciendos.* 592. *inter medios hoſtes fortiſſimè pugnanti equus ſuffoditur.* 594. *ſolus è Fœderati exercitus Principibus, viribus integer.* 597. *equeſtri pugna detinet Nauarræos dum in tutum euadant Fœderatæ legiones.* 602. *relictas per incuriam aliquot murales machinas in caſtra adducit magno ſuorum plauſu.* 603. *ſua magnanima fortitudine tormenta ſeruat, quibus inhiabat claſſis Hollandica.* 618. *traducto cum tormentis omni exercitu, naues aut exurit, aut Rhotomagum remittit, ipſe Alexandrum prægreſſum aſſequitur.* 621. *à Parente, ne quid turbarum enaſcatur per eius abſentiam redi-*

redire iubetur in Italiam ad ditiones ſuas. 631.

Religio *tranquillitate & pace plus proficit*. 38. *Religionem qui propugnant plerumque ſecuri diuinitus*. 181. *Religioſorum Ordinum ſupplicatio inſtituta Pariſijs*. 233.

Renthiacus *Marchio Equitum Præfectus in expeditione Gallica*. 217. *intereſt conſultationi de bello gerendo*. 260. *primum illi agmen committit Alexander, dum ad Laniacum obſidendum tendit*. 301. *Regios ad equeſtrem pugnam elicere iubetur*. 312. *primum agmen illi committitur in reditu è Gallijs*. 368. *ſuccurrit Belgis periclitantibus in pugna cum Regijs*. 373. *pugna eius cum Bullionio*. 557. *fortiſſimè pugnat ad Iuetotum*. 594.

Rhemenſis *vrbis obſidionem omittere cogitur Henricus præuentus à Maineo*. 450.

Rhodiorum *Legatus in Romano Senatu arroganter locutus*. 237.

Rhotomagum *obſidetur à Nauarro*. 453. *obſeſſis auxilia mittit Alexander*. 473. *Bironius ſuadet obſidionis continuationem*. 476. *miles ab Alexandro miſſus feliciter per medios obſidentes in Vrbem penetrat*. 510. *erumpunt obſeſſi & magna edita ſtrage euertunt obſidentium opera*. 513. *& ſeq. obſidionem inſtaurat Nauarrus digreſſis Fœderatis*. 520. *erumpunt obſeſſi ſæpius*. 521. *malè multantur à Rege dum muri ruinas reparare ſatagunt*. 523. *obſidetur arctiùs vrbs*. 543. *ſoluitur obſidio aduentante in auxilium Farneſio*. 555. *Rhotomagenſes in Farneſij laudes effunduntur, illo viciſſim ipſorum fidem ac fortitudinē celebrante*. 558.

Riberæ *ſigniferi Hiſpani ardor pugnandi*. 354.

Richardotus *Præſes à Parmenſi in Hiſpanias miſſus propter negotia Gallica*. 139.

Rigous *peditibus præeſt in arce Corbolij*. 338. *pugnans occumbit*. 359.

Rixa *grauis inter Hiſpanos & Vuallones ſedatur prudentia Zunnigæ Tribuni*. 352.

Romanus Pontifex vide Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Greg. XIV. Innocentius IX.

Roneus *Caſtrorum Præfectus in exercitu Fœderatorum*. 243. *intereſt deliberationi de bello gerendo contra Nauarrum*. 260. *ſuadet prælium cum Nauarro*. 297. *ſtrenuè pugnat in aggreſſione Corbolij*. 353.

Rugerius *Caietanus ductor equitum in expeditione Gallica*. 217.

Rumor *interfecti Regis in Iurienſi prælio incertam aliquandiu Nauarræis victoriam facit*. 144. *rumore aduentantis Alexandri Lutetia ſuſtentatur*. 249.

S.

SAlinij *Comes è Proceribus Fœder. vnus intereſt deliberationi de ratione belli cum Nauarro gerendi*. 260. *extremæ illum aciei præficit Alexander*. 287. *in velitatione cum Nauarræis vulneratur & capitur egregia priùs edita pugna*. 503. *lepidum Henrici de eo dictum*. 505.

Sanctum Gallorum Fœdus V. Fœdus Gallicum.

San. Paulus *magnam cibariorum vim Lutetiam infert*. 244. *adiungitur*

Sa-

Salmio extremum exercitus Catholici agmen ducenti . 288. *ſuadet prælium cum Nauarræis* . 297. *acriter dimicat in oppugnatione Corbolij* . 353. *cum Principe Ranutio ad tormenta defenſanda in cymbam deſilit* . 619.

Scipionis Gonzagæ *Cardin. conſilium de mittendo in Gallias Legato.* 132.

Sebaſtianus *Luſitaniæ Rex proponitur in ſponſum Margaritæ Regis Gallorum Caroli Noni Sororis.* 26. *eius luctuoſa in Africam expeditio* . 163.

Secretorum *vtriusque partis Galli non ſatis tenaces* . 265. *ſecreta ſui Principis malè celata à Ludou. Balbano* . 464.

Seditio *Legionis Manriquianæ*. 192. *eius cauſa extrema inopia*. 193. *ſeditio Legionis Vegæ, eius initia, cauſæ & progreſſus* . 406. *& ſeq.*

Sega Card. *Summi Pontificis Legatus Alexandri copias luſtrat, iiſque bene precatur* . 555. *ſoluta Rhotomagi obſidione vrbem cum Farneſio ingreditur*. 558. *ſuadet Philippo Regi, vt ſi filiam Iſabellam in Galliarum Reginam eligi velit, quamplurimum auri militumque in Gallias ſubmittat* . 633.

Senatus *bellicus conſultus ab Henrico* . 284. *ſententiæ diuerſæ Ducum Gallorum, & Hiſpanorum an confligendum cum Nauarro prouocante?* 297. *ſententiæ Ducum Nauarræorum de ſumma belli* . 476. *& ſeq.*

Sequanã *tranſit Alexander cum exercitu*. 610. *& ſeq. rapiuntur in Sequanam immergendi, ſiqui auſi ſunt in obſidione Lutetiæ facere mentionem deditionis*. 228.

Sfortia *Comes S. Floræ mittitur cum copijs auxiliaribus in Galliam à Pio V. Colinium Hugonotorum Ducem ſtratagemate vincit* . 20.

Simiæ *Caſtra defendunt* . 502.

Sixtus V. *Borbonios Principes ferit anathemate*. 89. *laudat Guiſiũ propter victoriam contra Germanos obtentam*. 95. *minatur Henrico III. Cenſuras Eccleſ. ob cædem illatam Cardin. Guiſio*. 110. *eaſdem, cum monita non proficerent, infligit* . 111. *Sixtum in partes trahere & Regij & Fœderati laborant*. 130. *varias Galliæ vrbes pro pecunia oppignerare illi vult Mainëus*. 133. *Maſſilienſes ſe illi per Legatos offerunt* . 134. *indicit Iubilæum ob res Gallicas* . 16.

Societatis Ieſu *Patrum in S. Iacobi ſuburbio cuſtodiendo diligentia*. 329. *eorum non vanæ de Regis conſilijs ſuſpiciones*. 330. *ſcalæ vnde Nauarræos deiecerant, ad eorum Collegium delatæ monumentum defenſæ Religionis*. 332. *Regis Henrici de illis iocus*. 333.

Solertiæ *defectus multa in politicis damna parit*. 7. *Solertia mirabilis Alexandri in reducendo inter plurimas difficultates exercitu* . 434. *Henrici in pugna ad Aumaliam* . 486. *Niuernenſis Ducis*. 493. *& ſeq. Henrici Regis in ſoluenda obſidione Rhotomagenſi* . 556. *Alexandri in reducendo ad Calidobechum exercitu* . 601. *& ſeq.*

Solicitudo *Ciuium Pariſienſium pro exercitu Fœderatorum* . 292.

Somona *fluuius exundans quomodo à copijs Alexandri ſuperatus?* 550. *& ſeq.*

Spes *pugnæ in vtroque exercitu Nauarri*

uarri & Fœderatorum . 299.

Stipendia *perſoluta Manriquianis, quorum defectu rebellarant*. 214. *diſſenſio inter legionarios orta in illorum diſtributione*. 215. *ob non ſoluta ſtipendia militum ſeditio & dilapſio*. 383. *partem ſtipendij Hiſpanis in Friſiam deſtinat Alexander*. 395. *primum ſtipendium ſuis auxilijs ſoluit Henricus*. 449. *ſtipendia ſuo exercitui ſoluit Alexander in Theodorici caſtro*. 624.

Stratagema *ſapientiſſimum Alexandri eludentis Nauarræorum, pugnam expectantium ſpem*. 300. & *ſeq. aliud eiuſdem Corbolium expugnantis*. 344. & *ſeq. Maurítij occupantis Bredam*. 200. *eiuſdem intercipientis Turnohutum*. 412. & *propugnaculum Zutphanienſe*. 413. *Alexandri in fallendo Nauarro*. 602.

Suburbia *Laniaci occupantur à Farneſianis* . 308. *ſuburbia Lutetiæ noctu aggreditur Nauarrus*. 326. *iterum*. 329.

Superbia *& hoſtiũ contemptus obnoxios inſidijs reddit Hiſpanos*. 429.

Supplicationes *ſolennes altera Virginum & puellorum infra ſexennium, altera Religioſorum inſtitutæ Parìſijs*. 232. *tertia Ducum, & militum*. 234.

Suſpiciones *non vanæ Patrum Societatis de conſilijs Nauarri*. 330. *ſuſpiciones Gallorum amicorum vt vitet Farneſius, Corbolium illis tradit*. 362. *ſuſpiciones Philippi animo iniectas ab æmulis amouere contendit Farneſius*. 385. *Farneſij & Hiſpanorum de Gallis Fœderatis non iniquæ*. 563.

Syluam *inter vtraque Caſtra mediam occupant Fœderati & munimentis circumdant*. 585. *variæ partium pugnæ ad recuperandam aut eripiendam ſyluam*. 586.

T.

Tabernaculum *Vegæ puluere nitrato ſublatum in aera*. 402.

Tauanius. *Ioannes Saulius Tauanius dux inſignis inter Fœderatos*. 140.

Temeritas *inſidijs obnoxios reddit Farneſianos*. 429.

Teſtamentum *Alexandri*. 640.

Theodorici Caſtrum *præſidio auctum à Nauarro*. 369. *expugnatur à Fœderatis*. 379.

Tillierius *Comes opem fert Bironio Iuniori periclitanti*. 372.

Tormentariæ rei *defectu in longum extrahitur obſidio Corbolij*. 340. *tormentarij pulueris defectu aditum in arcem Knodſenburgi Batauis permittunt Hiſpani*. 427. *vnde is defectus*. 428. *tormenta aliquot in caſtra reducit Princeps Ranutius, ne hoſti in prædam cedant*. 603.

Transfugæ *Nauarro Catholici exercitus neceſſitates patefaciunt*. 597.

Tranſitus *famoſus exercitus Catholici, qua deluſa Nauarri ſpes, victoriæ famam tota Europa ſpargentis*. 610.

Turenius *Vice comes, qui & Bullionij Dux, adiungit ſe cum nobilitatis magna parte exercitui Nauarri*. 279. *ſuadet Regi ſolutionem obſidionis Rhotomagenſis, & quare?* 478. *pugna equeſtri tamdiu Fœderatos ad Rhotomagum detinet, dum in tutum euadat Rex cum impedimentis*. 557. *probat Henrici conſilium prælio ſuperſedendum iudicantis*. 575.

Turonis *Maines inſidijs ferè deprehenſus Henricus III*. 115. *ſuburbia*

urbia incenſa à Maineo poſt Regis exceſſum. 116.

V.

Valentinus *Pardæus V.* Mottæus,
Vega, *& Vegæ Legio V.* Emanuel.
Velitationes *continuæ inter Fœderatos & Nauarræos.* 500. *& ſeq.*
Venetus orator *impellente Cardinali Bonello Legato repetit à Carolo Nono centum aureorum millia Regi à Republica mutuò data.* 30.
Verberatio *murorum Corbolienſium.* 348. *Verberationi locum deſignans Alexander vulneratur ad Calidobecbum.* 567.
Veruinium *arx ſitu & ſtructura nobilis ad deditionem compellitur à Fœderatis.* 628.
Vetus *Præſes Pariſienſis ad pacem cum Nauarro ineundam miſſus.* 273. *liberum eius dictum, quo irritatus Rex faceſſere eum iubet è conſpectu.* 278. *redit infecta Pace Lutetiam.* 278.
Vexilla *tria amiſſa à Farneſianis.* 431.
Victoria *Iurienſis Henrici IV. contra Fœderatos.* 144. *& ſeq.*
Villarius *Marchio Gubernator Rhotomagi externorum in Gallijs auxilia auerſatur.* 511. *vt præuertat Alexandri conſilia, eruptionem contra obſidentes adornat.* 512. *deſtinata feliciter exequitur.* 513. *& ſeq. militem, & pecuniam vrbi defendendæ mitti ſibi petit, & nil præterea tentari à Fœderatis.* 515. *pro eius ſententia perorat Maineus.* 517. *Hollandos è nauibus iaculantes retrocedere compellit.* 521. *bombardas foſſis immerſas extrahit, Henrico Rege, qui idem moliebatur, præuento.* ibid. *Henrico Regi pollicetur vrbis deditionem, ſi ad ſacra Catholica redeat.* 544. *durius illi reſpondet Rex.* 545. *auxilia depoſcit à Parmenſi.* 546. *laudes in illum congeſtæ ab Alexandro.* 558. *oriundus ex Italia.* 559.
Villaregius *diſſuadet Henrico III. bellum contra Fœderatos.* 64. *de Sixti V. ſeueritate cum Nuntio Apoſt. expoſtulat.* 90. *negotium pacis inter vtriuſque partis Gallos agit.* 454. *manifeſtius oſor incrementorũ Hiſpaniæ in Gallijs.* 563.
B. Virginem *Hallenſem inuiſit Alexander in Gallias abiturus.* 248. *eius Aſſumptæ peruigilio intrat Galliam Alexander.* ibid. *Peruigilium Virginis deſtinatur expugnationi Laniaci.* 315. *eius opem implorant Hiſpani ante oppugnationem Corbolij.* 351.
Virginum *& puellorum ſupplicatio Pariſijs in obſidione inſtituta.* 232.
Virtutes *ob quas expeditioni Gallicæ Parmenſem præficit Philippus Rex.* 182. *Virtus militis Bataui.* 202. *Hectoris Caballi.* 346. *Corbolienſiũ obſeſſorum & oppugnantium Farneſianorum.* 354. *& ſeq. Vegæ Tribuni.* 408. *Ranutij Principis in reuehendis in caſtra tormentis per incuriam neglectis.* 603.
Vrbanitas *ſingularis Regis Henrici IV.* 333.
Vrſinus Cardinalis V. Flauius.
Vulnus *accipit ad Aumaliã Henricus.* 437. *Alexãder ad Calidobecũ.* 567.

Z.

Zvtphaniæ *propugnaculum fraude occupat Mauritius.* 413. *obſidetur Zutphania.* 414. *deditur.* 415.

FINIS.

REGESTVM.

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq.

Omnes ſunt duerniones preter Qqqq quæ ſunt terniones.

ROMÆ Typis Nicolai Angeli Tinaſſij M. DC. LXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

H.27.

Digitized by Google